





PARATITLA THEOLOGICA

In quibus

VERA ANTIQUITAS, ET
Phraseologia Sacrorum literarum &
Patrum, sive priscorum ecclesiæ Docto-
rum, ita illustratur, ut universum sa-
crosanctæ theologiæ syntagma hâc
veluti clavi resere-
tur.

OPUS METHODO THEOLOGIÆ ANTEHAC IN LUCEM EDITÆ PRÆMITTENDUM.

Authore
IOHANNE HENRICO ALSTEDIO.









FRANCOFURTI,
Sumptibus CONRADI EIFRIDI.
Anno M. DC. XXVI.







Balth: Schwan fecit.

2.Timoth.1.v.13.

Expressam formam teneto sanorum sermonum, quos à me audisti, cum fide & charitate, quæ est in Jesu Christo.

Iudæ vers. 4.

Necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos, ut decertetis pro fide, quæ semel tradita est sanctis.

Plato in Gorgiâ.

Ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα, *Qui gnarus est vocabulorum, gnarus erit & rerum.*

Epictetus.

Ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις, *Principium eruditionis est nominum trutinatio.*



LECTORI CANDIDO S.

INfinita propemodum est copia hostium, Lector Christiane & φιλαρχαῖε, qui veritati cœlesti, jam inde ab incunabulis ecclesiæ, bellum ἄσπονδον atque implacabile indixerunt. Ex omni autem illa hostium turba nescio equidem, an infestiores ei sint ulli alii, quàm sunt duo hominum genera, qui diversis, imò in speciem contrariis illam modis aggredientes, & cursum ipsius omni conatu impedientes, detrimentum ingens ecclesiæ sæpe attulerunt. Et alii quidem opinione sui inflati, καινοφωνίας, hoc est, novas voces, doctrinasque novas inducere: alii verò antiquitatis umbone sua virosa dogmata tegere sunt conati. Sive annalium replicare memoriam voluerimus; sive ad hæc nostra tempora oculos referre; inveniemus profectò, non gladios, non equuleos, non flammas, non ungulas, non craticulas, non θηριομαχίας, h. e. cũ bestiis decertationes, aliave ulla priscę crudelitatis instrumenta, ecclesiæ tantum unquam nocuisse; quãtum ei nocuerunt, hinc novarum opinionum authores, illinc præposteri antiquitatis non-antiquæ defensores. Quæ duo hominum genera, cùm videantur inter se opposita, & revera ducantur affectibus, utplurimum, contrariis: si quis tamen propiùs rem spectet, in effectu consentire, utrorumque conatibus eódem recidentibus, facilè intelliget. Nam quid est antiquitas non vera, nisi latens sub larva novitas? aut quæ vetustas contra veritatem stare potest: cùm sit extra omne dubium, id verius esse, quod prius: id prius, quod à principio? Itaque hæreses non minùs arguit novitas, quàm revincit veritas. Deinde cupiditas novandi annon est & ipsa antiqua? Intellige antiquitatem ψευδώνυμον, hoc est, falsò dictam. Etenim primis statim nascentis Christianismi temporibus tantus φιλοκαινίας, hoc est, studii novitatis, pruritus, multorum ingenia titillavit, ut ex hoc veluti arvo innumeræ fructificaverint hæreses. Quæ cùm ita

ſint, videor mihi facturus non parvum operæ pretium, ſi de utroq; hoc malo vel potius in illud, nonnulla dixero. Et ut à φιλοκαινίᾳ proficiſcatur oratio mea, quis neſcit Apoſtolum 1 *Tim.6.v.4.* invehi in eos, qui inſaniunt circa quæſtiones, ac λογομαχίας, h. e. verborum pugnas? Quis porrò mediocriter verſatus in veteri hiſtoria, non legit portenta illa *Baſilidis*, qui virtutem quandam ſummam, ut ſummum Deum ingenitum, vocavit Ἀβραξας, quod nomen tanquam ſanctum commendavit: & Chriſtum novo & inuſitato antea nomine *Goala* & *Goalna*, ab Hebraico גאל, quod redimere ſignificat, appellavit, proculdubio hac de cauſa, quòd nomen Ieſus, tanquam nō ſatis auguſtum, faſtidiret? Quis eſt in choro τῶν φιλαρχαίων, qui ignoret intolerandam *Valentini* φιλοκαινίαν? Is confinxit triginta Aeonas, tanquam deos, quos dixit naſci, nubere, & generare. Illorum principium dixit Profundum ſive Bythum, & Silentium ſive Sigen, ita ut illud vicem patris, hoc matris obierit. Ex his itaq; parentibus infelici huic homini nati ſunt νοῦς καὶ ἀλήθεια, h. e. mens & veritas: ex his rurſus λόγος καὶ ζωή, h. e. verbum & vita: ex his denique ἄνθρωπος καὶ ἐκκλησία, h. e. homo & eccleſia: Ex prima Aeonum ſyzygia producti ſunt octo alii Aeones: ex ſecunda, decē: ex quarta duodecim. Quibus ſimul collectis, fiunt triginta Aeones, qui, ut ait Tertullianus, crimina ſunt, non numina. Sunt, inquam, nomina abominanda. *Secundiani* ad octo præcipuos Valentini Aeonas addiderunt lucem & tenebras, & nomina ipſa Aeonum immutarūt. *Marcus*, à quo Marcitæ orti ſunt, duo rerum principia ſibi contraria conſtituit, Silentium & Sermonem. Pro binario Aeonum, qui reliquos genuerint, ſubſtituit quaternarium: nempe Sigen, Logon, & præterea duos alios Aeonas innominatos. Literis, ſyllabis, & characteribus ſingulos homines, & ſingula ſingulorum hominū membra ſubjici & gubernari dixit, atq; adeo hæc univerſa; ut cùm omnia ad unam eandemq; literam redierint, ſint omnia inſtauranda, & futurus ſit rerum omnium finis. Sic autem literas diviſit, ut α & ω regerent atq; haberent caput hominis: β & ψ, collum: γ & χ humeros: δ & φ, pectus: ε & υ, ſeptum tranſverſum: ζ & τ, dorſum: η & σ, ventrē: θ & ρ femora: ι & π, genua: κ & ο tibias: λ & ξ talos: μ & ν pedes. Nomen ἰησοῦς uti anguſtius cæteris præferebat. Mutas novem, quæ vocantur à Grammaticis, retulit ad Deum Patrem, tanquā illius proprias. Semivocales octo, ad λόγον καὶ ζωήν: vocales ſeptem ad hominem & eccleſiam. *Ptolemæus* quoq;, diſcipulus Valentini, novam condere inci-

piens

piens hæresim, octonarium quidem Aeonum numerum, tanquã fontem aliorum omnium retinuit, sed alios, aliterq; quàm Valentinus cõstituit & appellavit. Valentinus n. Bytho unam duntaxat cõjugem dedit, eamq; Sigen nominavit. At Ptolemæus Bytho duas uxores planè liberaliter gratificatus est, quarum unam quidem ἔννοιαν, *cogitationem*, alteram verò θέλησιν, *voluntatem*, vocavit. Ex utraq; illa coniuge Bythus propagines emisit, ut essent earum rerum, quæ sunt apud se invisibiles & inconspicuæ, visibiles imagines. Ἐννοίας quidem inconspicuæ imago conspicua est Νοῦς, *mens*: θελήσεως autẽ typus visibilis est Ἀλήθεια, *veritas*. Itaq; & nominibus, & modo ipso procreandi Aeonas diversus fuit à præceptore Valentino Ptolemæus. *Heracleon*, & ipse Valentini discipulus, duo rerum omniũ principia constituit, è quibus tamen ipsis unum altero sit prius tempore. Et Bython quidem dixit primum illum & præcipuum Deũ, ex quo nata sit Sige, i.e. silentium. Ex Bytho & Sige reliqui oẽs Aeones variis coitionibus nati sunt, qui cæterarum rerum creatarum sunt principia. Primariam quoq; Aeonũ Ogdoada, à Ptolemæo excogitatã, probavit Heracleon, & ejus divisionem in dextros sinistrosq; Aeonas, tanquam bonos & malos, sive, ut postea Manichæi locuti sunt, in gentem lucis & tenebrarum retinuit. Sed quid ago? si per oẽs omnium temporum hæreses ire velim, & saltem κυρίας δόξας recensere, non præfationẽ, sed integrum volumen scribere necesse fuerit. Legatur itaq; potiùs Augustinus de hæresibus, & in singulis capitibus observetur studiosè quantus amor novitatis, hominũ mentes, inde à Simone Mago (.ab hoc n. orditur August.) usq; ad Pelagiũ (.in quo desinit.) veluti afflatas quodam pestilenti sidere, & invaserit, & insederit. Persequitur Augustin⁹ ita prædictas hæreses, ut singulis tribuat singula capita. Sunt a. in universum capita octo & octoginta. Tot itaq; novitates, ut ita dicã, ibi occurrũt. Quid? In plerisq; capitibus, adeoq; & hæresibus, nõ sũt singulę φιλοκαινίαι, sed plures: interdũ tres, quatuor, quinque, & ampliùs. Non possum, quin nomina Novatorũ adscribam. Sunt autẽ hoc ordine. Simoniani, Menandriani, Saturniniani, Basilidiani, Nicolaitæ, Gnostici, Carpocratiani, Cerinthiani, Nazaræi, Ebionei, Valentiniani, Secundiani, Ptolemiani, Marcitæ, Colarbasii, Heracleonitæ, Ophitæ, Caini, Sethiani, Archontici, Cerdoniani, Marcionitæ, Apellitæ, Severiani, Tatiani seu Encratitæ, Cataphryges, Pepuziani seu Quintilliani, Artotyritæ, Tessares kædecatitæ,

Alogiani, Adamiani, Elceſei ſeu Sampſeji, Theodoſiani, Melchiſedechiani, Bardeſaniſtæ, Noëtiani, Valeſii, Cathari, Angelici, Apoſtolici, Sabelliani, Origeniani, Origeniſtæ ſeu Adamantii, Pauliani ſive Samoſateniani, Photiniani, Manichæi, Hierachitæ, Melitiani, Ariani, Audiani, Semiariani, Macedoniani, Aëriani, Aëtiani ſive Eunomiani, Apollinariſtæ, Antidicomarianitæ, Meſſaliani, Metangiſmonitæ, Seleuciani ſive Hermiani, Proclianitę, Patriciani, Aſcitę, Pattalorinchitæ, Aquarii, Coluthiani, Floriani, Æternales, Nudipedales, Donatiſtæ ſive Montenſes, Priſcillianiſtæ, Feri, Rhetoriani, Theopaſchitæ, Triformii ſeu Tritheitæ, Aquei, Melitonii, Ophei, Tertullii, Liberatores, Nativitarii, Luciferiani, Ioviniani ſtæ, Arabici, Helvidiani, Paterniani, Tertullianiſtæ, Abelonitæ, Pelagiani. Atque hęc ſunt nomimina hæreticorum, quos Auguſtinus partim collegit ex Epiphanio & Philaſtrio, partim ipſe addidit. Vixerunt autem iſti Novatores inde ab anno Chriſti 50. uſque ad annum 420. His jam adde Neſtorianos, Eutychianos, Timotheanos, Mahumedanos, & ſimilia portenta. Sed miſſis Novatoribus hæreticis veniamus ad Scholaſticos. Deus bone, quãtus pruritus φιλοκαινίας iſtorum hominum ingenia titillavit? quæ licentia paſſim eſt vagata fingendi voculas & fabulas ineptiſſimas, & ridicularum opinionum portenta? quàm multæ denique τερατολογίαι ex arvo eccleſiæ fructificaverunt, degeneres veritatis, grano & mendacio ſilveſtres? Non ab re aliquis ſecula iſta καιροὺς τερατολογίας, hoc eſt, tempora portentiloquiorum, nominaverit. Secuta eſt tandem, Dei immortalis nunquam tacendo beneficio literarum & religionis παλιγγενεσία, hoc eſt, quaſi á morte ad vitam revocatio. Sed hanc felicitatem infelicitas nihilo minor, in religionis negotio, eſt comitata. Nam φιλοκαινία hoc effecit, ut unius & ejuſdem religionis Chriſtianæ duplex, & multùm diverſa, ſit theologia: in maximi quidem momenti capitibus doctrinæ, arcano divinæ providentiæ beneficio, ut plurimùm, conſentiens; in aliis diſſidens, & in mutuam perniciem conjurata. Tantum ſcilicet poteſt cupiditas novandi: ut non immeritò vir magni nominis exclamet, ipſam lacerare tunicam Chriſti inconſutilem. Quod inprimis verum eſt de illa, quæ nova dogmata gignit, φιλοκαινία: & interdum quoque de iſtà, quæ novas voces phraſeſque fingit. Contra utramque non uno in loco agit ſanctus Apoſtolus ad Timotheum & Titum. Nec

minùs

minùs tamen Ecclesiæ Dei priscis juxta & nostris temporibus obfuerunt clamores illi assidui & importuni hominum ψευδοφιλαρχαίων, i. e. falsæ antiquitatis studiosorum, qui religionis suæ & ceremoniarum à majoribus acceptarum antiquitatem stultè jactitarunt. Hîc itaq; cauto est opus, ut antiquitas falsa discernatur à vera. Est autem falsa antiquitas, quæ vel in solâ prioritate temporis consistit, vel prioritatem temporis falsò sibi vendicat. De primâ ψευδωνύμου antiquitatis specie loquitur *August. tom. 8. enarrat. Ps. 61.* Oẽs qui terrena sapiunt, omnes qui felicitatem terrenã Deo præferunt, oẽs qui sua quærunt, non quæ Iesu Christi, ad unam illã civitatem pertinent, quæ dicitur Babylonia mysticè, & habet regem diabolũ. Omnes autẽ qui ea quæ sursum sunt sapiunt, qui cœlestia meditantur, qui cũ solicitudine in seculo vivunt, ne Deum offendant, qui cavent peccare, quos peccantes non pudet confiteri, humiles, mites, sancti, justi, pii, boni, oẽs ad unã civitatẽ pertinent, quæ regem habet Christũ. Illa (*.scil. civitas diaboli.*) in terra quasi major est tempore, non sublimitate, non honore. Civitas illa prior nata, civitas ista posterior nata. Illa enim incepit à Cain, hæc ab Abel. De secundà falsæ antiquitatis specie accipe illud *Cæcilii, Oratoris pagani apud Minutium Felicem* : Quantò venerabilius ac melius, antistites veritatis majorum excipere disciplinam, religiones traditas colere, deos, quos à parentibus antè imbutus es timere, quàm cognosse familiariùs, adorare: nec de numinibus ferre sententiam, sed prioribus credere. His verbis idololatria appellatur antiqua: cùm revera sit heri vel nudiustertius nata. Contra utramque falsæ antiquitatis speciem teneantur illa. *Clemens I. Romanus Episcopus lib. 4. recognit.* eleganter ait: At dicunt Gentiles: Impium est, si non colamus ea quæ nobis tradita sunt à patribus nostris, & religionem prævaricamur à majoribus datam. Hac ratione, si cujus pater latro fuit aut leno, à patribus sibi datam consuetudinem non mutabit. *Lactant. lib. 5. divin. instit. c. 20. sic ait de ethnicis:* Inhærentes persuasioni vulgari, libenter errant, & stultitiæ suæ favẽt. A quibus si persuasionis ejus rationem requiras, nullam possint reddere, sed ad majorum judicia confugiant, quòd illi sapientes fuerint, illi probaverint, illi scierint; quid esset optimum: seque ipsos sensibus spoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. *Basilius Magnus in epist. ad Eustathium Medicum*: Illi (*.Ariani.*) accusantes hoc proferunt, quia

consue-

consuetudo ipsorum hoc non habet: sed Scriptura non assentitur. Quid igitur ad nos hoc? Non putamus justum esse, obtinentem apud ipsos consuetudinem, legem ac regulam facere rectæ doctrinæ. Si enim fortis res est ad rectitudinis demonstrationem ipsa consuetudo, oportet & nos omninò illos sequi. Igitur Scriptura diuinitùs inspirata arbiter à nobis constituatur, & apud quos inventa fuerint dogmata divinis sermonibus concordantia, his omnino etiam veritatis suffragium accedet. *Ambros. lib. 5. epist. 31. Sic introducit Christianam Romam loquentem, & refutantem Symmachi urbis præfecti, hominis ethnici, relationem:* Quid mihi veterum exempla profertis? Odi ritus Neronum. *Et mox:* Pœnitet lapsus, & vetusta canities pudendi sanguinis traxit ruborem. Non erubesco cum toto orbe longæva converti. Verum certè est, quia nulla ætas ad perdiscendum sera est. Erubescat senectus, quæ se emendare non potest. Non annorum canities est laudanda, sed morũ. Nullus pudor est ad meliora transire. *Simillimè Symmachus scribens ad Valent. Theodos. & Arcadium Auggg.* Si longa ætas, *inquit*, authoritatem religionibus faciat, servanda est tot seculis fides, & sequendi nobis sunt parentes, qui secuti sunt feliciter suos. Sera & contumeliosa est emendatio senectutis. *Augustinus tom. 2 epist. 48 refert, Donatistas, cùm rectiùs instituerentur, dixisse,* Durum est nobis traditionem parentum relinquere. *Idem tom. 4. libro quæstionum V. & N. T. cap. 114. de paganis ait*, quòd per traducem antiquitatis commendaverint suam fallaciam. *Et ibidem:* Pagani antiquitatis causâ verum se tenere contendunt. Quia quod anterius est, inquiunt, falsum esse non potest. Quasi antiquitas aut vetus consuetudo præjudicet veritati. Possent enim homicidæ, aut molles, aut adulteri, vel cæteri criminosi per hoc illicita sua defendere, quia antiqua sunt, & ab ipso mundi initio cœpta. *Bernhardus epist. 91. ait:* Recedant à me & à vobis qui dicunt, Nolumus esse meliores quàm patres nostri: tepidorum & dissolutorum se filios protestantes. Quorum memoria in maledictione est; quia manducaverunt uvas acerbas, quibus dentes filiorum obstupuerunt. Quæ cùm ita sint, religio vera non est æstimanda qualicunque antiquitate & duratione, nec consuetudine quantumvis diuturnâ; sed antiquitate divinâ, hoc est, ex eo, quòd à Deo, illo antiquo dierum, ortum ducit. Audiamus de tali antiquitate judicia Patrum. *Tertullianus in apologetico adversus gentes, c. 47. sic*

ait:

ait: Et hoc mihi proficit antiquitas, præstructa divinæ literaturæ, quò facilè credatur, thesaurum eam fuisse posteriori cuique sapientiæ. *Et mox:* Quis poëtarum, quis sophistarum, qui non omninò de Prophetarum fonte potaverit? Inde igitur philosophi sitim ingenii sui rigaverunt. *Et aliquantò pòst de hæreticis ait:* Expeditè præscribimus adulteris nostris, illam esse regulam veritatis, quæ veniat à Christo, transmissa per comites ipsius, quibus aliquantò posteriores diversi isti commentatores probabuntur. *Et in libro de præscriptionibus adversus hæreticos, cap. 6.* Nobis verò nihil ex nostro arbitrio inducere licet, sed nec eligere quod aliquis de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus adsignarunt. Itaque etiamsi angelus de cœlis aliter evangelizaret, anathema diceretur à nobis. *Item libro 4 adversus Marcionem c. 4.* Quis inter nos determinabit, nisi temporis ratio, ei præscribens authoritatem, quod antiquius reperietur, & ei præjudicans vitiationem, quod posterius revincetur? In quantum enim falsum corruptio est veri, in tantum præcedat necesse est veritas falsum. Prior erit res passione, & materia æmulatione. *Ibidem c. 5.* In summa, si constat id verius, quod prius; id prius, quod ab initio; ab initio, quod ab Apostolis: pariter utique constabit id esse ab Apostolis traditum, quod apud ecclesias Apostolorum fuerit sacrosanctum. *Idem de præscriptionibus adversus hæreticos c. 21.* Constat omnem doctrinam, quæ cum illis ecclesiis Apostolicis, matricibus & originalibus fidei, conspiret, veritati deputandã, id sine dubio tenẽtem, quod ecclesiæ ab Apostolis, Apostoli à Christo, Christus à Deo suscepit: reliquam verò omnem doctrinam de mendacio præjudicandam, quæ sapiat contra veritatem ecclesiarum, & Apostolorum, & Christi, & Dei. *Ibidem c. 32.* Ad hanc itaque formam provocabuntur ab illis ecclesiis, quæ licet nullum ex Apostolis vel Apostolicis authorem suum proferant, ut multò posteriores, quæ denique quotidiè instituuntur; tamen in eadem fide conspirantes, non minùs Apostolicæ deputantur pro consanguinitate doctrinæ. *Ignatius epistola ad Philadelphenses:* Audivi enim quosdam dicentes, Nisi Evangelium invenero in archivis, non credo. Talibus ego dico, ὅτι ἐμοὶ ἀρχεῖα ἐστὶν Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, οὗ παρακοῦσαι πρόδηλος ὄλεθρος, id est, Mihi Jesus Christus pro archivis est, quem nolle audire, manifesta pernicies est. *Arnobius lib. 2. adversus Gentes.* Religio-

nis authoritas non est tempore æstimanda, sed numine: nec colere qua die, sed quid cœperis, convenit intueri. *Cyprianus epist. 63 sect.* 11. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus, prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed veritatem; cùm per Esaiam Prophetam Deus loquatur & dicat, sine causa autem colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes. *Idem epist.* 71. Non vincimur, quando offeruntur meliora, sed instruimur. *Ibidem.* Non est autem de consuetudine præscribendum, sed ratione vincendum. *August. lib. 3. de baptismo cōtra Donatistas*: Veritate manifestata cedat consuetudo veritati: planè respondeo, quis dubitet veritati manifestatæ debere consuetudinem cedere? *Item:* Nemo consuetudinem rationi, & veritati præponat: quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit. *Idem tomo 6. lib. de utilitate credendi:* Sequere viam catholicæ disciplinæ, quæ ab ipso Christo per Apostolos ad nos usque manavit, & ab hinc ad posteros manatura est. Vidit hoc *Cæsar Baronius, quando to. 6. annalium ecclesiasticorum, in anno Domini* 490, non quamlibet antiquitatem sequendam judicavit, sed eam duntaxat, quæ conjunctam habet veritatem. *Et rursus tom. 2. in anno Christi* 118 *sect. 5. de traditionibus quas dibapho antiquitatis quidam vestiunt, satis cautè pronuntiat in hanc sententiam.* Ex quibus facile intelligas, in traditionibus habendum esse delectum, ut non mox ut quis se aliquid ex majorum traditione accepisse tradit (ut de Papia accidit) fidem illi omnes adhibeant: sed illam esse traditionem tenendam & amplectendam, quæ ab ecclesia catholica sibi authoritatem vendicat. Quæ postrema verba si intelligantur de traditione rituali, omnino probanda sunt: dummodo nomen ecclesiæ catholicæ non vendicetur ecclesiæ vrbis, sed intelligatur de ecclesia orbis. Sed finis sit hujus compilationis & coacervationis dictorum ex Patribus de vera & falsa antiquitate. Sufficiat nobis illud Christi *Matt.* 19. *A principio non fuit ita.* Hunc gladium assiduè rotemus, quando disputatur de trāssubstantiatione, cōcomitantia, genere sacrificii Christianorum, calice laicis ademto, Scripturis populo ablatis metu hæreseos, lingua in sacris non intellecta, traditionum etiam recentium authoritate, invocatione Sanctorum, adoratione imaginum, cultu reliquiarum, purgatorii credendi necessitate, indulgentiis, denique de tota ratione & modo legitimi cultus divini celebrandi, & superstitionibus infini-

infinitis in eum admiſſis. Quando, inquam, de hujuſmodi rebus incidit diſputatio, rotemus illum ex ore ipſo Chriſti manantem gladium: A PRINCIPIO NON FUIT ITA. Intellige hîc principium partim creationis ſeu primæ inſtitutionis eccleſiæ V. T. partim prædicationis Chriſti & Apoſtolorum, partim denique vigoris eccleſiæ ante annum Chriſti ſexcenteſimum. Hæc enim eſt antiqua, ut ita dicam, antiquitas, quam in religionis negotio ſpectare decet. Hãc ego antiquitatem in his paratitlis hinc inde in medium produco, & oculis τῶν φιλαρχαίων ſubjicio. Sed & hoc ago, ut φιλοκαινίας morbum ſi non perſanem, attamẽ mitigem. Digitum quippe intendo ad phraſeologiam canonicam & eccleſiaſticam. Tuum eſt, candide & pietatis antiquæ piæque antiquitatis ſtudioſe lector, hoc meum ſtudium benignè accipere, & his paratitlis uti tanquam clavi ſacroſanctæ theologiæ. Cùm enim hujus facultatis ea ſit natura, ut ſit omnium antiquiſſima, utpote origini ſuæ proxima: nemo non videt, optimam navari operam ab iis, qui antiquitatẽ primò primam, id eſt Scripturam ſacram, conjungunt cum antiquitate primæ proximâ, id eſt, cum doctoribus naſcentis eccleſiæ N T. & vigentis uſque ad annum ferè Chriſti ſexcenteſimum. Rurſus cùm philologia ita ſerviat Theologiæ, ut ſit interioris admiſſionis, arctioreque vinculo reginæ illi & dominæ ſit conjuncta: planum evadit, optimam quoque ab iis navari operam, qui phraſeologiam verè antiquam explicant, itemque aſſerũt à nova & inepta. Quæ duo in hoc opere adornando mihi fuerũt propoſita. Faxit Deus immortalis, ut hæ lucubrationes meæ, & aliorum omnium, qui in iiſdem literis excolendis deſudant, ad ſanctiſſimi ſui nominis gloriam, & eccleſiæ ædificationem cedant. Herbornæ Kalendis Junii. anno 1625.

INDEX
CHRONOGRAPHICUS
PATRUM, SCHOLASTICORUM, ET ALIORUM
Authorum, qui in his Paratitlis citantur.



Voniam interest ad antiquitatis ecclesiasticæ genuinam κρίσιν, *scire quo tempore vixerint authores, quorum testimonia in medium adducuntur, visum nobis fuit faciendum, ut hunc indicem chronographicum operi huic præmitteremus. Vbi velim observari tempus, quo author aliquis vixit, non uno modo notari. Aut enim nativitas, aut mors, aut ætas intermedia adnotatur. Interdum etiam tempus scriptionis alicuius libri attenditur: aut aliud accidens insigne respicitur. Sic v.g. Hieronymus obiit anno Domini* 422, *ætatis suæ* 91. *ut adnotat* Prosper *in* Chronico. *Natus itaque est anno Domini* 331. *scripsit proculdubio inde ab anno* 360. *usque ad an.* 422. *Itaque si quis scribat, Hieronymum floruisse anno* 331. 340. 350. 360. 370. 380. 390. 400. 410. 420. *non errat. Sed iam texamus* Indicem. *Scriptores ecclesiasticos hîc dicimus, qui neque inter* Patres, *neque inter* Scholasticos *referuntur.*

Barla-

Naucle-

FINIS.

PARA-



PARATITLA THEOLOGICA.

A & Ω. His duabus literis significatur id quod est primum & vltimū in aliquo genere. Nominatim Iesus Christus, æternus Dei Filius, se ita appellat *Apoc.* 1. *v.* 18. *c.*2.*v.*16.*c.*22.*v.*13. Declarationis causà additur *primus & vltimus*. Iis verbis se Deus describit *Esa.* 41.*v.*4.*&* 44.*v.*12. Exponitur *Esa.*43.*v.*10. Ante illum, qui verus est Deus, nullus fuit, neque vllus erit post eum: & omnino ante eum nihil fuit, & omnibus licet creaturis in nihilum relabentibus, ipse tamen immutabilis manet in æternum. Idem ergo dicitur, atque Deum esse ἄναρχον καὶ ἀτελεύτητον. Sic Deus est primus & vltimus in se & etiam principium & finis omnium quatenus ab ipso, per ipsum, & in ipsum sunt omnia *Rom.*11. Cum enim à Deo facta sint omnia, oportet ad illius vnius gloriam omnia referri. Quomodo hæc specialiter competant Christo, vide infra ad tit. VRIM & TVMMIM.

AARON. Fuit primus Pontifex maximus in populo Dei, typusque Christi sacerdotis æterni, cuius sacerdotium & sacrificium est ἀπαράβατον *intransitiuum*, hoc est, eiusmodi, quod morte sacerdotis non interrumpitur, neque devolvitur ad successorem aliquem. *Hebr.* 7. *vers.* 24. Hac de re insignis est locus apud *Athanasium orat.*3.*contra Arianos*: Fidelem obtulit victimam, perdurātem, scil. ac non intercidentem. Quæ enim secundum legem offerebantur, nihil fidei in se possidebāt: quippe caducæ prætereuntesque quotidie, & quibus noua purgatione opus erat. Contrà Salvatoris hostia semel oblata absolvit omnia, fidaque in omne tempus perdurat. Et Aharoni quidem successores dati sunt: & omnino legale sacerdotium, mortis & temporis progressu alios atque alios Pontifices accepit. Dominus autem sine transitione, & sine successore sacerdotium obtinens, fidus firmusque Pontifex fact⁹ est in perpetuum perseverando.

ABBA. Est Syriacum: à radice אָבָה *voluit*, *benè affectus est erga aliquem*. Quoties ergo Deum Abba, id est, patrem vocamus, summam eius erga nos clementiam atque misericordiam, vel potius στοργὴν, erga nos deprædicamus. Hæc vox iuxta Lutherum, aperit cœlos, & infernum claudit.

ABADDON. Hæc vox significat perditionem, & opponitur nomini *Iesus*, quēadmodum & vox *Apollyon*. Vtroque hoc nomine insignitur *Apoc.*9. rex locustarum

quem qui ſequuntur, relicto Salvatore Chriſto, illi meram perditionem conſequũtur præmium. Extra Chriſtum enim nulla eſt ſalus, ſed mera perditio: & qui illum deſerũt, in manus Abaddonis neceſſariò incidunt. Hîc non caret myſterio, quod Antichriſtus, rex ille locuſtarum, nomine Hebręo & Græco, nõ aliter atq; Dn. noſter Ieſus Chriſtus, inſignitur. Hoc nẽpe ideo fit, vt intelligamus Antichriſtum in vtroque Teſtamento, Veteri & Novo, eccleſiam infeſtare, & nocere Iudæis & Gentibus in Novo Teſtamento, quemadmodum Chriſtus eſt Salvator Veteris & Novi Teſtamenti, & Iudæis æquè ac Gentibus in N. T. datus eſt Salvator. Quis verò eſt Abaddon Veteris Teſtamenti? Reſp. Non tantum Antiochus Epiphanes, ſed etiam ſummus Pontifex poſt tempora Maccabæorum. Tum enim Phariſæi, Sadducæi, & alii tanquam locuſtæ militarunt Pontificibus apoſtatis & confundentibus regimen eccleſiaſticum & politicum in vnũ. Ad Novi Teſtamenti Antichriſtũ quod attinet, ſunt qui adnotant nomen *Hildebrand*, quod fuit Gregorii VII. antequam ad Papatum fuit evectus, convenire cum nomine *Abaddon*, non tantùm ſono, ſed etiam ſignificatione.

Abyssus. Eſt vorago infinitę profunditatis. De hac ſic annotat *H.K. in Amph.* Abyſſus eſt rerum naturalium, ſupernaturalium, ſpiritualium, divinarum, æternarum, & infernalium, profundiſſima, abſtruſiſſima, occultiſſima, imperſcrutabilis & ineffabilis cauſa, origo, ſedes, fons, receſſus, producens effectus admirandos, nullo humanæ rationis acumine comprehẽſibilis. Eſt autem abyſſus creationis *Gen.1. v. 2.* Eſt abyſſus Scripturæ ſacræ *Ezech. 47 Eccleſiaſt.1.v.2.& 24.v.8.* Eſt abyſſus providẽtiæ, *Pſ.139.toto.* Eſt abyſſus omnipotentiæ & ſapiẽtiæ divinæ, *Eſa.40.* Eſt abyſſus prædeſtinationis, *Epheſ.1.v.4. Rom.9.* Eſt abyſſus dilectionis, redemtionis, & meriti Chriſti *Ioh.3. Rom.5.* Eſt abyſſus iudiciorum Dei *Pſ.36.v.7. Eccleſ.38.* Eſt abyſſus humanæ miſerię & peccati. *Ier.17. v.9. Ezech.26.v.19.* Eſt abyſſus inferni *Apoc. 9.v.1.2.* Eſt denique abyſſus vitæ & gaudii æterni. *Ezech.31.v.4.*

Abram. Abraham. Mutatio nominis Abram in Abraham inter alia ſignificat vocationem gẽtium, ut Deus ipſemet explicat *Gen.17. 15. Quia patrem turba gentium conſtitui te.* Primò dictus fuit *Abram*, i.e. pater excelſus, utpote ex quo Chriſt⁹, ὁ ὕψιστος ἐν ἀνθρώποις, naſci debebat. Poſtea ſub renovationem fœderis dictus fuit *Abraham*, i.e. pater numeroſæ ſed cõfuſæ multitudinis. Atque hanc etymologiam Spiritus S. reſpicit iis in locis, ubi de vocatione gentium verba facit: nominatim *Eſa. 11. 9. Repleta enim eſt terra cognitione Domini, non aliter quàm ſicuti aqua fundum maris cooperiunt:* &c, *c.54 2.3. Dilata locum tentorii tui* (alloquitur autem ſynagogam Iudaicam) *& cortina habitationum tuarum extendantur, ne parcas. Produc in longum funiculos tuos, & palos tuos firma. Quia ad dextram & ſiniſtram erumpes, & ſemen tuum Gentes hæreditabunt.* Ubi radice פָּרַץ perquàm ſignificanter utitur, ut & impetum invaleſcẽtis in mundo fœderis gratuiti, & difficultatem articuli de vocatione Gentiũ, quæ ipſis etiam apoſtolis tantum negotii faceſſit, quaſi ad oculum demõſtraret. Quã in ſententiam Daniel *c.9.27.* Pronuntiat, Chriſtum effecturũ, ut prævaleſcat fœdus ad multos per ſeptimanam unam: Hebr. הִגְבִּיר De quo ipſe Chriſtus teſta-

-tur *Matth.9.37.& 21.12. Meßis copiosa est, sed operarii pauci.* Et, à *diebus Iohannis Baptistæ regnum Dei vim patitur, & violenti abripiunt illud.* De voce הַגִּבֹּיר nota, illam propriissimè loquendo significare, *Alicui virile robur & virtutem conferre, quâ valeat, & alius prævaleat.* Unde nomen גבור *heros fortis, virtute præditus*: quod tribuitur Messiæ ab Esaia *c.9.5.* q.d. heroica virtute præditus. Emicuit autem ista Christi virtus in munere prophetico, sacerdotali & regio: quia nõ docuit ut Pharisæi & Scribæ, sed quasi authoritatem habens: & morte sua vicit mortem, nobisque vitam attulit: erexit deniq; in cordibus nostris regnum, quod destruit regnum tenebrarum.

Absinthium. Mysticè significat amaram illam humanarum traditionum & opinionum farraginem, qua fontes & flumina Scripturæ sacræ inficiuntur, & animæ hominum corrumpuntur. Confer *Ier.9.14.c.23.34.& Apoc.* 8. Ubi notandæ sunt causæ propter quas Deus amara ista plaga homines afficit. Quia nẽpe 1. verbum ejus deserunt. 2. ipsi non obediunt. 3. propriæ rationis inventa sequuntur. 4. in his ipsis traditione Patrum nituntur.

Abstinentia mundi. In hymno Ambrosii, *Iam lucis orto sidere*, sub finem ita canimus:

Vt cùm dies discesserit,
Noctemq; sors reduxerit,
Mundi per abstinentiam
Ipsi canamus gloriam.

Hîc vox *mundi* accipitur passivè, hoc sensu: à mundo, id est à rebus, quas mundus habet in amoribus & deliciis. Hoc itaq; vult Ambrosius. Ut totum diem transmittamus sanctè abstinendo ab immundo hoc mundo.

Abstractum. Abstractum & concretũ in loco de persona Christi sic usurpantur, ut abst. actum sit nomen naturæ; concretum, personæ. Unde regula: *Communicatio idiomatum valet in cõcreto.* Hac de re *Damascenus lib.3. de orthod. fide c.4.* sic ait: Sciendum igitur, quòd deitatis & humanitatis nomen substantiarum, id est, naturarum, est repræsentativum: at Deus & homo, & de una natura ordinatur: quẽadmodum cùm dicimus, Deus est incomprehensibilis substantia, & unus est Deus: sumitur etiam de hypostasibus, ut particulariori suscipiente universalioris nomẽ, ceu cũ dicit Scriptura, propterea unxit te Deus, Deus tuus. Ecce enim Patrem & Filium ostendit. Et cùm dicitur, erat homo quidam in terra Ausitide: nam Iob solum ostendit. In Domino igitur nostro Iesu Christo, quia duas naturas agnoscimus, & unam hypostasin ex utraque compositam, quando naturas respicimus, deitatem humanitatemque vocamus. At verò, quando ex naturis cõiunctã hypostasin, quandoque ex utrisq; simul, Christum nominamus, & Deũ, & hominem secundùm idem, & Deum incarnatum; quandoque verò ex una partium, id est naturarum, Deum solum, & Filium Dei, & hominem solum, & filium hominis; & quãdoque ex sublimibus solis; quandoq; ex solis humilibus, Nam unus est, & hoc & illud similiter existens. *Et mox*: Divinitatem igitur dicentes, non de illa nominamus ea, quæ humanitatis sunt propria: nõ enim dicimus deitatem aut passibilem, aut creatam. Neq; de carne, id est humanitate, prædicamus ea quę deitatis sunt propria: nam neq; dicimus carnem, id est humanitatem, increatam. At verò de hypostasi, sive ex utraq; sive ex una naturarum, eam nominamus, utriusque

que naturarum propria illi adjicimus. Et *cis finem capitis*: Secundùm hoc possumus dicere de Christo, hic Deus noster in terra visus est, & hominibus conversatus est: & homo iste increatus est, impossibilis, & & incircumscriptus.

ACEDIA. Corruptè etiam dicitur *Acidia* & *Accidia*. Scholasticis theologis definitur *tristitia, quâ homo redditur tardus ad spirituales actus, propter corporalem laborem*. Est itaque pigritia seu non curantia circa res divinas, seu recessus à bono divino, cui mentem oportet ex necessitate inhorrere. Filias acidiæ dicunt sex: malitiam, rancorem, pusillanimitatem, desperationem, torporem, & evagationem mentis. Vulgatus Latinus interpres inde fecit verbum *acediari*, sive *acidiari*, *Sirach*. 22. *vers*. 16.

אַחֲרִית. Est finis & merces: quia merces finito labore tribuitur, tãquam ejus fructus. Ita salus animarum dicitur *finis fidei* ab apostolo: quod *Augustin. tractat*. 86. *in Ioh*. reddit *mercedem fidei*, & ait: Si nunc tempus est fidei, salus autem animarum merces est fidei; quis dubitet in fide, quæ per dilectionem operatur, peragendum diem ultimum, atq; in fine diei recipiendam esse mercedem &c.

ACOLUTHUS. Acoluthi olim in ecclesia dicebãtur sacerdotum ministri seu asseclæ. Nunc in Romana ecclesia cum cereo accenso sequuntur diaconum ad locum evangelii, & urceolos atq; ampullas ad sacrificium missæ præparant, ut subdiacono porrigant: aliter *ceroferarii*. Cæterùm de etymo vocis non constat inter etymologos. Alii enim acoluthos putant dictos à κωλύω, q. ἀκωλύτους, quòd non prohiberentur à consortio eorum, qui muniis ecclesiasticis fungebantur. Alii ἀκολούθους malunt ita dictos, quòd essent velut pedissequi sacerdotum. Et hæc notatio plerisque placet.

ACTIONES DEI AD INTRA & EXTRA. Actiones sive opera Dei usitatè ita distribuuntur: quia terminantur vel ad ipsum Deum, vel ad creaturas. In priori censu sunt illa, quæ terminantur ad essentiam Dei, ut intellectio qua Deus seipsum intelligit: itẽ ad personas, ut est generatio, processio. De operibus personalibus est vetus regula: *Opera Deitatis ad intra sunt distincta, seu divisa*, hoc est, certis psonis Deitatis propria. Quæ verò Deus extra se agit, tribus personis deitatis sunt communia, iuxta regulam: *Opera deitatis ad extra sunt indistincta, seu indivisa*, v. g. creatio, de qua eleganter ARNOBIUS: *Per verbum Dei omnia facta sunt, Patre loquente, Filio create, Spiritu sancto animante*.

ACTUS NOTIONALES. Quod Patres vocant τρόπον ὑπάρξεως & ἰδιώματα χαρακτηριστικὰ (*Damasc. l*. 1. *orat. fid. c*. 8. 11. 15.) id Scholastici appellant actus notionales & notiones in personis SS. Trinitatis: quòd his veluti notis internis distinguantur psonæ. Tales sunt ἀγεννησία, *innascibilitas*, Patris; γέννησις, *generatio*, Filii; & ἐκπόρευσις *processio*, Spiritus sancti.

ADAM. Est 1. Nomen proprium primi hominis, *Gen*. 2. & 3. *Rom*. 5. *v*. 14. 2. Nomẽ appellativũ, homo, homines *Gen*. 1. *v*. 26. 3. Nomen Christi, 1. *Cor*. 15. *v*. 45. 4. Nomẽ urbis, *Ios*. 3. *vers*. 16. Sæpe videas ab interpretibus confundi nomen *Adam* appellativum cum proprio. Sic *Ios*. 14. *vers*. 15. vetus translatio habet: *Adam maximus inter Enacim ibi situs est*. Hinc nata est opinio, Adamum sepultum esse eo loco, ubi Christus fuit crucifixus, quique inde sit appellatus *Golgotha*, id est,

est, locus calvariæ. Sed verti debuit appellativè, *Ille homo*, הָאָדָם. Porrò usitata est vox & phrasis in ecclesia, ut *vetus Adam* significet desideria carnis, sive corruptam naturam: & *novus Adam*, naturam instauratam per Christum. *Primus Adam* est parens universi generis humani: *secundus Adam* est Christus; parens universi generis humani reparati. Vide 1. *Cor*. 15. *vers*. 45. 46.

Ader. Author est Hieronymus, locum illum prope Bethlehemum, in quo pastores audiverunt vocem angelorum *Luc*. 2. appellatum fuisse *Turrim Ader*. In scripturis loci ita nominati, sive *Migdal-Heder*, bis tantùm fit mentio: *Genes*. 35. *v*. 21. *Mich*. 4. *v*. 8. Et apud Micheam quidem nullum est dubium, vel urbē ipsam Hierosolymam ita dici, vel aliquam ejus partem, ex qua tota urbs intelligatur. Multi veterum prodiderunt, sic quondam locum fuisse appellatum, ubi postea templum fuit extructum. In Genesi utrum idem locus intelligatur, an alius prope Bethlehem, dubitant Hieronymus, & alii interpretes. Verisimile est à Christianis inditam illi loco, ubi pastoribus vox angeli audita, eam esse appellationem: quòd putarent spiritu prophetico Jacobum *monstrasse iam tunc mysterium futurum*, ut loquitur Hieronymus in Traditionibus Hebraicis.

Ἀδελφόθεος. Est epitheton Jacobi, qui fuit frater Domini nostri Jesu Christi, ὅς ἐστι θεὸς εὐλογητὸς εἰς αἰῶνας.

Ἀδικεῖν. Propriè significat alicui facere injuriam, aliquem per vim opprimere. Vulgo vertunt nocere: quod non satis exprimit vim significationis, ut ex illo Aristotelis 2. *Rhet. ad Theod.* intelligi potest: τὸ ἀδικεῖν ἐστὶ τὸ βλάπτειν ἑκόντα παρὰ νόμον, *aliquem præter ius & contra leges opprimere*. Sic *Apoc*. 9 dicitur ministros Antichristi per caudam suarum capita ἀδικεῖν, h. e. injustè affligere homines, quatenus nempe sponsam Christi liberam & redemtam denuò in servitutem redigunt, ut eam primùm per summam injuriam à libero Dei verbi Dei pastu arceant, ejusque deinceps liberos in suorum stabulorum olentia fimeta recludant. Atque hoc est homicidium internum & spirituale, longè deterius externo illo & corporali. Apostolus 2. *Cor*. 7. ait οὐδένα ἠδικήσαμεν, οὐδένα ἐφθείραμεν. Quæ verba apostolus mutuatus est ab Heraclio Ephesio, qui *epistola* 1. *ad Hermodorum* idem de se confitetur, οὐ φθείρω, οὐκ ἀδικῶ οὐδένα τῶν ἁπάντων.

Adservatio Sacramenti. Veteres adservabant sacramentum, non ad ullam adorationem, vel publicam circumgestationem, sed ut privatim proximis diebus uterentur. *Tertull. lib*. 2. *ad uxorem*: Non sciet maritus, quid secretò ante omnem cibum gustes? & si sciverit, panem, non illum esse credit, qui dicitur. Huc spectat quod Hieronymus refert de Romana consuetudine communicandi *semper*, id est, quotidiè: idque, ut probabile est, in privatis ædibus. *epist*. 50. *ad Pammachium*: *& epist*. 28. *ad Lucinium*. Hoc probatur ex Basilio, qui *epist. ad Cæsaream* Patrit. scribit hoc modo: In Alexandria & Ægypto unusquisque de populo habet communionem in domo sua, acceptam à sacerdote sacrificante, & distribuēte. Sed & hæc adservatio quandoque à veteribus est improbata. *Orig. in Levit. homil*. 5. Dominus panem, quem discipulis dedit, dicendo, Accipite, manducate, non distulit, nec servari jussit in crastinum.

ſtinum. *Cõcilium Tolet.1.c.14.epiſt.2.* Quòd ſi remanſerint, in craſtinum non reſerventur, ſed clericorum diligentia conſumantur.

Adventus Christi. Duplex vulgo ſtatuitur *παρουσία*, ſive adventus, Chriſti. Prior, qui *demonſtratio etiam in carne mortali* ab Auguſtino appellatur, & à quibuſdam *Expiationis*, ſeu *Redemtionis* dicitur, humilis fuit, abjectus, contemtus, & mundo ignotus, in quo παθητὸς, καὶ ἄτιμος, καὶ ἀειδὴς voluit conſpici. Alter, qui *Iudicii* & *Liberationis ultima*, erit quidem & ipſe in carne, ſed gloria & majeſtate immortali ornata, ἔνδοξος, καὶ λαμπρὸς, καὶ ἐπιφανής. *Bernhardus* Adventum Chriſti triplicem ſtatuit: Unum ad homines, alterum in homines (qui Auguſtino dicitur adventus in eccleſiam.) tertium contra homines, hoc eſt, mundum, & principem ejus diabolum. Alii ſtatuunt quadruplicem Chriſti adventum: videl. in carnem; in urbem Hieroſolymam ad patiendum *Matth.* 21. in cor hominis; denique ad judicium.

Adulter. Eſt 1. qui alterius torum violat. 2. impius idololatra. 3. qui mundi voluptatibus planè immerſus eſt. Similiter accipitur vox *Adultera*, & *Adulterium*. Vide Concordantias Bibliorum vulgatæ verſionis. Eſt itaque adulterium carnale, & ſpirituale: & rurſus adulterium carnale eſt ſimplex, vel compoſitum. Adulterium ſimplex eſt vel ex parte viri, cùm maritus cognoſcit fœminam ſolutam: vel ex parte fœminæ, cùm ſolutus cognoſcit cõjugatam. Adulterium compoſitum eſt ex parte viri & fœminæ, quando conjugatus accedit ad fœminam conjugatam. Quod hic dicitur adulterium ex parte fœminæ committi, quando ſolutus cognoſcit conjugatam, non habet hunc ſenſum, quaſi ſolutus non adulteretur: ſed comparatè eſt intelligendum, quòd ſolutus non æquè graviter peccet atque conjugata.

Adultero-Christiani. Sic appellantur, qui Chriſtianam religionem ſuis dogmatibus perverſis adulterarunt: cujuſmodi ſunt ποτηριοκλέπται, qui uſum calicis è ſacra cœna ſacrilego auſu ſuſtulerunt, decalogum mutilarunt, ſimplicitatem baptiſmi contaminarunt, & omninò verbum Dei adulterarunt, id eſt, gloſſis ſuis impiis corruperunt ſcientes-volentes.

Ædifico. In concordantiis Latinis Bibliorum vulgatæ æditionis hæc ſummatim habentur de iſta voce. Ædifico propriè eſt conſtruo, ut *Gen.* 4.17. metaphoricè, eſt creare *Gen.* 2.22. continuare & conſervare familiam *Deut.*25.9. inſtaurare eccleſiam *Pſal.* 51.20. inſtaurare, erigere, & fovere homines, illosq; priſtinæ conditioni reſtituere *Iob* 22.23. *Ier.* 21.16. benedicere *Pſal.* 127.1. regere benè vel malè eccleſiam vel remp. *Ier.*1.10. *Mich.*3.10. rem familiarẽ curare ut decet *Prov.*14.1. excitare è mortuis *Marc.*14.58. ſapienter diſponere *Amos* 9.6. verbis & reipſa ſeipſum & alios in vera pietate inſtituere 1. *Cor.* 8.1.10.*c.*14.4.

Ægyptus. Eccleſia Romani Antichriſti appellatur Ægyptus, partim propter perſecutiones, quibus eccleſiam Dei affligit, partim propter plagas, quibus à Deo afficitur. Sanè plagarum Ægypti præcipuarum mentio fit *Apoc.* 11. ut ſunt Ulcera, Cruentati fluvii, Tenebræ, Ranæ, Grando. Quæ plagæ indicio ſunt, illa in regno Antichriſtiano peccata puniri, quæ olim divina Nemeſis in veteri Ægypto

pto

pto ulta est: qualia erant illa plusquàm bruta idolomania, ollæ carnibus repletæ, populiq; Dei crudelis & tyrannica oppressio, & contrà veri Dei ignoratio. Quo loco & illud adnotare oportet, ecclesiam Romanam in Apocalypsi quoque Sodomam & Babylonem appellari. Ad Sodomorum historiam primæ & quintæ phialarum effectus referri possunt: Babylonis autem septima plaga expresse meminit, phialaq; sexta mentione Euphratis exsiccati ad ejusdem historiam alludit. Quæ tamen omnia spiritualiter & mysticè intelligenda sunt.

Ἀειπαρθένος. Latinè per ὑφ' ἓν dices *Semper-virgo*. Est nomen Mariæ, matris Domini, de qua *Hilarius* ita canit:

Hæc Deum cœli, Dominumq; terræ
Virgo concepit, peperitq; virgo,
Atque post partum meruit manere
Inviolata.

Pertinet huc illud πολυθρύλλητον: Maria mansit virgo ante partum, in partu, & post partum. Et in hymno Fortunati, *Agnoscat omne seculum*, eleganter dicitur:

Radix Iessæ floruit,
Et virga fructus edidit,
Fœcunda partum protulit,
Et virgo mater permanet.

Mirabilis profectò hæc fuit conjunctio sive consociatio: ad quam Bernhardus annotat, tria longè diversissima hîc fuisse conjuncta, videl. virginem & matrem, Deum & hominem, animam & fidem. Qua de re poëta:

Mater virgo, Deus caro, Mens humana fidesq;:
Hæc ignota ipsis mystica cœlicolis.

Pertinet huc oraculum:

Virginitas, partus, discordes tempore longo,
Virginis in gremio fœdera pacis habent.

Prudentius eleganter ait, virginem gravidam factam

—— sub lege uteri, sine lege mariti.

Sedulius etiam ait, quòd Maria facta fuerit mater,

—— Fœtu clausa ingrediens, & clausa relinquens.

Putabant nempe veteres, Mariam utero clauso peperisse: quòd existimarent hoc pertinere ad formalẽ rationem virginitatis. Quod non ita est. Nam virum non cognoscere est illa formalis ratio, ut loquuntur. Hinc Græci Patres Mariam eleganter vocant ἄχραντον ἀειπαρθένον, *intaminatam semper-virginem*. Et rectè Prudentius:

Fit caro vivida Sermo Patris,
Numine quem rutilante gravis,
Non thalamo, neque iure thori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.

Ἀγέννητος. Eunomius, cùm de natura Filii malè sentiret, ut venenum suæ hæreseos incautis propinaret, vocem ἀγέννητος, *ingenit⁹*, de Patre usurpare cœpit. Fatetur Basilius contra Eunomium, pium esse vocis illius sensum: Et addit tamen: ἀλλ' ὡς οὐδαμοῦ τῆς γραφῆς κειμένην, καὶ πρῶτον στοιχεῖον οὖσαν τῆς βλασφημίας αὐτῶν, σιωπᾶσθαι ἂν δικαίως ἀξίαν εἶναι φήσαιμι: *Sed vt quæ nunquam in Scripturis extet, sitque istorum blasphemiæ primum elementum, iure dixerim dignam esse vocem quæ taceatur.* Verùm enimverò hæc vox ἀγέννητος rectè usurpatur de Patre, quatenus significat notionem seu characteristicam primæ personæ. Alioqui Filius & Spiritus sanctus æquè sunt ἀγέννητοι atque Pater, quatenus originem essentiæ, seu Deitatis suæ, nullam habent. Nimirum Pater est prima Trinitatis adorandæ persona, à se,

non

non ab alio, tum ratione essentiæ, tum ratione personæ existens. Filius est secunda persona, ratione personæ quidem à Patre existens, sed ratione essentiæ à seipso. Spiritus sanctus est tertia persona, à Patre & Filio συναϊδίως ratione personæ suæ procedens, ratione verò essentiæ, Deus à se cum Patre & Filio.

Agnus. Christus appellatur agnus partim ob innocentiam & puritatem, partim ob victimam, quam pro nobis obtulit. Hic est agnus ille

——— quem dulcis amor, quem
Suasit amor dulcis pro nobis fundere vitam:

Ut canit Scaliger: & ut Capitius,

Hic est, hic generis delet qui crimina nostri
Innocuus, verusq; Agnus ———
Qui revehit mundo, primo concessa parenti
Munera, & humanum genus omne in pristina reddit.

Vulgo *Agnus Dei* appellatur cereus ille agnus, quem consecrat ecclesia Romana. Hujus mentionem primi faciunt *Alcuinus de sabbato S. Paschæ, & Amalarius de eccles. officiis l. 1. c. 7.* Unde colligere est prioribus & purioribus seculis hanc superstitionem fuisse ignotam in Ecclesia.

Agenda. Agenda, æ; & Agenda, orum; est descriptio quædam ordinis servandi in sacris celebrandis. Græci vocant λειτυργίαν & ἀκολυθίαν. Latini *Ordinem Agendi, & Officium.* In Ritualibus Hebræorum partim ejusdem, partim affinis significationis sunt הכרנה q. d. *forma agendi*: סֵדֶר *ordo*: מחזור, ut si dicas, *Circulum in se redeuntem.* Vide infra Liturgia.

Agur. Occurrit hoc nomen semel duntaxat Proverb. 30. v. 1. Putant autem quidam, tempore Salomonis fuisse virum quendam integræ vitæ & magnæ sapientiæ, nomine Agur: cujus dicta & sententias Salomon trāstulerit in librum suum: & hujus viri socios, vel discipulos fuisse *Ithiel & Uchal*, ad quos locutus sit Agur. Alii verò putant, Agur hunc fuisse Salomonem. Sonat enim אָגוּר cōgregationem. Salomon autem congregavit verba sapientiæ; & evomuit, sive depromsit ea: id quod יָקֶה significat. Itaque Salomon hoc modo fuerit בִּן יָקֶה אָגוּר Agur filius depromentis, seu evomentis. Verùm simplicius est, si dicamus, istum Agur, filium Jake, fuisse virum à Salomone diversum, qui fuerit homo Ithieli & Uchali charus, id est, Deo dilectus. Vide tit. *Ithiel & Uchal.*

Aer. Mysticè significat genitalem vigorem, quem ecclesia percipit ex verbi Dei libera prædicatione. *Apoc. 9. v. 2. c. 16. v. 17.* Ratio allegoriæ est: quia aër est quoddam veluti balsamum, quo sustentatur vita nostra. Est enim in aëre spiritus quidam vivificus. Unde humiditas oleosa à medicis & physicis plurimùm commendatur. Dicitur autem in apocalypsi aër obscuratus & infectus, i. e. ecclesiæ vigor debilitatus per fumum traditionum.

Æternitas. Alia est à priori, alia posteriori. Illa est solius Dei, & eleganter definitur à Boëtio, *interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio.* lib. de consol. philosoph. Nimirum æternitas Dei non tantùm in eo est posita, quòd caret principio & fine, sed in eo potissimùm, quòd vita ejus non fluit, sed stat: nec in ea ulla est successio partium (sic enim vitæ suæ aliquam portionem jugiter amitteret) sed totam suam vitam & perfectionem simul eodemq; momento possidet. Atque ut homini sedenti ad ripam fluminis,

nis, sola aqua præsens est, quæ ei hoc temporis puncto obversatur, at non ea pars fluminis quæ nondum accessit, nec ea quæ dudum recessit: eidem verò homini totum flumen præsens esset, si supra summam aëris regionem evectus, uno aspectu fontem & ostium fluminis posset aspicere: ita oculo Dei, qui est supra tempus, simul eodemque momento obversatur totus rerum labentium fluxus, nec ei quidquã affluit, ut nec quidquam effluit, quia omnia sunt ei præsentia.

AGAPE, & plurali numero AGAPÆ. Fuit convivium Christianorum in primitiva ecclesia: de quo ita *Casaubonus exercit. 16. num. 31.* Præter cœnam mysticam fuit Christianis in usu aliud convivium, quod Tertullianus etiam *Cœnam* appellat, fusè describens Apologetic. c. 29. Vulgo *Agape* dicebatur. *Et paulò post:* Hæc cœna à mysteriis toto genere diversa fuit: & postea templis est ejecta, ac tandem penitùs sublata. Sic ille. Nimirum Agape erat convivium clericis vel pauperibus exhibitum charitatis ergò: sed tandem propter abusum fuit sublatum, & prohibitum canone 28. Concilii Laodiceni.

ALBI. In Arabico tractatu de vitis quatuor euangelistarum, quem vulgavit Kirstenius, Apostoli dicuntur *Albi*: sive quòd albis uterentur vestibus, sive propter doctrinæ candorem, sive propter vitæ puritatem, sive denique quòd Christus *Luc. 22. v. 31.* apostolos comparaverit tritico, ex quo paratur panis albissimus. Porrò Dominica prima post Pascha vocatur *Dominica in Albis*; quia baptizati die Paschæ incedebant vestibus albis, quas deponebant exacta hac Dominica: quæ alio nomine appellatur *Dominica Quasi modò geniti*, ex 1. Petr. 2. v. 2. nimirum à textu Introitus, Quasi modò geniti infantes.

Ἄκρατον. Est vinum merum, non mistum, non dilutum aqua. Hujusmodi vinum in Eucharistia non esse adhibendum, contendunt Patres. Existimant enim Christum discipulis suis vinum aqua mistum propinasse, habita ratione orientalis & calidissimæ regionis. Quidam etiam, non habita ratione discriminis regionum & differentię vinorum, necessariam esse vini & aquę mistionẽ contendunt, & mistione illa docent significatam Christi & ecclesiæ adunationem & copulationem: quam significationem pluribus persequitur *Cyprianus epistola ad Cæcilium de sacramento Dominici calicis.* Verùm enimverò diligenter considerandum est, Christi in instituendo Eucharistiæ sacramento cõsilium, nempe ut spiritualis alimonię, id est, sui ipsius *κοινωνίαν*, sub communis cibi & potus symbolis repræsentaret. Ideo sicubi cõmunis potio est ἄκρατον, adhibeatr in Eucharistia. Quod attinet ad argumentum à circumstantia regionis Judaicæ petitum, illud non est necessarium. Quid si enim Christus ἄκρατον bibit, & discipulis porrexit? Itaque hæc res annumeretur adiaphoris.

ALIENUS. Ambiguè sumitur hæc vox. Nam 1. alienus est, qui planè ad nos non pertinet. 2. alienus est, qui extra nos quidem est, veruntamen ita, ut ad nos pertineat certo respectu. Posteriori sensu dicimur justificari corã Deo, non propria, sed aliena justitia, nempe justitia Christi, qua nostra fit per applicationem geminam; unam ex parte Dei, alteram ex parte fidei. Rectè itaque *Bernhardus epist. 190. ad Innocentium Papam*: Quid enim ex se

agere poterat, ut semel amissam justitiam recuperaret, homo servus peccati, vinctus diaboli? Assignata est ei proinde aliena, qui caruit sua. *Augustinus tomo* 8. *in psalmum* 30. Quia non invenisti in me justitiam meam, erue me in tua, hoc est, illud me eruat, quod me justificat. *Et super psalm.* 70. In justitia tua erue me. Non in mea, sed in tua. Si enim in mea, ero ex illis, de quibus ille ait: Ignorantes Dei justitiam, & suam volentes constituere, justitiæ Dei non sunt subjecti. *Anselmus super Rom.* 5. Per unius justitiam venientem in omnes homines electos, itum est in justificationem, ut participatione justitiæ Christi justificentur. *Gregorius Nyssenus orat.* 2. *super Cantic.* Christus in se translatis peccatorum meorum sordibus, puritatem suam mecum communicavit, meque pulchritudinis ejus, quæ in ipso est, participem fecit: postquam ex deformi primùm me amabilem fecit, ita deinde amore complexus est. *Augustinus enchiridio ad Laurent. cap.* 41. Ipse ergo peccatum, ut nos justitia: nec nostra, sed Dei: nec in nobis, sed in ipso: sicut ipse peccatum non suum, sed nostrum: nec in se, sed in nobis. *Idem tomo* 10. *serm.* 61. *de verbis Domini sub finem*: Ut nos simus justitia Dei in ipso. Si enim non in ipso: nullo modo justitia. Si autem in ipso, totus nobiscum vadit ad Patrem: *Idem serm.* 6. *de verbis apostoli*: Ipsum Christum, qui non noverat peccatum, Deus Pater pro nobis peccatum fecit, ut nos simus justitia Dei in ipso. Videte duo: Justitia Dei, non nostra: in ipso, non in nobis. *Idem tom.* 9. *tractatu* 3. *in Iohan.* Omnes qui ex Adam cum peccato, peccatores: omnes qui per Christum justificati, justi, non in se, sed in illo: nam in se si interroges, Adam sunt: in illo si interroges, Christi sunt. *Bernhardus sermone* 61. *super Cantica.* Domine memorabor justitiæ tuæ solius. Ipsa est enim & mea. Nempe factus es mihi justitia à Deo. Numquid mihi verendum, ne non una ambobus sufficiat? Non est pallium breve, quod secundùm prophetam non possit operire duos. Justitia tua justitia in æternum. Quid longius æternitate? Et te pariter & me operiet largiter larga & æterna justitia. Et in me quidem operit multitudinem peccatorum, in te autem, Domine, quid nisi pietatis thesauros, divitias honoris?

ALIUS & ALIUD. Hæc duo ita differunt, ut illud personam, hoc naturam significet. Hinc dicimus in Deo non esse ἄλλο καὶ ἄλλο, *aliud & aliud*, sed ἄλλον καὶ ἄλλον, *alium & alium*. Nam personaliter alius est Pater, alius Filius, alius Spiritus sanctus. At essentialiter non est aliud Pater, aliud Filius, aliud Spiritus sanctus. Nam esse Patris est esse Filii & Spiritus sancti. Sed esse Patrem non est esse Filium, & Spiritum sanctum. In Christo res aliter se habet. Nam ibi est ἄλλο καὶ ἄλλο, *aliud & aliud*, id est alia atque alia natura: sed non ἄλλος καὶ ἄλλος, *alius & alius*, id est alia atque alia persona. Hinc multa prædicantur de CHRISTO κατ' ἄλλο, id est, de persona Christi aliquid dicitur, quatenus illa denominatur ab altera natura. e. g. Dominum gloriæ crucifixerunt κατ' ἄλλο. Videtur, seq.

ALTERNATIO. Græcè ἀλλοίωσις, & ἀντίδοσις. Est ipsissima communicatio idiomatum. *Damascenus* 3. *de orth. fide. c.* 4. sic definit: Et iste modus est alternationis, alternatæque attributionis utriusque naturæ, alterutri propria vicissim reddentis propter hypostaseos identitatem.

titatem, & ipsarum in invicem immanentiam ac insessionem. Secundùm hoc possumus dicere de Christo, Hic Deus noster in terra visus est, & hominib. conversatus est: & homo iste increatus est, impassibilis, & incircumscriptus.

Amen. Idem est in precatione quod: Ita fiat: Etiam atque etiam: πεπλεσμένον ἔςω. Est formula partim optantis, partim asseverantis. Occurrit hæc vox in V. & N. T. Et in veteri quidem testamento *Deut.* 27. *v. ult. Et dicet omnis populus Amen*, id est, Sit verum, sit ratum *Esa.* 65 *v.* 16. Qui juraverit, jurabit בֵּאלֹהֵי אָמֵן h. e. in Deo veritatis, vel, ut alii malunt, jurabit Amē in Deo. In psalmis libri distinguuntur hac voce. Ubi enim scribitur in Hebręo in fine versuum אָמֵן אָמֵן, ibi novus incipit liber: ut *Psal.* 41. & ita in reliquis. In N. T. Christus aliquoties asseverando dicit, Ἀμὴν ἀμὴν λέγω ὑμῖν. Quæ formula non rectè dicitur esse jurantis: cùm sit vehementer & seriò asseverantis. In formula precationis, quam Christus docuit, vocula Amen est signaculum orationis, ut loquuntur. Receptum quoque fuit in primitiva ecclesia, ut populus post recitatas preces responderet Amen. Hoc autem nemo rectè dixerit, qui preces non intelligit. Talis quoque mos fuit apud Judæos, ut constat ex *Massecheth Succa*: ubi, inter alia, hæc leguntur: *Suggestus ligneus in medio erat, & lector synagogæ in eo stabat, ut legem recitaret. Et synagogæ præfectus Sudarium circumagebat, & ipsi respondebant Amen.* Hic mos videtur sumtus ex *Deut.* 27. quem locum paulò ante allegavimus. Hîc non ab re fuerit observare, quod Talmadici, suorum hominum somnolentiam carpentes, dicunt, triplex esse Amen, nimirum יְתוֹמָה *pupillum*, חֲטוּפָה *surreptitium*, & קְטוּעָה *sectile* Quodnam est Amen pupillum? Respondet Rabbi Henna: Est cùm quis precatione tenetur, nec intelligit, quod respondet. Surreptitium, cùm surripit & dicit Amen, antequam absolvatur precatio. Sectile, cùm secat in duas partes, nempe oscitanter audiens, & alias res agens.

Amor. Hoc nomine Christus insignitur. Ita enim *Ignatius*: Amor meus crucifixus est. Quod fertur semper in ore habuisse. Sic *Augustinus*: Ama, *inquit*, amorem illum, qui amore amoris tui descendit in uterum virginis, & ibi amorem suum amori tuo copulavit, humiliando se, sublimando te, conjungendo lumen suæ æternitatis limo tuæ mortalitatis *Eodem* sensu appellatur *ardor*, in hymno: *Iam quod quæsivi video*: ubi cis finem ita canitur:

Iesus flos matris virginis,
Ardor nostra dulcedinis.

Cæterùm amor Dei dicitur activè & passivè. *Activè* amor Dei est, quo ille nos complectitur. Estque antecedens, vel consequens. *Amor Dei antecedens est*, qui antecedit omnes causas, ut *Iohan.* 3. 16. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Hic amor est veluti ςοργὴ, de qua poëta

Δεσμῷ γὰρ συνέδησε θεὸς τοκέας τε γονεῖς τε.

Hæc storge est causa beneficiorū quæ Deus in nos confert, tanquam pater in filios. Amor Dei consequens est quo Deus nos amat ꝓpter bonū datum: ut propter fidē & sanctimoniam. Hic amor est inter similes: prior ēt inter dissimillimos, ut inter Deum & nos in malis jacētes. *Amor Dei passivè* est, quo nos ipsum cōplectimur tāquam

quam Patrem. Estq; generalis, vel specialis. Ille nititur jure creationis & sustentationis: hic jure redemtionis. *Caritas Dei, cognitio Dei*, & alia hujus generis, similiter accipiuntur activè vel passivè.

ANAGOGE. Est modus applicādi verba Scripturæ, quo illa referuntur ad significandum vitam æternam: ut cùm Hierosolyma dicitur significare cœlestem patriam. Vulgo appellatur *sensus anagogicus*: qui dicitur esse unus ex quatuor sensibus Scripturæ, qui hoc modo recensentur: *Sensus literalis, allegoricus, tropologicus, & anagogicus*. Sed tenendum est, unicum duntaxat esse sensum scripturæ, putà literalem: reliquos, qui dicuntur sensus, esse aliam atque aliam literæ accommodationem seu applicationem.

Ἀναλῦσαι. Duorum sanctissimorum virorum, Simeonis & Pauli unū votum est, sed dispari de causà. Mori uterq; cupit: alter, quia Christum viderat: alter, quia Christum videre desiderat. Verbis etiam penè iisdem utuntur. Simeon: *Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου, Nunc dimittis servum tuum* Luc. 2. h. e. Nunc sine me mori. Nam ita accipitur verbum ἀπολύεσθαι *Gen.* 15. *& Num.* 20. Nō alia mens Apostolo *Phil.* 2. *v.* 23. nisi quòd significantiore verbo utitur, videl. ἀναλῦσαι: quod nec dissolutionem, ut vertit vulgatus, nec dimissionē, ut reddit Beza, sed migrationem, reversionem, & reditum significat. Neque n. apostolus dixit ἀναλύεσθαι, passivè, sed ἀναλῦσαι, forma activa; quod hoc loco est ἀπελθεῖν, ἀπιέναι, migrare, scil. ad Dominū, sive in patriam: ita ut non sit sermo de dissolutione animæ & corporis (quę horrorem incutit carni) sed de abitu ad Christum, qui non potest nō exhilarare quoties illum cogitamus. Quòd autem ἀναλύειν sit redire domum, constat ex *Luc.* 12. *v.* 36. 2. *Maccab.* 9. *v.* 1. *Sap.* 2. *v.* 1. Sic quoq; apud Patres usurpatur vox ἀναλύειν. *Dionysius hierarchia ecclesi. c.* 3. ἀναλύσας δὲ πάλιν ἐπὶ τὸ θεῖον θυσιαστήριον, *Reversus verò iterum ad divinum altare*. Nyssenus orat. in Basiliū fratrem: προτιμωτέρα τοῦ πεπλανομένου βίου ἡ πρὸς δεσπότην ἀνάλυσις, *Potior profectò perfectiorq; erranti hac vita reversio ad Dominum*. Nazianzenus oratione ad eos qui ex Ægypto venerant, de Petro Athanasii jam mortui successore loquens, inquit: ὁ δὲ πρὸς τὴν αὐτὴν κατάλυσιν ἢ ἀνάλυσιν ἐπὶ τοῖς αὐτοῖς ἄθλοις ἐπείγεται, *Hic verò ad eandem dissolutionem vel reversionem ob eadem præmia festinat*: ubi κατάλυσιν, mortem; ἀνάλυσιν, reversionem ad superna loca intellexit. *Hieronymus* 2. *apologia adversus Ruffinum* utitur verbo *reverti*. *Tertullianus lib. de patientia* hunc locum Apostoli elegāter ita interpretatur: Cupio recipi jam & esse cum Christo. Rursus Nyssenus ait ὅταν γὰρ ἀναλύσῃ, τότε σὺν Χριστῷ γίνεται *Vbi autē migrarit, cum Christo est*. Huc proculdubio respexit Christianus I. Elector Saxoniæ, qui moribundus an. 1591. 25. Sept. subinde ingeminavit hæc verba, **Jch begehre außgespannet zu seyn.**

ANATHEMA. Ἀνάθεμα, seu ἀνάθημα, est vox generalis, significās tum id quod servatur ac consecratur, tum id quod è medio tollitur & perditur. Est itaque synecdoche, quando significat rem perditā in specie, vel rem sanctificatam & Deo consecratam. Sic *Luc.* 21. *v.* 5. templum dicitur ornatum bonis lapidibus, & ἀναθήμασι, h. e. donariis Deo dicatis, & in templi certa parte sepositis. Hinc *Iustin. q.* 121. ait: Ἀνάθεμα id dicitur, quod Deo est dedicatum atq; destinatū (ἀνακείμενον καὶ ἀφωρισμένον) & in communem usum amplius non conver-

convertitur: aut id, quod à Deo per malitiam est abalienatũ, τὸ ἀπηλλοτριωμένον θεοῦ διὰ κακίαν. Κατάθεμα verò est eorum, qui se pacto conjungunt anathematizantibus & exsecrantib. Cęterùm ἀνατιθέναι non tantùm dicitur de rebus, sed etiam de personis: ut apud *Iustin apol.2. pro Christianis*, ἀνεθήκαμεν ἑαυτοὺς τῷ θεῷ καινοποιηθέντες διὰ τοῦ χριστοῦ, *Dicavimus nos Deo, per Christum renovati*. Ita *quæst*.21. *&* 52. homines ἀνακείμενοι θεῷ, *qui se Deo dicarunt*. Tertullianus ἀνάθεμα vertit *devotamentum*, quod scil. devotatum est, hoc est, planè devotum, seu voto subtractum de communi usu. Quidam distinguunt inter ἀνάθημα, & ἀνάθεμα. Illud vocant donarium, hoc rem æterno exitio destinatam. Illius exemplum est *Luc*.21.*vers*.5. de quo paulò antè, hujus *Rom*.9.*v*.3. ubi Apostolus optat anathema esse à Christo, pro fratribus suis, hoc est, deleri ex Christianorum numero, modò sic possent Iudæi ad fidem in Christum adduci & servari.

ANGELI BONI. Hos Alcimus ita scribit

——*Cœtus famulantia suetus*
Ferre ministeria, & iußis parere supernis.

Appellantur etiam πνεύματα λειτουργικά, ἀκίνητα τῇ θεοῦ χάριτι, πρὸς τὸ κακὸν, *Spiritus ministratorij, immobiles, Dei gratiâ, ad malum*. Hi, ut canit Alcimus,

-----*Iustos fragilis dum vita fatigat,*
Tutantur, mundiq; inter discrimina servant.

Hos Dionysius discrevit in trinos ornatus, ut loquitur *Damascenus libro secnndo, de orth. fid. capite tertio*. Primum quidem dicit illum esse, qui circa Deum semper & è vicino & immediatè uniri traditus est: estque Seraphim sexti pennatorum, & Cherubim multioculorum, & sanctorum thronorum. Secundum autem, qui dominationum, & virtutum, & potestatum est. Tertium verò, & in fine constitutum, eum qui est principatuum, archangelorum, & angelorum. *Hac Damascenus*. Sed tenendum est, ante 400. à Christo annos, neminem veterum docuisse, novem distinctos esse angelorum ordines seu hierarchias. Itaque Dionysium, qui hos ordines tradidit, non est ille Areopagita, cujus Acta meminerunt. Quidam è veteribus aliquando hanc distinctionem evertunt. *Theodoret. in Colos*.1. Existimo eum thronos dicere Cherubim (divinum enim thronum super eos vidit positum Propheta Ezechiel) dominationes autem, principatus, & potestates, eos, quibus credita fuerat cura gentium. *Augustinus enchir.c*.58. ait, omnes generali nomine angelos dici: & vtrum archangeli nominentur virtutes, *& quid inter se distent quatuor ista vocabula* (sedes, dominationes, principatus, & potestates.) *dicant qui possunt; si tamen possunt probare quod dicunt: ego me ista ignorare confiteor*.

ANGELUS. Hæc vox tria significat in Scripturis. 1. Spiritus creatos, corporis societate non gaudentes: eosque vel in genere, *Rom*.8.38. vel in specie bonos, *Hebr*. 1.*vers*.4.5.6.7.13. aut malos, *Matth*.25.41. 2. Filium Dei *Zach*.1.2.3.4.5.*&* 6. 3. Fidos Dei servos: ut Johannem Baptistam, *Malach*.3.*v*.1. *Matth*.11.*v*.10: & pastores ecclesiarum, *Apoc*.1. *&* 2. Quod attinet ad bonos angelos, de officio illorum tenendum, quòd illud, Theodoreto teste, consistat partim ἐν τῷ ὑμνεῖν; cujus illustria exempla sunt passim in Apocalypsi, & *Esa*.6. unde à Phosphoro illo Theologorum, Nazianzeno lib.2. de Theol. appel-

lantur ὑμνῳδοὶ θείας μεγαλειότητος, θεωροὶ δόξης ἀϊδίου, καὶ ἀϊδίως: partim ἐν τῷ διακονεῖν, de quo *Hebr.* 1. Nostrum est imitari hoc officium angelorum, & semper oculis & animis nostris circumferre illud *Bernhardi in explicatione Psalmi*, Qui habitat &c. *serm.* 12. In omni loco, in omni angulo, reverentiam habe tuo angelo, neque illo præsente facias, quod me præsente erubesceres. Et hoc *Basilii in Psalm.* 33. Παντὶ πεπιστευκότι εἰς τὸν Κύριον ἄγγελος παρεδρεύει, ἐὰν μήποτε αὐτὸν ἡμεῖς ἐκ τῶν πονηρῶν ἔργων ἀποδιώξωμεν. Ὡς γὰρ τὰς μελίσσας καπνὸς φυγαδεύει, καὶ τὰς περιστερὰς δυσωδία ἐξελαύνει· οὕτω καὶ τὸν φύλακα τῆς ζωῆς ἡμῶν ἄγγελον ἡ πολύδακρυς καὶ δυσώδης ἀφίστησιν ἁμαρτία, *Omni credenti in Dominum angelus assistit, nisi fortè illum nos malis nostris operibus abigamus. Sicut enim apes fumus fugat, & columbas fœtor abigit, sic custodem vitæ nostræ angelum, multis lachrymis deflendum & fœdum abigit peccatum.*

ANGELUS FACIERUM DEI. Hoc titulo Esaias *cap.* 63.9. Messiam intelligit: qui appellatur *Angelus facierum* eo sensu, quo *Hebr.* 1.3. dicitur ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, id est, *resplendentia gloriæ, & character personæ illius*: sive, ut idem Apostolus *Coloss.* 1. 15. loquitur, *Imago Dei invisibilis*. Cæterùm Esaias non dicit מַלְאַךְ הַפָּנִים *Angelus facierum*: sed מַלְאַךְ פָּנָיו *Angelus facierum eius*, perinde ut Paulus, χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. *Eius*, id est, personæ Patris. Sed videamus verba Esaiæ: *In quacunque angustiâ eorum ipse non afflixit eos, sed angelus facierum eius salvavit eos*: quasi dicat, Angelus ille, in quo æterni Patris facies perfectè relucet, & qui coram facie Dei pro nobis intercedit, suum salutare officium semper & ubique interposuit, per quod servati sunt. Et ideo dicit *vers.* 10. *Tulit & portavit eos omnibus diebus æternitatis*: ut ostendat hoc officium ei proprium & æternum esse, ut sit perpetuus Dei Patris commissarius, & legatus natus cum plena & hæreditaria potentia, adeoque non vulgaris angelus, sed angelorum ministrantium Dominus.

Vide plura ad seq. titulum.

ANGELUS FOEDERIS. Hic est titulus Messiæ apud Malachiam *cap.* 3.1. & docet, fœdus illud à condito mundi cum Patriarchis super nulla re alia, quàm super Christo eiusque officio percussum fuisse; cuius nempe officii vis & ratio, per addita sacrificiorum signa præfigurata, & credentibus obsignata fuit: qui etiam nulla re alia, teste epistola ad Hebræos *cap.* 11. 4. Sacrificia sua Deo probarunt, quàm fide in Christum, tanquam fœderis, cuius fiducia nitebantur, fecialem, arbitrum, vadem, intercessorem, & defensorem. Quæ omnia continentur appellatione *Angeli fœderis*: quem propterea Rabbini nonnulli ex vetustissima Cabbala אִישׁ בֵּצַיִם, q. d. virum intermedium, sive mediatorem. Vide librum Cabbalisticum, qui inscribitur עֵין יַעֲקֹב *Fons Iacobi*. Porò hoc Messiæ attributum opponitur nomini *Satanas*, quem aliquis rectè מַשְׂטְנָא מַלְאַךְ, *angelum adversarium*, vel ex *Dan.* 11. 22. נְגִיד בְּרִית *adversarium fœderis*, dicere possit. Diabolus enim, quantum in ipso est, fœdus illud irritum fecit, cuius fundamentum & protector est Iesus Xps. Atq; ita ἔτυμον hoc *Apoc.* 12.10. explicat: *Quia deiectus est accusator fratrū nostrorū*, qui

q *accuſabat eos ante cõſpectũ Dei noſtri, die ac nocte*. Huc ꝑtinet, ꝙ Judęi etiamnũ, quando ſacramentum circũciſionis, quod מִילָה בְּרִית vocant, ſolenniùs adminiſtrant, tres ſellas in forma triquetra diſponunt: quarũ uni inſidet is, qui puerum circumcidẽdum tenet: alterã circumciſor occupat: tertia vacua relinquitur, quam dicunt poſitam eſſe angelo fœderis, utpote præſidi & protectori ſacramenti circumciſionis: quem angelum opponunt Samaeli, id eſt, angelo mortis. Porrò nullus angelus, qui eſt mera creatura, poteſt appellari angelus fœderis: quia, ut rectè annotat Vatablus, legatus fœderis dicitur ille, qui ſuo ſanguine novum fœdus confirmaturus erat. Unde liquet, angelum fœderis debuiſſe eſſe θεάνθρωπον, hoc eſt, Deum & hominem. Et Deum quidem, ut poſſet fœdus æternum confirmare: hominem verò, ut poſſet ſuo ſanguine confirmare. Idem iudicium eſt de titulo proximè præcedente. Nam *angelus faciei Dei* eſt, qui partim eſt imago Dei, tum in ſe, ratione æternæ generationis, tum nobis, ut in ipſo videamus Patrem, *Iohan*. 14. *v*. 9 Partim ut ſacerdos æternus appareat coram facie Patris, ibique pro nobis intercedit, atque adeo eſt in ſinu Patris, *Ioh*. 1 *v*. 18.

ANNA PROPHETISSA. *Lucæ* 2. *verſ*. 37. laudatur iſta Anna, quòd non diſceſſerit de templo, jejuniis ac deprecationibus ſerviens die & nocte. Hinc Baronius conatur elicere, Annam inhabitaſſe templum, & fuiſſe monialem. Sed errat. Eſt enim locutio petita è vulgo: qua denotatur aſſiduitas frequentandi loca ſacra. Simile eſt illud Pauli 1. *Timoth*. 5. *verſ*. 5. precibus immorari diebus ac noctibus. Deinde quod attinet ad teſtimonium Cyrilli Hieroſolymitani, quem Baronius dicit *Annam vocare monialem*: iterum errat. Nam Cyrillus dicit Annam fuiſſe ἀσκήτριαν, id eſt, *exercitatricem*. Quam vocem interpres Cyrilli vertit *monialem*. Quàm rectè, patet ex iis quæ infra adnotavimus de voce ASCESIS. Uno verbo: Eſt ineptiſſimè ſic verſum: quia ἀσκεῖν in genere notat ſeverius exercitium religionis Chriſtianæ, aut etiam virtutis cujuslibet. Apud Philonem locis infinitis ὁ ἀσκητὴς, ὁ ἀσκητὴς ἀρετῆς, & ὁ φιλάρετος, *exercitator*, *exercitator virtutis*, *& amans virtutis*, pro eodem ponuntur. Eidem in libro allegoriarum, Iſaſchar dicitur aſceta; & de Patriarchis loquens ſæpe meminit ἀσκήσεως, & τῶν ἐν ἀσκήσει, *exercitationis*, *& eorum qui verſantur in exercitatione*. Patres quoque nomen Aſcetæ tribuunt Patriarchis: ut *Clemens Alexandr. libro primo pædag*. οὗτος ἦν ἄνθρωπος ὁ ἀλείφων κατὰ τοῦ πονηροῦ τὸν ἀσκητὴν Ἰακὼβ, *Hic erat homo ille, qui aſcetam Iacob contra malitiam ungebat*. Et mox eadem verba repetit. *Ambroſius libro primo, de Abele capite quarto*, eundem Jacobum Patriarcham nominat *virum cognomento exercitationis præditum*. Et *Chryſoſtomus homiliâ in tres ſanctas* ait, Jacobum obiiſſe μυρίους ἄθλους, μυρία σκάμματα, μυρία παλαίσματα, *infinita certamina*, *infinitas vivendi rationes*, *infinitas luctas*, & plurimas coronas è certaminibus retuliſſe: quæ omnes locutiones propriè aſcetis veterum Græcorum conveniunt. Eodem ſpectat, quod *Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi* 3. ſcribit, JOHANNEM BAPTISTAM τῆς ἀσκήσεως τὸν τύπον ἐν αὐτῷ δεῖξαι, *formu-*

formulam in se ostendisse exercitationis, quam nempe sequerentur ascetæ sub lege gratiæ. Igitur si Anna debet haberi monialis, quia idem Cyrillus illam nominavit asceteriam; etiam Issaschar, Iacob, & alii exactioris disciplinæ pii sub lege fuerint monachi.

ANTICHRISTUS. Vox hæc significat non tantùm adversarium Christi, sed etiam ipsius vicarium, q.d. Pro-Christus, & generalis ipsius in cœlo, terra & inferno vicarius. Rursus Antichristus κατ' ἐξοχὴν est magnus ille Christi tum adversarius, tum vicarius, cujus regnum Spiritus sanctus *Apoc.* 16. resolvit in tres partes principales, Draconem, Bestiam, & Meretricem. Intellige regnum Antichristi, quatenus illud jam ad perfectionem suam deductum est, Christoque & tripartito ejus officio directè adversatur, ita nimirum, ut illa omnia κακοζηλίᾳ quadam æmuletur, & veluti repræsentare studeat. Nam habet *os draconis*, per quod regia ipsius potestas, quam sibi ex donatione Constantini M. atrogat, intelligitur. Os draconis Johanni est vetus Romanum imperium seu Roma ethnica, à qua Pōtifex Romanus hanc dominandi libidinem est mutuatus. Deinde *os bestiæ* significat potestatem sacerdotalem, à qua omnis negotiandi, sive Pontificandi, h.e. cōsecrandi, expiandi, & offerendi, facultas imediatè pendet. Deniq; *os Pseudoprophetæ* indicat officium doctorale: per ꝙ Pontifex Romanus tam excellens est Propheta, ut habeat omnia jura in scrinio pectoris sui. Atque hęc est plenitudo potestatis Pontificiæ, quam diadema ipsius tergeminum sine dubio significat. Porrò ut Antichristus ipse est Cerberus triceps, putà œcumenicus rex, sacerdos & doctor: ita triplex est ipsius cohors. Et primò quidem rictui draconis accensentur עצרמים. *Robusti* illi, qui res Pontificis procurant, id est, seculares, devoti sedi Romanæ. Deinde ori bestiæ adjudicantur ecclesiastici superioris ordinis, putà legati à latere, & prælati, qui utriusque gladii potestatem habent. Denique ad Pseudoprophetæ classem pertinent monachi, Iesuitę, & reliqui ecclesiastici inferioris chori. Primi appellari possunt draconici; secundi, bestialitę; tertii, Scribæ Pseudoprophetæ. Videamus jam hujus regni Antichristiani interitum. Draco, Bestia & Meretrix sunt veluti tres orbes, qui se invicem includunt, ut Papatus sub Bestia, Bestia sub Dracone comprehendatur. Hos ita destrui oportere docet Johannes *Apoc.* 19. ut Meretrix, quæ & Babylon, quæ ultimo loco emerserat, primò; Bestia, quæ hanc antecessit, secundò; Draco autem, tanquam istorum Patriarcha, ultimo loco evertatur: quo in inferni abyssum recluso, diaboli in terris imperio finis imponitur. Videamus, quid veteres senserint de Antichristo. Illi ferme conjecturas adferunt. Aliquando tamen in Romana ecclesia quærendū subindicant. *Chrysostomus homil. in* 2. *Thess.* 2. 2. *homil.* 4. apertè asserit, Antichristum successorem Romano Imperatori, postquam Imperium è medio sublatum fuerit. *Hilarius ad Auxentium, Hieronymus ad Algasiam quæst.* 11. *& Oecumenius in* 2. *Thess.* 2. docent, Antichristum sedere non Hierosolymis, sed in ecclesia Dei. *Ioachim Abbas Revel. lib.* 10. *part.* 5. Nonnulli, *inquit*, sub specie sedis Dei, id est, universalis ecclesiæ, facti sunt sedes bestiæ, quæ est regnū Antichristi regnantis ubique in membris suis à principio ecclesiæ, i.e. in clericis

cis & monachis, & monasteriis. *Rursus*: Traditum est à nobis, quòd Roma est in spiritu Babylon. *Iterum*: Negotiatores terræ sunt ipsi sacerdotes, qui vendunt orationes & missas pro denariis, facientes domum orationis, apothecam negotiationis. *Rursus*: Scimus quòd non solùm nonnulli episcopi & sacerdotes implicãtur negotiis Babylonis, ut divites fiant, verùm etiam nonnulli abbates & monachi & religiosi: imò non qui sunt, sed qui esse videntur. *Otto Frising. Chron. lib.7. cap.3.* Habitudo quædam inter Babyloniam & Romam elucet. *Aventinus annal. l. 5. & 7.* author est, plerosque omnes tum principes, tum episcopos Germaniæ & Italiæ, Gregorium VII. & Johan. XXII. Antichristos dixisse & prædicasse.

Ἀντίδωρον. Propriè est *remuneratio*. Sed in prisca ecclesia hoc nomine dicebatur panis, qui locum obtinebat δώρου, id est, eucharistiæ. Hoc namque significat τὸ δῶρον, donum, ut ostendimus infra ad titulũ δῶρα. Cæterùm solebant partes panis consecrati in primitiva ecclesia mittere ad alias parœcias, aut ad peregrinos, ἐπιδημοῦντας, declarãdę dilectionis ergo & consensionis in fide. Hinc *Eusebius in quinta historia cap.26.* πέμπειν εὐχαριστίαν, *mittere eucharistiam*, id dixit. Postea illa consuetudo fuit prohibita in concilio Laodiceno. Similiter etiam Latini *eulogias* dixerũt frusta panis benedicti quidẽ, sed non in usum eucharistiæ; qui & mittebatur ad absentes, ut sępe legit' in epist. August. & Paulini; & sacris peractis à sacerdote, *dabatur iis qui communicare non fuerant parati*, ut est in Decreto, ꝙ Pii I. nomine circũfertur. Dabãtur eædẽ Eulogiæ & Catechumenis, qui jus sumendæ Eucharistiæ non habebant. Itaque hoc illis erat loco sacramẽti: atq; adeo sacramẽtũ quoddam hoc illis erat: nam ita disertè appellat *Augustinus lib.2. de peccatorum meritis & remiss. cap.26.* laxiore videl. notione, quia precibus sanctificabatur. Ac propterea panem illum vocarunt ἀντίδωρον, quoniam locum obtinebat δώρου, id est, eucharistiæ. Extremę Basilii liturgiæ subjecta sunt hæc verba: μετὰ τὴν εὐχὴν ἐξέρχεται ὁ ἱερεὺς καὶ δίδωσι τὸ ἀντίδωρον, *Post ultimam liturgiæ precationem exit sacerdos, & dat panem benedictum.* Dixerunt eundem panem & κλαστὸν aut κατάκλαστον, *fractum*: ut μεταδοῦναι κατακλάστου, *dare partem* panis benedicti.

ANTIQUI. Hæc vox significat primævam, vel præsumtam antiquitatem. De primæva antiquitate accipe illud apud Danielem: *Antiquus dierum. cap.7. v.9.13. 22.* & illud *Apoc.12. vers.9. Serpens antiquus*: item quæ dicuntur *Deut.4. v.32. Ier.5. v.15. Act.15. v.7.* De præsumta antiquitate loquitur Christus *Matth. 5.21. 22. Audistis, quòd dictum fuerit Antiquis, Non occides: Quisquis verò occiderit, eum iudicij reum fore. Ego verò dico vobis, &c.* Hæc verba Christi non de tempore & actu promulgatæ legis intelligi possunt. Textus enim non dicit: *Legistis antiquis dictum esse* (qua tamen loquendi formula haud dubiè usus fuisset, si de lege Mosis scripta cogitasset) sed, *Audivistis*: mentione nimirum auditus ad legem Judæorum non-scriptam, id est, ad traditionem majorum & Scribarum glossas alludens: quasi dicat: Hactenus sic quidem in synagogis vestris edocti estis, quòd qui ab externo homicidio abstinuerit, Dei præcepto plenè satisfecerit, quomodocunq; interim cor ira, odio, invi-

invidia, & vindictæ cupiditate contra proximum ardeat. Ego verò vobis longè aliud dico. Deinde hoc idem ex illis verbis colligitur, *Quisquis verò occiderit, eum iudicii reum fore*. Atqui hæc pœna in lege & in monte Horeb nusquam expressa fuit, nec ibidem ab antiquis illis audiri potuit. Tertiò Christus in pœnarum assignatione iis terminis utitur, qui non ex Mosis stylo, sed ex recentibus Judaicarum traditionum legibus, ut illæ adhuc in Talmud extant, petiti sunt: quales sunt *Iudicium, Sanhedrin, Ignis gehennæ*. Huc denique facit, quod Christus eodem capite dicit: *Audistis dictum fuisse, diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum*. Atqui hoc posterius in lege Mosis nusquam extat, sed ad traditionariam Rabbinorum mensam pertinet. Illi enim notionem vocis *proximus* ad solos Judæorum tribules restringunt, & his deinceps contra incircumcisos gentiles nullum non licentiæ genus permittunt, ita quidem ut in his offendendis filium Israel vix peccare existiment. Cæterùm de vera antiquitate vide infra titul. PRINCIPALITAS.

ANTIPHONÆ. Sunt cantica, à reciprocando sic dicta, quòd alternis canantur. Ἀντίφωνος enim est contraria voce respondens, contrà sive reciprocè sonans. Fuit autem primò hæc consuetudo apud paganos, ut populus aut initiatorum turba sacerdotibus responderet in mysteriis. Ad hoc exemplum in vetere ecclesia institutum fuit, ut duobus modis alternatim psallerent: quod in historia ecclesiastica dicitur ἀντίφωνα λέγειν, vel ᾠδὰς ἀντιφώνους, ut apud *Socratem libro sexto, capite octavo*. De consuetudine paganorum scribit Aristophanis Græcus interpres, in quibusdam sacris Bacchicis, daduchos aut alios ministros sacrorum solitos adstantium coronam ita compellare, Αἰνεῖτε θεόν, *Laudate Deum*: illos autem respondisse, Σεμελήϊ Ἴακχε πλουτοδότα, *ô Semele fili Iacche, opum largitor*. Quod videtur esse principium hymni alicuius in honorem Bacchi. Affine est apud *Eusebium historia libro secundo, cap.* 17. τῶν ὕμνων τὰ ἀκροτελεύτια συνεξηχεῖν, *hymnorum ultima verba repetere concinendo cum ministris sacrorum*: quæ verba sumta sunt è libro Philonis de Essenis. Exemplum huius modulationis apud veteres Christianos illustre erat in celebratione sacræ cœnæ: ubi sacerdoti canenti, Ἄνω καρδίας, *Sursum corda*, respondebat cœtus fidelium, Ἔχομεν πρὸς κύριον, *Habemus ad Dominum*. *Radulphus de canend. observant. prop.* 8. *ait*: Ut chori in duas partes divisi ipsos psalmos alternatim decantent, jam tempore Constantini Imperatoris in Ecclesia Antiochena primi instituerunt Flavianus & Diodorus, viri probatæ vitæ & doctrinæ: quod inde ad terminos orbis usque pervenit. *Et prop.* 12. Ambrosius ritum antiphonarum in ecclesia canendarum primus à Græcis trāstulit ad Latinos.

ANTITYPUM. Vide infrà titul. ARCA NOE.

AORISTUM TEMPUS. Est technologema Grammaticum, quod sic appellatur à Græcis. Eius vis est, ut denotet celeritatem, rem paulò ante perfectam, & adhuc quasi pendentem: cùm *tempus præteritum* usurpetur de actione aut passione multò antè perfecta. Placet hac de re adscribere insignem locum ex *Casauboni exercitatione* 2. *sect.* 10. Advenerunt, inquit,

Magi

Magi τοῦ Ἰησοῦ γεννηθέντος, *Christo nato*: hoc est, paulò antè nato. Ea namque vis est vocis Græcæ & locutionis. Ut si dicas, Ἰωάννου τρωθέντος ἦλθον οἱ ἰατροί, verba quidem nihil ampliùs sonāt quam hoc, Johanne vulnerato venerunt medici: sed participii aoristi ea vis est, ut simul denotet celeritatem adventus, multò magis, quàm si dixeris τετρωμένου. Istud igitur primùm observemus, dixisse Evangelistam γεννηθέντος, non γεγεννημένου: hoc de perfecta multò etiam actione rectè usurpatur: illud de paulò ante perfecta, & adhuc quasi pendente.

Apostolus. Non uno modo in Scripturis & apud Patres hoc nomen reperitur usurpatum. In communi Græcorum usu ἀπόστολοι dicebantur certi homines, qui negotii gerendi causa, magis quàm deferendi nuntii, aliquò mittebantur. Sic accipitur *Iohannis* 13. *vers.* 16. Et *Hebr.* 3. *vers.* 1. Christus ipse dicitur ἀπόστολος καὶ ἀρχιερεὺς τῆς ὁμολογίας ἡμῶν, *Apostolus & Pontifex confessionis nostræ*: vel quia caput ipse est & princeps Apostolorum, unde omnis in illos vis divina atque authoritas manavit: vel quia ipse quoque in hūc mundum à Patre ἀπεστάλη, *missus est, Matt.* 15. *vers.* 24. Sic & Epaphroditum vocat Paulus, scribens ad Philippenses, illorum ἀπόστολον, *cap.* 2. *vers.* 25. tanquam ad se missum ab illis, qui ipsi ministraret. At notione peculiari & propria, illi duodecim Christi discipuli sic dicti sunt, quibus ipse orbem terrarum, non solùm prædicatione verbi erudiendum commisit, sed etiam authoritatem amplissimam dedit, Ecclesiam suam fundandi, constituendi, verbo scriptisque docendi, & episcopos illi pastoresque alios imponendi, qui deinceps iure ordinario essent eam recturi. Inter proprias Apostolorum notas sunt primò hæ duæ, quòd à Christo immediatè electi & missi sunt; ut essent testes resurrectionis ipsius & omnium quæ vidissent. Ad priorem notam respicit Paulus, cùm asserens sui Apostolatus dignitatem, initio epistolæ ad Galatas, *factum se ait Apostolum, non ab hominibus, neque per hominem, sed per Iesum Christum, & Deum Patrem.* Ad posteriorem notam pertinet, quod ait Dominus initio Actorum, ἔσεσθέ μοι μάρτυρες, *testes mihi eritis in totâ Iudæâ, Samariâ, & usque ad ultimos mundi fines.* Confer *Actor.* 1. *vers.* 21. 22. *cap.* 10. *vers.* 41. 42. *cap.* 22. *vers.* 11. 1. *Corinth.* 9. *vers.* 1. Tertiam notam Apostolatui propriam notant Evangelistæ, cùm dicunt, iussos fuisse illos ire per totum mūdum, & prædicare Evangelium πάσῃ τῇ κτίσει, *omnibus creaturis, Marc.* 16. *vers.* 15. Propterea *Chrysostomus eximia quadam homiliâ, tom.* 8. *pag.* 110. *editionis Savil.* Ἄρχοντές, *inquit*, εἰσιν ἀπὸ θεοῦ χειροτονηθέντες οἱ Ἀπόστολοι· ἄρχοντες, οὐκ ἔθνη καὶ πόλεις διαφόρους λαμβάνοντες, ἀλλὰ πάντες κοινῇ τὴν Οἰκουμένην ἐμπιστευθέντες: *Principes sunt Apostoli à Deo constituti; principes, qui non gentes aliquas aut urbes diversas regendas acceperint, sed quorum fidei orbis terrarum in commune fuit concreditus.* Quarta nota est potestas & dignitas longè maior & augustior, quàm ulli unquam alii functioni spirituali fuerit attributa. Solis enim Apostolis dictum est à Christo, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Iohan.* 20. *vers.* 21. quod etiam significat Apostolus 1. *Corinth.* 12. *vers.* 28. Et Chrysostomus eum locum tractans, ea quam diximus homilia, ut magnitudinem muneris Apostolici exprimeret, cōparationem spiritualium dignitatū (ipse ἀρχὰς i. e. *principatus*, nominat) cum civi-

libus, quas αἰσθητὰς appellat, instituit; & ait apostolatum inter spirituales esse ὑπατείαν πνευματικὴν, hoc est, *consulatum spiritualem*, id est, supra omnes alias functiones spirituales sic eminere, ut supra omnes civiles magistratus eminet potestas consularis. Itaque apostolatum nominat ἀρχὴν πνευματικωτάτην, *potestatem omnium maximè spiritualem*; item ἀρχὴν ἀρχῶν, *potestaetm potestatum*; & præterea τῶν πνευματικῶν ἀρχῶν κεφαλὴν, καὶ ῥίζαν, καὶ ὑπόθεσιν, *potestatum spiritualium caput, radicem, & originem*, seu *fundamẽtum*: quoniam inquit, apostolatu continentur omnes inferiores potestates, quas eo loco Paulus enumerat. Hæ notæ cùm nemini unquam mortalium competierint, aut cõpetere possint, præter illos XII. Apostolos, qui sunt à Domino instituti, & Matthiæ, Paulo, & Barnabæ, qui postea in illum divinum chorum sunt cooptati; certum est, appellationem *Apostolorum* nemini prẹter illos, quos dixi, posse tribui, nisi fortasse figuratè & æquivocè. Sic in scriptis Cypriani & aliorum Patrum est invenire episcopos non rarò nominati Apostolos: scil. impropriè & ὁμωνύμως, h.e. *diversa significatione*: idque non sine Scripturarum exemplo. Nam in Actis Petrus Apostolatum vocat ἐπισκοπὴν, *episcopatum*, id est, præfecturam spiritualem, c. 1. v. 20. Et notum est, nomina illa, *Apostolus*, *Episcopus*, *Presbyter*, *Diaconus*, etsi multùm inter se diversas functiones significant; sæpè tamen nullo discrimine ab authoribus sacris usurpari. Quare etiam Apostolatus vocatur διακονία, *ministerium*, Petro in eadem illa oratione. Adde quòd primis ecclesiæ temporibus omnes episcopi, præter peculiarem curam propriæ sibi ecclesiæ, in solidum sibi commissam, ut loquitur Cyprianus, etiam universam, suo quodam modo curabant, tanquam τὴν καθολικὴν ἐπισκοπὴν πεπιστευμένοι, *habentes fidei suæ creditum universalem episcopatum*: sicut scriptum est in *Constitutionibus Clementis lib. 6. c.* 13. ut hac saltem ratione *Apostoli* aliquo modo dici potuerint. Igitur in *epist.* 65. *Cypriani*, & alibi episcopi nominantur Apostoli: & scribit idem nõ semel, *Apostolis vicariâ ordinatione succedere episcopos.* Epiphanius in epistola operis initio præfixa, vocatur νέος ἀπόστολος. *novus Apostolus*: cui appellationi congruit vox ἰσαπόστολος, *æqualis Apostolo*, inter titulos frequens, quibus Græci insignioris nominis episcopos vel Patriarchas solent ornare. Sæpe item *Apostolatus* ponitur pro Episcopatu. *Sidonius Apollinaris libr.* 4. *epist.* 4. *ad Lupum Tricassinum Episcopum*: Prẹter officium, quod incomparabiliter eminenti Apostolatui tuo debetur. *Epistolâ* 7. *ad Fontelum Episcopum Vasionensem*: Ego quoque ad Apostolatus tui notitiam pleniorem cum prærogativæ domesticæ familiaritatis accedo. Hinc etiam Ecclesiæ, sive sedes, dictæ sunt *Apostolicæ*: primò quidem illæ, quas Apostoli opera sua fundarant, & quas, ut loquitur *Tertullianus de præscriptionibus cap.* 21. ipsi Apostoli condiderunt, ipsi eis prædicando, tam viva, quod ajunt, voce, quàm per epistolas postea. Deinde verò quævis ecclesia, aut sedes episcopalis, dicta est Apostolica, *pro consanguinitate doctrinæ*, ait idem Tertullianus cap. 32. quæ in fide semel ab Apostolis tradita conspiraret. Sic & *Sidonius* eidem Lupo, Tricassium in Gallia Episcopo, tribuit Apostolicam sedem *epist.* 1. *lib.* 6. ubi etiam Petrum Apostolũ vocat Lupi collegam. Et ita loquũtur illius ẹtatis & inferiorũ pii atq; eruditi scriptores:

impropriè quidem & durè, ſed tamen frequenti admodum uſurpatione. Alii epiſcopos vocabant, non apoſtolos, verùm apoſtolicos. Extant epiſtolæ duæ Venantii Fortunati ad Euphronium epiſcopum Turonenſem, quarum prior ita inſcribitur: *Domino ſancto, & meritis Apoſtolico, domino & dulci patri Euphronio Papæ, Fortunatus*: & in fine, *Ora pro me, domine ſancte & Apoſtolice.* In eadem tamen epiſtola Apoſtolatum attribuit Euphronio: *Multiplici me prece, Apoſtolatui & ſanctæ charitati veſtræ commendo.* Accidit verò in appellationibus *Apoſtolici & Sedis Apoſtolicæ*, quod in aliis pluribus, & nominibus, & ritibus eccleſiaſticis videmus accidiſſe, ut quæ erant initio communia omnium, fierent propria paucorum, propter præcellentem eorum dignitatem. Sic *Papæ* nomen olim commune fuit omnium epiſcoporum, ut certò conſtat ex Athanaſio, Epiphanio, Euſebio, Sidonio Apollinari, & aliis ſcriptoribus: poſtea tamen epiſcopo Romano ἀντωνυμικῶς eſt tributum. Sic mos oſculandi pedes, olim genus fuit reverentiæ, & epiſcopis & abbatibus, & aliis ſanctimonia claris viris exhiberi ſolitæ: poſtea is ritus ad cultum Romani Pontificis propriè eſt translatus. Sic igitur *Apoſtolicus*, & *Apoſtolica ſedes*, de Romæ epiſcopo, & ſede Romana, ἀντωνυμικῶς, *mutato nomine*, in Occidente uſurpare cœperunt. Dico in Occidente & apud Latinos ſcriptores: nam in Oriente & apud Græcos authores præſertim paulò vetuſtiores, nunquam id invenias: cùm ipſi contra ſimilem, aut eundem honorem ſuis Patriarchis haberent. Sic αὐθεντίαν τῆς Ἀποστολικῆς διαδοχῆς, *authoritatem Apoſtolicæ ſucceſſionis*, celebrat Syneſius epiſt. 56. non utique Romanam, ſed Alexandrinam ſedem intelligens: de qua etiam ſcribit initio epiſtolæ ſequentis, ἀνάγκη μοιθεία, νόμον ἡγεῖσθαι, πᾶν ὅ, τι οὖν ἐκεῖνος ὁ θρόνος θεσπίσῃ, *Divinitùs impoſita eſt mihi neceſſitas, ut pro lege habeam, quidquid illa ſedes conſtituerit.* Tanta fuit olim, cùm eccleſiaſtica diſciplina vigebat, ſedium patriarchalium apud minores epiſcopos reverentia. Ut mirari nemo debeat, Romanum Papam, cujus in toto occidente maxima erat authoritas, Apoſtolicum eſſe dictum, & ejus ſedem Apoſtolicam: quod videtur circa annum Domini 400. cœpiſſe, ut ex Auguſtini, Vincentii Lirenenſis, & aliorum ſcriptis poteſt colligi. Quemadmodum autem negare non poſſumus, nec debemus, veterum illius ſedis epiſcoporum, ea extitiſſe in univerſam Dei eccleſiam merita, ut hoc honore, & quovis alio, eſſent digniſſimi: ita non ſunt ferendi Bellarminus, & alii hodierni diſputatores, qui etiam illas appellationes in argumentum Monarchiæ trahunt: quaſi ignorarent, aliud eſſe, præſtare dignitate inter fratres, & ejuſdem ordinis viros; aliud monarcham eſſe, & cùm in fratres, tum in univerſi orbis reges ac principes omnes abſolutam dominationem ſibi vendicare. Notandus etiam hoc loco eſt error Baronii, qui unius Papæ Romani proprium eſſe ait, Apoſtolos creare, id eſt præcones evangelii apud gentes: quo ſenſu Adalbertus dicitur Ungarorum apoſtolus, alii aliarum gentium. At verò quis miſit Evnuchum Candacæ, qui Æthiopibus euangelium prædicavit? quis Pantænum? quis Frumentium? Non certè Papa. Vide *Caſaub. exerc. 16. nu. 4.* ex quo hæc ſumſimus. Colophonis loco, teneatur illud Siberi: Apoſtoli appellantur duodecim-

viri illi Iesu Christi, qui in universum terrarum orbem legati, ab idololatria homines averterunt, tyrannidem Satanæ destruxerunt, & cœleste regnum constituerunt, propagarunt, protenderunt, stabilierunt.

Appellationes Ecclesiasticæ. Fiebant olim appellationes ecclesiasticæ ad episcopum Romanum, non tanquam ad judicem, à quo judicium determinativum, aut coactivum daretur, sed tanquam ad opitulatorem, ut daret judicium discretivum & directivum: sicut etiam ad alios episcopos occidentis. Marcion excommunicatus in Ponto, Romam venit ut absolveretur: sed responsum tale accepit, *Non possumus hoc facere sine permissu venerandi Patris tui.* Epiphan. hæres. 42. Et Chrysostomus epist. 1. ad Innocent. I. tomo 5. petit opem non tantùm ab Innocentio, sed etiam à cæteris episcopis occidentis, & ad Synodum appellat, *Socrat. lib. 6. cap.* 14. Sed accipit responsum à Papa, non posse à se juvari, neque à se posse concilium convocari. *Basilius ad Athanas. epist.* 52. sic consulit Athanasio: Visum est mihi consentaneum, ut scribatur Episcopo Romæ, ut quæ hîc geruntur, consideret, detque consilium. Sed & appellationes istæ à quibusdam fuerunt improbatæ. *Cyprian. lib. 1. epist. 3. ad Cornelium*: Oportet utique eos, quibus præsumus, non circumcursare, sed agere illic causam suam, ubi & accusatores habere, & testes sui criminis possint. Et *epist.* 4. ait, eos, qui cum Basilide communicant, deificam negligere disciplinam. *Concilium Africanum can.* 92. Quòd si & ab iis provocandum putaverint, non provocent nisi ad Africana concilia. Ad transmarina qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communionem recipiatur. Confer *Concilium Milevitanum can.* 22.

Ἅπαξ λεγόμενον. Quod semel duntaxat in aliquo libro, ut in Scriptura sacra, occurrit, Rabbini vocant לית, Græci ἅπαξ λεγόμενον. Sic vox *Abrech* Gen. 41. v. 43. semel duntaxat occurrit in canone.

Ἀπαύγασμα. Propriè est fulgor alicunde prodiens: nominatim splendor solis. Usurpatur *Sap. 7. vers. 26.* de sapientia: ἀπαύγασμα γάρ ἐστι φωτὸς ἀϊδίου καὶ ἔσοπτρον ἀκηλίδωτον τῆς τοῦ θεοῦ ἐνεργείας, καὶ εἰκὼν τῆς ἀγαθότητος αὐτοῦ, *Splendor est enim æternæ lucis, & speculum sine macula maiestatis Dei, & imago bonitatis illius.* Usurpatur etiam de hypostatica Patris sapientia, id est, de Jesu Christo, *Hebr. 1. v. 3.* Nimirum Christus est splendor gloriæ Patris, qui à Patre affulget per æternam & ineffabilem generationem & semper apud eum fuit, sicut semper emicãs splendor cum sole. Hinc eleganter *Anastasius disp. 1. contra Arianos*: τίς γὰρ οὐχ ὁρᾷ, ὅτι ἀδιαίρετόν ἐστιν τὸ ἀπαύγασμα πρὸς τὸ φῶς, καὶ ἴδιον αὐτοῦ συνυπάρχει τούτῳ φύσει, καὶ οὐκ ἐπιγέγονεν ὕστερον, *Quis enim non videt, iubar sive proradiationem apud lucem esse, & proprium illius substantiæ, & coexistere, & non posterius supervenire?* Et in epistola de decretis Synodi Nicenæ super Ariana hæresi: τίς γὰρ δύναται κἂν λογίσασθαι, μὴ εἶναί ποτε τὸ ἀπαύγασμα; ἵνα καὶ τολμήσας εἴπῃ, μὴ εἶναι ἀεὶ τὸν υἱὸν, ἢ ὅτι οὐκ ἦν υἱὸς πρὶν γεννηθῇ ἢ τίς ἱκανὸς διελεῖν ἀπὸ τοῦ ἡλίου τὸ ἀπαύγασμα, *Quis enim vel cogitare poterit, non fuisse aliquando splendorem soli, ut ausit dicere, non semper fuisse Filium, nec antea fuisse quàm nasceretur? aut quis splendorem à*

sole

sole segregabit? Vide plura ad titulũ CHARACTER.

APOCRISIARIUS. Est legatus ecclesiæ negotia tractans. Incepit hoc nomen & munus temporibus Constantini Magni. Primitùs autem episcopi fungebantur hoc munere: postea diaconi & presbyteri adhibiti fuerunt. Regebat verò apocrisiarius omnem clerum palatii, dicebaturque etiam *Capellanus* & *Custos palatii.* Apud Justinianum Novell. 6. dicuntur, οἱ τὰ πράγματα πράττοντες τῶν ἁγιωτάτων ἐκκλησιῶν.

APOCRYPHUS. Libri apocryphi sic dicuntur, quasi occultæ originis, de quorum authoribus non certò constat: vel, qui in occulto manere debent, non autem in lucem proferri ad probandum dogmata fidei: vel denique, qui in crypta ecclesiæ, non verò in Ἀρῶν (quam vocem vide) asservabantur. Eusebius, Athanasius, Hieronymus, & Ruffinus appellant *ecclesiasticos*: alii, *hagiographos*, & *deuterocanonicos.* Sunt autem libri apocryphi ordinis primi vel secundi. Illi adjunguntur canoni veteris testamenti tanquam προσθήκη, *appendix*, ut sunt Judith, Tobias &c. hi sunt simpliciter rejectitii. Huc pertinet, quòd primitiva ecclesia quosdam libros dixit *νόθευς*, *Euseb. lib.* 2. *cap.* 23. & nonnullos vocavit ἀντιλεγομένους, quia à multis ecclesiis sit eis contradictum: & denique ἀκανονίστους, q. d. *non-canonicos.* Porrò causæ, quòd libri Apocryphi, qui inter V. & N. T. interponuntur, non debeant haberi pro canonicis, hæ sunt. 1. quia prophetico spiritu non sunt editi, utpote post tempora Artaxerxis scripti, quibus explorata ampliùs non fuit prophetarum διαδοχή, *successio*, ut constat ex Josepho contra Appionem. 2. quia neque in arca, ut tabulæ legis; neque juxta arcam, ut libri Mosis & prophetarum, fuerunt repositi. *Epiphan. de mens. & pond.* 3. quia in lingva Hebraica non sunt exarati, neque ab ecclesia Judaica, cui oracula Vet. Test. fuerunt concredita, unquam pro θεοπνεύστοις sunt agniti. 4. quia neque à CHRISTO, neque ab apostolis fuerunt citati. 5. quia à primitiva N. T. ecclesia pro adulterinis sunt habiti. *Amphilochius apud Balsamonem, & Nazianzenus apud eundem.* 6. quia à succedentis ævi ecclesia non sine magna varietate & dissensione, tandem admissi sunt, ut ecclesiastici. *Synod. Carthag.* 3. *August. de doctr. Christ. Rufin. ad symb.* 7. quia continent quædam absurda & fabulosa. Porrò quidam libros N. Test. distinguunt in canonicos & apocryphos: & in posteriori ordine reponunt epistolam ad Hebræos, epistolam Jacobi, Judæ, posteriorem Petri, secundam & tertiam Johannis, denique Apocalypsin. Rationem adferunt hanc: quòd isti libri non ab omnibus in primitiva ecclesia pro certò apostolicis recepti sint: sed nonnullæ ecclesiæ de iis aliquamdiu dubitarint, nonnullæ etiam aliquibus disertè contradixerint. Verùm non statim apocryphum est, de quo dubitatur, aut cui contradicitur: sed illud, quod non habet characterem divinum. Vide infra CANONICUS.

APOSTOLO EVANGELIA. Ita inscribitur Lectionarium Græcorum, in quo describuntur dies festi totius anni. e.g. primus dies Januarii sic notatur:

εἰς τὴν α κατὰ σάρκα περιτομὴ τοῦ Χριστοῦ ἐν τῷ ὄρθρῳ καὶ λειτουργία. *In primum* (diem) *secundùm carnem circumcisio Christi in diluculo, & ministerium.* In antiquis ritualibus dies iste Kalend. Jan. (ut hoc obiter addam) simplicem præ se fert titulum, *Octavo nativitatis*: id est, octava feria post natalem Domini.

Apodixis Theologica. Summum necessitatis gradum habet ille syllogismus, in quo medium concludendi ductum est ab authoritate Dei. Hic enim syllogismus tantò excellentioris est necessitatis, quantò excellentior est præ creaturis omnibus Deus. Hæc verè est fidelibus μεγίστη καὶ ἀληθεστάτη ἀπόδειξις, *maxima & verissima demonstratio*, ut ait Justinus Martyr apolog. 2. pro Christ. Hæc ἡ ἀνωτάτω ἀπόδειξις, *suprema demonstratio*, ut ait Clemens Alexandr. lib. 2. Stromatum. Et lib. 7. τῇ τοῦ Κυρίου φωνῇ πιστούμεθα τὸ ζητούμενον. ἣ πασῶν ἀποδείξεων ἐχεγγυωτέρα, μᾶλλον δὲ, ἡ μόνη ἀπόδειξις οὖσα τυγχάνει, *Voce Domini probamus quod quæritur, quæ est magis fide digna quàm quævis demonstrationes, vel potiùs quæ est sola demonstratio.* Et paulò pòst: ἡμεῖς ἀπ' αὐτῶν περὶ αὐτῶν τῶν γραφῶν τελείως ἀποδεικνύντες ἐκ πίστεως πειθόμεθα ἀποδεικτικῶς, *Nos ex ipsis de ipsis Scripturis perfectè demonstrantes, ex fide persuademus demonstrativè.*

Apotelesma. Est opus perfectum, ut citatur ex Dioscoride. Aliâs est effectus seu influxus siderum. Unde astrologia solet appellari scientia ἀποτελεσματική. Prior significatio attenditur in theologia: ut cùm Patres opera Christi θεανθρώπου appellant ἀποτελέσματα θεανδρικὰ, i. e. *actiones Dei-viriles*, ut vertit Jacobus Faber apud Damasc. lib. 3. de orth. fid. cap. 19.

Arca Noe. Fuit figura ecclesiæ juxta illud Alcimi:

Arca vetus Noë Christi est ecclesia, per quam,
Extra etiam quam nemo potest salvarier —

Diluvium itaque hoc modo figurat mundum in maligno positum, & eluvie peccatorum obrutum. Sed & conservatio in arca fuit typus baptismi 1. *Petr.* 3. *v.* 21. ubi apostolus ait: *Cui rei nunc correspondens typus baptismus.* Verba Græca sic habent: ᾧ καὶ ἡμᾶς ἀντίτυπον νῦν σώζει βάπτισμα. Pronomen ᾧ referendum est ad totam sententiam proximè præcedentem de servatis in arca octo animabus. Isti enim conservationi, tanquam typo conservationis spiritualis credentium, è regione respondet baptismus, tanquam typus seu imago ejusdem conservationis. Itaque ἀντίτυπον est typus è regione respondens. Aliàs hæc vox refertur ad rem typo adumbratam, & tum ἀντίτυπον usurpatur pro simplici τύπος. *Hebr.* 9. *v.* 24. Porrò vulgus theologorum ἀντίτυπον etiam vocat rem ipsam typo significatam. Itaque triplex est significatio hujus vocis. 1. Est idem, quod typus. *Heb.* 9. *v.* 24. 2. Est typus, typo respondens. d. l. Petri. 3. Est res typi. Hinc efficitur, conservationem octo animarum in arca fuisse duplici nomine typum. 1. baptismi, tanquã antitypi. 2. cõservationis spiritualis, tanquam rei significatæ. Similiter Pascha est typus S. cœnæ tanquam antitypi, & Christi, tanquam rei typo adumbratæ.

Archidiaconus. Ita dicebatur, qui inter diaconos diutissimè fuerat. Neque enim eligebatur, sed à tempore constituebatur.

Ἀρχιερεὺς, *Summus Pontifex.* Hic titulus tribuitur omnibus episcopis *in Constitutionibus Clementis lib.* 8. Malè itaque soli

Papæ

Papæ hodie tribuitur. Nimirum omnis inferior ſacerdos, ſeu antiſtes eccleſiæ, appellatur Pontifex. Ergo epiſcopus rectè appellatur ſummus Pontifex.

ARCHIMANDRITA, Græcè ἀρχιμανδρίτης. Eſt præfectus cœnobii, quod μάνδρα dicitur. Nam ſicut in eccleſia ſunt oves & paſtores: ita eccleſiaſteria dicuntur ovilia ſeu μάνδραι. μάνδρα ſiquidem eſt ſtabulum.

ARIDA. Sic *Gen.* 1. appellatur terra mole aquarum liberata: de qua *Tertullianus*: Segregatis aquis in cavatiorem ſinum, emicantior facta eſt arida, quæ antè aquis tegebatur. Et *in hymno Ambroſii.*

Telluris ingens conditor,
Mundi ſolum qui detegens
Pulſis aquæ moleſtiis,
Terram dediſti immobilem.

Cyprianus ita canit hac de re:

Tertia lux faciem terrarum fulva retexit.

Et *Dracontius*:

Eruitur terra iniuſto demerſa profundo,
Et ſolidante globo gravior per inane pependit.

Hæc arida, cùm primùm aquis fuit liberata, protinus germinavit ad mandatum Dei, cùm nondum eſſent ſtellæ, à quibus fœcundaretur. Qua de re *Philo* eleganter ait: Ante ſolem & lunam ſtirpes fructúſque omnigeni è terra ſunt proditi: ne creaturæ adſcriberentur primæ partes, ſed cœleſtis parentis arbitratui, cui omnia poſſibilia. Ejus itaque imperio

Promitur herba virens, & ſurculus omnis in auras,

Ut canit Dracontius: & ut Anitus,

Pulchra repentino veſtita eſt gramine tellus.

Dicit *repentino gramine:* quia deſubito factum eſt,

Vt germen aptum proferens,
Fulvis decora floribus,
Fœcunda fructu ſiſteret,
Paſtumque gratum redderet.

Sicut canitur in hymno Ambroſii. Refer huc illud Chriſtiani poëtæ:

O arbor vitæ, ſine te ſumus arida ligna,
Si tibi conſerimur, florida palma ſumus.

ARMA. Sunt bellica inſtrumenta, eáque defenſionis & offenſionis. Deinde ſunt arma ſpiritualia, eáque iniquitatis *Rom.* 6. *verſ.* 13. vel juſtitiæ, *ibid. & c.* 13. *v.* 12. Et hæc rurſus dextra & ſiniſtra 2. *Cor.* 6. *v.* 7. Qua phraſi apoſtolus intelligit vel arma duplicia, quibus vincendæ ſunt res ſecundæ & adverſæ: vel ἀμφιδέξια, quæ poſſunt applicari utrique lateri, ut circumcirca ſimus muniti. Videtur enim alludere ad morem illum, qua miles dextra ferebat enſem, ſiniſtra gladium: quæ putabatur optima armatura.

ARON. Fuit arca ſeu capſa eccleſiaſtica, in qua primitiva novi teſtamenti eccleſia repoſuit libros canonicos. Eſt autem *Aron* aliud ab arca fœderis, in qua nihil omnino erat niſi tabulæ legis 1. *Reg.* 8. *v.* 9. Hac de re inſignis eſt locus apud *Epiphanium lib. de menſuris ac ponderibus.* Καὶ αὗται χρήσιμοι μὲν εἰσι καὶ ὠφέλιμοι, ἀλλ' εἰς ἀριθμὸν ῥητῶν οὐκ ἀναφέρονται. διὸ οὐδὲ ἐν τῷ Ἀαρὼν ἀνετέθησαν, οὔτε ἐν τῇ τῆς διαθήκης κιβωτῷ, hoc eſt, Utiles hi quidem libri ſunt & commodi (*loquitur de libris apocryphis.*) ſed in numerum dictorum (*putà canonicorum*) non referuntur. Quapropter neque in Aron repoſiti ſunt, neque in fœderis ſeu teſtamenti arca.

ARBOR SCIENTIÆ BONI ET MALI. Hac arbore homo protoplaſtus admonebatur, ne plus ſapere appeteret quàm decebat: & ne proprio ſenſu confiſus, excuſſo Dei jugo ſe arbitrum boni

& mali constituerit, atque ipso eventu & experimento discere necesse haberet discrimen inter bonum & malum.

Arbor vitæ. Erat symbolum ac memoriale vitæ divinitùs acceptæ, & continuandæ. Itaque singulari quadam virtute fuit prædita. Nam in sacramentis est similitudo illarum rerum, quarum sunt sacramenta.

Articulus præpositivus. Sciunt periti linguæ Græcæ, articuli vel adjectione, vel omissione, sæpe multùm fieri diversam verborum sententiam. Sic *Iohan.* 3. *vers.* 22. Tu es Filius meus dilectus, ὁ ὑός μου, q. d. ille unicus & solus Dei Filius. Vim enim articuli in ea locutione sic exponunt Patres. *Theophylactus*: μετὰ τοῦ ἄρθρου ὁ ὑός, τουτέστιν, αὐτὸς ἐκεῖνος, ὁ εἷς καὶ μόνος, *h. e. cum articulo Filius, i. e. ipse ille unus & solus*. Similis locutio est *Iohan.* 1. *v.* 50. Observa tamen, non semper in Scripturis articulos urgeri debere, nec rarò omissos reperiri.

Ἄρτος. Sacramentum cœnæ à Patribus appellatur ἄρτος, *panis*. Sic apud Iustinum in dialogo cum Tryphone, ἄρτον ποιεῖν, *panem facere*, vel *conficere*, est exemplo Christi εὐλογεῖν καὶ εὐχαριστεῖν, *benedictione & gratiarum actione consecrare in sacramentum corporis Christi*. Sæpiùs tamen adiiciunt epitheta: ut sunt ἄρτος ἐπουράνιος, panis angelorum, ἄρτος ὑπερβολιμαῖος, ἄρτος θεῖος, ἄρτος ζωῆς, ἄρτος ἅγιος, ἄρτος τοῦ θεοῦ, ἄρτος προθέσεως. Vide titul. Panis & Ἐπιούσιος.

Ascensio Christi. Appellatur etiam assumtio, apprehensio gloriæ ἀνάληψις, κατάληψις, & ἀποχώρησις ἀναλήψιμος. Quæ verba opponenda sunt furori illorum, qui ascensionem Christi interpretantur evanescentiam, quæ ex se pepererit aut πολυτοπίαν, *multipræsentiam*, aut πανταχουσίαν, *omnipræsentiam*, corporis Christi.

Ascesis. Asceta. Ascetria. Religio Christiana Patribus dicit' ἄσκησις, *exercitatio*: ut cùm ait *Clemens Alexandrinus lib.* 4. *Strom.* ἡ κυριακὴ ἄσκησις ἀπάγει τὴν ψυχὴν τοῦ σώματος εὐχαρίστως, id est, Dominica exercitatio (*religio quam docuit Dominus*) abducit animum à corpore, cum gratiarum actione. *In apostolicis canonibus* 51. & 52. abstinentia à carnibus & vino certis diebus priscæ ecclesiæ usurpata, fieri dicitur δι' ἄσκησιν, *propter exercitium pietatis*: quia eo modo affligitur caro, & seriæ meditationi mysteriorum salutis præparat'. Quicunque igitur eo animo abstinent vino & esu carnium, ii & ἀσκεῖν & ἀσκηταὶ εἶναι, h. e. *exercere & exercitatores esse*, rectè dicuntur. Transtulerunt autem veteres Patres verbum ἀσκεῖν à ludis veterum ad res sacras: Paulum imitati, qui petitis inde locutionibus utitur 1. *Cor.* 9. *v.* 24. ubi Christianos comparat currentibus in stadio, & in agone certantibus. Nimirum ἀσκεῖν propriè est præparare se ad certamen, & abstinentiam in eum finem exercere. Quo factum, ut Patres hoc verbum ad Christianos transtulerint, & ipsam religionem ἄσκησιν, *exercitium*, seu *exercitationem*, dixerint, quasi regulam exercentium & continentium, in qua jugiter Christiani se exercere deberent: atque inde dicti sunt *asceta & ascetria*. Et hactenus quidem generaliter hæc duo nomina tribuerunt omnibus, qui in studio pietatis præ cæteris desudassent. Peculiariter deinceps usurparunt de monachis & sanctimonialibus seu monialibus. Omnis igitur

monachus

monachus est asceta, omnis sanctimonialis ascetria: at non omnis asceta est monachus, neque omnis ascetria est monialis. Voci Græcæ ἀσκητὴς respondet Hebraica פרוש: quam vide infra. Porrò ἀσκητήρια sunt monasteria, & omninò secessus exercitationis.

Attributa Dei. Sic appellantur proprietates essentiales, quæ Deo tribuuntur. Scholastici etiam appellant perfectiones divinas, item passiones: ubi vox passio idem est, quod proprietas. Ita enim usitatè illi loquuntur, *propriæ passiones rei*, id est, ἴδια πάθη. Porrò attributa Dei dividuntur in negantia & affirmantia seu positiva, ἀκοινώνητα & κοινωνητὰ, *incommunicabilia, & communicabilia*, quiescentia & operantia. *Attributa Dei negantia* removent à Deo omnem imperfectionem: cujusmodi sunt simplicitas, immutabilitas, immensitas, & æternitas: *affirmantia* notant omnimodam perfectionem; ut sunt omniscientia, omnipotentia &c. Intellige perfectionem θεοπρεπῆ. Nam perfectiones creaturarum, quæ sunt vel remedia malorum, vel levamenta & subsidia imperfectionū Deo non competunt: ut est ratiocinatio humana. *Attributa Dei incommunicabilia* sunt, quæ sunt infallibiles deitatis notæ, ita ut nullum effectum in creaturis edant: ut immutabilitas, immensitas, æternitas à priori, omnipotentia: *communicabilia* ita sunt in Deo, ut ipsorum effectum, vestigium, & imago cernatur in creaturis: ut sunt bonitas, sanctitas &c. *Attributa Dei quiescentia* notant actum immanentem, ut immensitas: *operantia*, emanantem, ut sanctitas. Vide infra Perfectio Dei.

Αὐτοζωή. Est nomen Dei apud Dionysium: quo significatur, Deum per se vivere, & aliis vivendi authorem esse. Græci soli possunt hanc Dei perfectionem exprimere: ut patet ex sequentibus nominibus, soli Deo convenientibus: αὐτάρκης, αὐτενέργητος, αὐτοκίνητος αὐτεξούσιος, αὐτεπιτάκτης, αὐταυτὸς, αὐτοάγαθος, αὐτοαλήθεια, αὐτοαπλότης, αὐτόβουλος, αὐτογόνεθλος, αὐτογενὴς, αὐτόγονος, αὐτοδύναμος, αὐτοῶν, αὐτοεῖναι, αὐτόνομος, αὐτοπάτωρ, αὐτοφῶς: quo postremo nomine Gregorius Nazianzenus appellat Spiritum sanctum, quoniam ipse vera lux est & unica, & sine eo nemo φωτίζεται. *Budæus ex Dionysio Areop.* ait p. 462. Deus à theologis vocatur τοῦ αὐτοεῖναι & τῆς αὐτοζωῆς nomine, ὡς ὁ αὐτὸ τὸ εἶναι παραγαγὼν καὶ ὑποστήσας. Porrò pronomen αὐτὸς in hac compositione notat vel perfectionem Dei essentialem, vel ideæ excellentiam: ut cùm dicimus cum Scaligero, τὸ αὐτοάνθρωπος, & τὸ αὐτοάγαθον, esse ideam ipsa substantia, i. e. specie nobiliorem *exerc.* 6. *sect.* 4.

Αὐτόθεος. Hæc vox sumitur latè & strictè, seu οὐσιωδῶς & ὑποστατικῶς. Priori modo Filius æquè est αὐτόθεος atq; Pater: qa communis est assentia. De Spiritu sancto idem est judicium. Posteriori modo solus Pater est αὐτόθεος. Et hoc quoque sensu Pater dicitur Deus καθ' ὑπεροχὴν *per excellentiam*: quia ipse solus non habet principium & origenem subsistendi, & est fons, à quo principium & originem habet Filius: unde & Pater dicitur major Filio: quāquam etiā Pater sit major Filio quantum ad humanam naturam, & officiū mediatoriū. Hinc patet, Bellarminū non rectè reprehendere Calvinū, quādo hic docet Patrem dici Deum καθ' ὑπερο-

χήν. Nam hoc idem docent Patres ex Scriptura. Et primò quidem *Ignatius in epistola ad Philippenses* sic inducit Christum loquentem ad Satanam tentatorem: Οἶδα τὸν ἕνα, ἐπίσαμαι τὸν μόνον, ὃ σὺ ἀποστάτης γέγονας. οὐκ εἰμὶ ἀντίθεος, ὁμολογῶ τὴν ὑπεροχήν, ἐπίσαμαι τὸ τῆς ἐμῆς γεννήσεως αἴτιον, τὸν πατέρα, hoc est, Novi unum illum, cujus tu desertor factus es. Non sum Deo adversarius, confiteor excellentiam, novi generationis meæ causam, Patrem. Idem docet *Athanasius oratione 2. contra Arianos*: μείζων εἶπεν, οὐ μεγέθει τινὶ, οὐδὲ χρόνῳ, ἀλλὰ διὰ τὴν ἐξ αὐτοῦ τοῦ πατρὸς γέννησιν, id est, Dicit quòd major sit, non quidem magnitudine, aut ætate, sed propter generationem ex Patre ipso. *Gregorius Nazianzenus orat. 4. de theologia*, dicit Patrem esse majorem Filio κατὰ τὸ αἴτιον, seu ratione originis, quam Filius habet à Patre. *Et orat. 2. de Filio* ait: ὅτι τὸ μεῖζον μέν ἐστι τῆς αἰτίας, τὸ δὲ ἴσον τῆς φύσεως, id est, Manifestum quòd majus dicatur ratione causæ, æquale autem respectu naturæ. *Basilius Magnus lib. 1. adversus Eunomium* verba illa Christi, *Pater maior est me*, sic explicat: Relinquitur ergo ut majus dicatur eo loco ratione causæ. Quoniam ergo Filii origo est à Patre, eo respectu Pater major est ut causa & origo. *Cyrillus lib. 2. thesauri cap. 3.* idem docet.

Αὐτολεξεί. Idem est quod κατὰ ῥητὸν, id est, totidem verbis. Ita dicimus aliquid extare seu proponi in S. literis vel explicitè, expressè, totidem literis: vel implicitè, analogicè, & κατὰ διάνοιαν. Hîc tenenda est regula Nazianzeni lib. 5. de theologia: *Perinde sunt ea, quæ ex Scripturis colliguntur, atque ea quæ scribuntur.* Si enim quod disertè positum est in Scripturis, verum sit, tum & illud etiam, quod inde necessariò consequitur, verum esse necesse est. Quædam non sunt, & tamen dicuntur esse in Scripturis, ut Deum habere oculos: quædam sunt, nec dicuntur tamen, scil. totidem verbis, ut Spiritum S. esse Deum: quædam verò neq; sunt, nec dicuntur, ut Deum esse authorem peccati: quædam deniq; & sunt, & dicũtur, ut, Deum in principio creasse cœlum & terram. Nazianzeni hæc distributio est: τὰ μὲν οὐκ ἔστι, λέγεται δέ. τὰ δὲ ὄντα, οὐ λέγεται. τὰ δὲ οὔτε ἔστιν, οὔτε λέγεται. τὰ δὲ ἄμφω, καὶ ἔστι, καὶ λέγεται.

Auxilium Dei. Est aliud generale, aliud speciale: & hoc naturale, sive singularis providentiæ; vel supernaturale, idque externum, vel internum. *Auxilium Dei generale* est, quo adest omnibus creaturis: *Speciale*, quo aliquis hominibus adest. Estque vel extra Christum (hoc fluit ex providentia Dei) vel in Christo, quod descendit ex prædestinatione. Hîc memineris auxilium speciale ὡς ἐπὶ πολὺ significare gratiam Dei in Christo. Et hoc modo auxilium Dei speciale dividitur in excitans, & adjuvans. Ibi sunt divinæ illustrationes atque inspirationes: hîc est cooperatio & directio divina. Denique cùm auxilium speciale dividitur in sufficiens & efficax: τὸ sufficiens est idem, quod sufficiens ad ἀναπολογίαν, & τὸ efficax idem, quod sufficiens ad σωτηρίαν. Aliàs hæc distinctio non potest consistere. Vide plura infra ad titul. Gratia.

Babylon. Urbs hoc nomine est nota. Mysticè significat Romam & mundum, propter dissutum & dissolutum utriusque statum. Quid enim mundus, & nomi-

nominatim Roma, hodiè aliud agit, quā ut per intestina bella & crudeles persecutiones sub auspiciis Papismi & Mahumedismi inter se acerrimè confligat, idq; sub prætextu propagandæ vel tuendæ veteris & avitæ religionis. Ut nunc demum Romæ & mundo propter has intricatas turbas Babylonis nomen & omē propriissimè conveniat. Quare huc pertinet quod Zacharias *c.5.v.9.10.11.* dicit *Epha illud* (in quod execrabilis illa abominatio compacta erat) *à duabus mulierculis in terram Sinear deferri, ut ibidem sacra sua basi imponatur.* Eo ipso nimirum indicans, in terra Sinear, sive Babylone, id est, in media mundi gentilitate aliquando ad eandem impietatem & religiosam fraudem eundem effectum secuturum; quem videl. nos hodiè in prædictis bellis oculis cernimus, & amaro sensu experimur. Atqui malum hoc etsi universum orbem graviter affligat, ferri tamen adhuc posset. Illud verò magis dolendum est, quòd ii, qui hoc ipsum ex Dei verbo observare & aliis ad præmonitionem suam monstrare debebant, per ejusdem fermenti reliquias, quas secum ex Ægypto contra interdictum extulerunt, ad eum modum inflantur, ut & ipsi in partes secedant, & in mutua prælia ruant: dumque his suis contentionibus reliquam orbis confusionem adaugēt, sophistarum simul malitiam crudelem & tyrannorum malitiosam crudelitatem, qua illi quidem veritatem calūniari, blasphemare & persequi, hi verò illorum decreta exequi non desinunt, quantum in ipsis est, approbant & justificant. Atque hęc est illa pestis, quam Ezechiel *cap.8.3.5.* vocat *idolum zelotypiæ ad æmulationem provocans*, quod dicit interiorem partem templi versus Septentrionem obsidere. Spiritus sanctus autem per huiusmodi spectrum excœcatum illum zelum indicare voluit, per quem non solùm vetus synagoga circa suum cœcutiēs præcipitium in varias sectas scindi, & & schismatibus exagitari, sed etiam Christiana religio ecclesiaque gentium circa ultima mundi tempora vastari debuit, & unà cum politiæ statu gravissimè perturbari. Et hoc est illud, quod Propheta ibi LXX. viros ex senioribus domus Israel videt, quorum singuli sua propria thuribula manibus tenent, in quibus unusquisq; in peculiari sua cella de suo, quod vult, offert. Num qua verò illustrior pictura præsentis status ecclesiæ ab Apelle ipso fingi potuisset? Sanè ipsissima jam regnat confusio Babylonica, in qua olim in varias partes & sententias itum est,

——— subitas discordia linguas
Cùm daret, & varius confunderet omnia sermo,

Ut canit Alcimus. Cæterùm Babylonis mysticæ sexies fit mentio in Apocalypsi: putà *cap.14.vers.8.cap.16.vers.19.c.17.v.5.c.18.v.2.10.21.*

Baculus. Propriè est idem quod scipio, *Gen.32.v.10.Exod.12.v.11.* impropriè significat 1. auxilium, idque divinum *Ps.23.v.4.* vel humanum, *Esa.36.v.6.* *2.Reg.18.v.21.* 2. robur bellicum *Esa.10.v.5.24.ca.14.v.5.Ier.48.v.17.* 3. idolum *Hos.4.v.12.* 4. vim arcanam. quo sensu baculus sive scipio panis dicitur à Deo confringi *Levit.26.v.26.Ezech.4.v.16 c.5.v.16.* Sunt qui ex loco Esaiæ probant, per baculum panis non intelligi ipsam alendi vim, quę est in pane, sed ipsummet panem, idque propter vim alendi: quia ut homo, præsertim senex aut imbecillis, baculo seu scipione se sustentat, ne collabatur: ita

pane sustentatur homo ne collabatur ex inedia. Verùm prior interpretatio est potior: quia Deus frangit baculum panis, quando maledicit pani *Deut.*28.

Baia. Βαΐον est palma. Hinc in veteri ecclesia βαΐα dicebantur dona, quæ ab Imperatore & Patriarcha quotannis distribuebantur septimana, quæ ante diem palmarum: unde & nomenclatura. Imperator autem palatinis suis, Patriarcha clericis dabat. Fiebat hoc etiam in aliis solennitatibus: unde & βαΐα quælibet bona vocantur. Βαΐα σείειν vel θαλλοσείειν apud Patres est ramos palmarum quatere seu concutere: scil. in honorem eius, cui pompa ducitur. Vide sermonem Epiphanii εἰς τὰ βαΐα, i.e. die palmarum habitū, & infra titul. Hosanna.

Baptismus. Elegans est sacri baptismi descriptio apud Prudentium:

Cultor Dei memento
Te fontis & lavacri
Rorem subisse sanctum.

Itaque baptismus dicitur *fons sacer*, *& lavacrum sanctum.* Quibusdam etiam dicitur *lavacrum renascentiæ.* Videas quoque in neutro genere *baptisma & baptismum*: ut apud *Ambrosium lib* 2. *de sacram. cap.*6. Quia Pharisæi, qui noluerunt baptizari baptismo Johannis consilium Dei spreverunt: ergo baptismum Dei consilium est. Aliàs etiam patet hæc vox ad veteris Testamēti ablutiones, quibus defungebantur qui secundùm legem impuri erant. De hac voce sic annotant *Concordantiæ Latinæ Bibliorum vulgatæ vers.* Baptisma, baptismus, id est tinctio, immersio, & ab effectu ablutio, lavacrum 1. propriè est sigillum & sacramentum primæ initiationis nostræ cum Deo per Christum in carne manifestatum. *Matt.*3.*v.*7. *Marc.*1.*v.*4. *Rom.*6.*v.*4. 2. baptismata, i.e. lotiones Judaicæ & legales *Marc.*7.*v.*4. *Heb.*9.*v.*10. 3. baptismus Johannis, id est, Johannis Baptistæ doctrina & sacrum ministerium *Matt.*21.25. *Marc.*11.30. *Act.*18.25. *&* 19.3. 4. Baptismus Christi, i.e. crux & passio amarissima. *Marc.*10.38.39. *Luc.*12.50. Pertinet hæc distinctio baptismi in eum qui est fluminis, flaminis, luminis, & sanguinis. Tertullianus usurpat hanc distinctionē, sed ita ut omittat baptismū luminis. De baptismo fluminis seu aquæ vide *Matt.*3.11. flaminis seu spiritus *Act.*1.*v.*5. sanguinis seu martyrii *Marc.*10.38. luminis seu doctrinæ *Acto.*18.25. Baptismus fluminis est sacramentū, quod veteribus appellatur δῶρον *donum sive munus* φώτισμα, *illuminatio, vita, & viaticum.* Quos titulos vide suis locis.

Baptizo. Significat religiosam actionem in Christianismo. Cùm eius vim Latini exprimunt, dicunt *tingere*, quòd fit immergendo, vel aspergendo. Atque ita baptizo est externum baptismi signum confero; baptizor, illud recipio. *Matth.*3. *v.*6. Deinde idem est, quod rem sacram, symbolo visibili & externo significatam confero, vel recipio *Matth.*3.11. *cap.*1.8. Tertiò est sordibus corporis abluere *Mar.*7.4. Quartò est in afflictiones gravissimas, & mortem amarissimam immergi *Marc.*10.*v.*38.39.

Barachias. Multi hoc nomine celebrantur in sacris: quos inter etiam est Jojada. Ille enim fuit binominis ut cōstat ex *Matth.*23.*v.*35. Ubi quidam annotant Jehojadah & Barachjah convenire significatione. Nam illud sonat *laudans Dominum*; hoc, *benedicens* Domino.

Barbarus. Est ἑτερόγλωσσος, qui est diversæ linguæ, ita ut non possit à nobis intelligi, nec nos ab illo. Vide 1. *Corinth.* 14. *vers.*

14.*vers.*11. Et elegãter Ovidius in Ponto:
Barbarus hîc ego sum, quia non intelligor ulli.
Origo vocis est Chaldaica. Nam Chaldæis בר est ager, silva, desertum: item foris, extra: denique exterus, peregrinus. Duplicatio vocis notat admodum extraneum. Quidam derivant à בר *filius* q.d. filius, filius nempæ terræ, vel ignotus.

BAR JONA. Hieron. putat legẽdum, Ἰωαννᾶ *Matth.*16. *vers.*17. Latinè *Iohanan.* Sed prior lectio est recepta. Est autem cognomen Petri Apostoli: de quo infra. Cæterùm aliquot nomina propria occurrunt in N.T. in quibus vocula *Bar* ingreditur compositionem. e. g. Βαρθολομαῖος, nomen Apostoli, Hebr, *filius haurientis aquas.* Βαρϊησοῦς *filius Iesu.* Βαρνάβας, *filius consolationis.* Βαρσαβᾶς, *filius quietis.* Βαρτίμαιος, *filius immundi.* Vocula *Bar* est idem quod *Ben*: quæ vox cernitur in *Beniamin*, filius dextræ: item in Βοανεργὲς *Marc.* 3.17. quæ vox est Syriaca, Græcè υἱοὶ βροντῆς, *filii tonitrui.* Sic Johannes & Jacobus fuerunt dicti. Vide paulò pòst titul. Βροντᾶν τὴν θεολογίαν.

Βασανίζω. Propriè est expostulo examinando, inquirendo fatigo, molestiam exhibeo, torqueo. Hoc verbum tribuitur testibus veritatis *Apoc.*11. Quemadmodum itaque exercitus bestiæ præter ius affligit filios Dei, quod verbo ἀδικῆσαι significatur *Apoc.*9. ita testes Christi de injuria facta expostulant, authoremque in jus vocant, & multum negotii eis facessunt. Quam in sententiã etiam usurpatur vox βασανισμὸς *Apoc.* Aliàs eadem radix Græca *Apoc.*14.10.11. de æterno cruciatu eorum, qui bestiam adorarunt, usurpatur.

BASILICA. Regum habitacula primò appellata sunt basilicæ. Deinde templa cœperunt etiam hoc nomine insigniri: vel propter regiam structuræ magnificẽtiam, vel quia Deo regi regum cultus ibi exhibetur.

BATTOLOGIA. Duo vitia insunt in battologiâ: repetitio eorundem verborũ, odiosa, inanis, ac vana: item multiloquium. Christus in precibus damnando battologiam, utrumq; vitium damnat *Matt.* 6.*v.*7. Quid verò, inquiet aliquis, an non licet Deum precari multis adhibitis verbis? Resp. Christus damnat ejusmodi πολυλογίαν, quæ 1. intentionem orantis frãgit, & à proposito abducit. 2. copià verborum, quasi agmine facto, ut loquitur Tertullianus, putat se posse aliquid impetrare, adeoque in multiloquio ponit meritum. Ita Dominus d.l. de Gentibus ait, ipsas τῇ πολυλογίᾳ δοκεῖν εἰσακουσθῆναι, *ob multiloquium putare se exaudiri.* Polybius id vocat μαγγανεύειν πρὸς τοὺς θεούς, q.d. lenocinium & indecoras blanditias adhibere ut deos flectas. Hoc modo accipere oportet, quæ *Clemens Alexandrinus libro* 7. *Stromat. Chrysostom. comment. in Matthæũ, & orat. de Anna Samuelis matre, Ambrosius libro primo, de Abel & Cain c.* 9. disserunt de multiloquio, illud Deo displicere in precibus: scil. non per se, sed propter duo illa quæ diximus.

BATUS. Apud Hebræos erat mensura liquidorum, decima pars chomeris, quãta est epha aridorum. Fit tamen, ut eædem aliquando mensuræ aridorum & liquidorum dicantur: & tum aridorum majores sunt, liquidorum minores; quia arida accumulantur. Hinc nonnulli conciliant loca 1. *Reg.*7. *vers.*26. & 2. *Paral* 4. *vers.*5. ubi mentio fit lacus fusi & in templo Salomonis dicati. Illîc duo millia batorum, hîc tria cepisse dicitur: quòd

illîc de liquidis, hîc de aridis sit sermo. Alii malunt dicere, minorem fuisse mensuram quę ordinariè inferebatur; maiorem verò totam capacitatem usque ad summitatẽ labri. Prior conciliatio est Schindleri, posterior Fr. Junii.

Beelzebub. Sunt duæ voces Chaldaicæ: בְּעַל *dominus*, צְבוּב *musca*. Erat idolum Ecronitarum in Palæstina, ex eo dictum, quòd muscas perniciosas & pestilentes abigeret, cùm ipsi litatum esset. Et Jupiter, qui muscas depellebat aut interficiebat, apud ethnicos appellatus fuit μυιαῖος, & μυιώδης, *muscarius*: item ἀπομυῖος, & ἀπομυιαῖος, *muscarum depulsor*. Idẽ vocabatur *Achor* à nomine vrbis *Ecron*, sive *Acron*. Cæterùm *Matth*.12.*v*.24. *Marc*.3. *v*. 2. *Luc*. 11. *v*. 15. princeps dæmoniorum vocatur *Beelzebub*, corruptè *Beelzebul*; ꝙ tamen apud Chaldæos est dominus stercoris. זֶבֶל enim illis est stercus. Sed prius etymon est γνήσιον, quòd nempe diabolus ab illo Ecronitico idolo nomen acceperit: qui alioqui etiam dominus muscarum dici possit, i. e. reliquorum immundorum spirituum. LXX. 2. *Reg*. 1. *v*. 4. Baalzebub verterunt Βάαλ μυιᾶς.

Belial. Est vox Hebræa, significans nequam: q. d. ἀχρεῖος, ex בְּלִי *sine*, & יָעַל *prodesse*: vel q. indomitus, ex בְּלִי *sine*, & עוֹל *iugo*. Græci dicunt ἀκόλαστον, *impunibilem*. Dicitur de personis & rebus *Deut*.15.*v*.19. & usurpatur ut nomen appellativum, & proprium Satanæ 2. *Cor*.6.*v*.15. Sunt qui putant Belial esse idem cum Hebraico Bel: ut sit nomen idoli.

Bellum. Metaphoricè ponitur pro multiplici lucta, quam experiuntur filii Dei in Ecclesia militante. Unde Poëta:

Nunquam bella piis, nunquam certamina desunt:
Et quî cum certet mens pia semper habet.

Benedico. Dicitur de Deo, homine, & aliis creaturis. Nam Deus benedicit, vel influendo *Gen*. 1. 22. vel sanctificando, sive destinando sancto usui *Gen*. 2. 3. Benedicit homo vel laudando Deum *Genes*. 14. 48. vel bene precando homini *ibid*. *v*. 19. Benedicunt aliæ creaturæ, testando de maiestate Dei *Psal*. 103. 21. 22. Porrò benedico per ironiam etiam ponitur pro maledico 1. *Reg*. 21. 20. *Iob*. 1. 5. 11. *c*. 2. 5. 9.

Beneplacitum. Scholastici beneplacitum Dei vocant benevolum Dei affectum erga nos in Christo: Scriptura appellat εὐδοκίαν θεοῦ. *Placitum* Dei vocant eius voluntatem in genere.

Bestiarius. Duo significat. 1. qui cum bestiis pugnabat ludis publicis in amphitheatro. 2. qui ad id periculum damnatus erat. Græcis dicitur θηριομάχος. Christiani in primitiva ecclesia ante Constantini M. tempora hoc supplicio sæpe fuerunt affecti. Unde *Amm. libr*. 15. Quanquam ut bestiarii obiiceremur intractabilibus feris. Cæterùm θηριομαχεῖν etiam aliam habet significationem, quã vide infra in lit. τ.

Βδέλυγμα ἐρημώσεως, Abominatio desolationis. Vulgo intelligunt per hanc phrasin desolationem illam urbis & templi per Romanos. Sed revera Christus *Matth*. 24. & *Marc*. 13. intelligit per has voces corruptelam cultus divini, quã comitatur pœna. Intelligit, inquam, ultima Judaismi & Mundi tempora, ita ut ibi cum profanatione cultus sacri cohæreat tyrannis Romanorum, hîc cum extrema morum impietate & publica idololatria certissima variarum plagarum colluvies, ut ita dicam. Ubi notandum est βδέλυγμα Græcorum ad unguem exprimere

primere Hebræorum שקוץ *Dan. 9. v. vlt.* & משמם respondere voci ἐρήμωσις. *ibid.* Nam שקוץ propriè illud significat, quod immundum reputatur, quodque in cibo aut potu non citra nauseam abominamur: qualis nempe Judæis est caro suilla. Hinc deinceps admodum eleganter ad idola, & quæcunque cultus idololatrici instrumenta transfertur: quibus nempe hęc appellatio ab affectu tribuitur, quem huiusmodi σκύβαλα apud pios & fideles movent & causantur: Qui videl. illa non leviori indignatione, quàm ipsissima diaboli excrementa, aversantur. Nam hæc propria vis & verbi שקץ, *aliquid cum nauseâ aversari, abominari.* Qua ratione vox hæc alteri שמם è diametro opponitur, in eo quòd Daniel similiter per eam indicat idololatricorum instrumentorum effectum, quem apud impios & infideles inprimis habent, dum eos incusso stupore effascinant, & magica quadam vi ad superstitionem pelliciunt. Nimirum שמם significat huiusmodi desolationem, qua locus aliquis ad horridam & vastam solitudinem redigitur, quæ intrãti protinus horrorem incutit. Unde hoc verbum non semel significat: *attonitum fieri præ admiratione obstupescere.* Ab hoc ergo fonte angelus apud Danielem vocem istam transfert ad profanationem templi & tyrannidem Romanorum, ita ut significet ista tria. 1. *Profanationem templi internam & spiritualem*: qua Judæi sanctum illud sanctorum, quod olim tale fuerat, in horridum delubrum, & cultum ipsum in detestandam idololatriam transformarunt, non aliter quàm si dæmon aliquis impurus locum illum à Deo desertum occupasset. Sic enim Spiritus sanctus totius templi, & ipsius præcipuè sanctuarii, statum ab eo tempore æstimat, quo verum Christi sacrificium extra templũ, imo extra urbem, in cruce oblatum est, per quod omnis sanctitas templi ablata, & sub apricum cœlum ad universas gentes translata fuit. Cur verò Apostoli atria templi frequentarunt? Resp. Ut in iis populi concursum captarent, vel in gratiam infirmorum adiaphoras quasdam ceremonias ibi peragerent, non verò ut operoso sacrificiorum cultu defungerentur. Universus enim ille cultus post ablatum nucleum, id est, repudiatum Messiam, & consummatum illius æternum sacrificiũ, prorsus vanus & merè idololatricus fuit: à quo propterea tantum abest, ut Deo placeat, ut potiùs iram eius provocet, & fatales calamitates exasperet. 2. *Externam & realem profanationem*; quæ peracta fuit per depictas aquilas Imperii Romani & Imperatorum imagines, & similia, quæ Romani ad maius ludibrium Judæorũ in templum intulerunt. 3. *Externam tyrannidem populi Romani*; quam detestanda illa populi Judaici ingratitudo ab eo tempore, quo Christus obtulit suum sacrificium in ara crucis, contra se irritare & exacerbare non desinebat. Atque hæc omnia significantur phrasi βδέλυγμα ἐρημώσεως. Ubi non est prætereundum hanceãdem phrasin Antiocho Epiphani & Antichristo competere, hoc modo. Antiochus Epiphanes Jovem suum Olympium in templo Dei super altari collocavit, atque ita intulit שקוץ משמם *abominationem desolantem* q. d. idolum, quod vastitatem secum adfert. Eandem quoque phrasin Spiritus sanctus transfert ad Antichristũ eiusdemque multijugam idololatriam & splendidum religionis apparatum, cui ad stupefaciendos mortales Dei nomen

prætendit. Illius enim universus religionis apparatus eò tendit, ut spectatores & auditores ad cœcam devotionem inducantur, & imperatorum animi iniecta pro vera Dei cognitione superstitione, percellantur & attoniti reddantur. Pertinent huc stupendę templorum moles, monumenta antiquitatis, splendor ceremoniarũ theatricarũ, & inprimis missa cui tanq̃ centro & basi cultus profanati vox מְשֹׁמֵם propriissimè competit: sicuti etiam videmus eos, qui templa Antichristi ingrediuntur, ad Missæ spectaculum pectus contendere, & ceu attonitos in terram procidere. Est autem hoc diaboli artificium valde antiquum. Nam ethnicorum sacrificuli in suis delubris & fucis varias ceremonias adhibebant, & heroum suorum miracula allegabát. Quid? Ipse populus Dei per Jeroboamum eodem artificio seductus fuit. Collocavit enim ille suos vitulos in tribu Dan, & in Bethel suæ tribus oppido, ut ex his ipsis locis antiquæ Patrum religionis, & miraculosæ conversationis sanctorum Patriarcharum prætextum captaret, per quem vulgus Israeliticum effascinabat, ut relicto vero Dei cultu idola ipsius amplecterentur. Confer *Genes.* 28. 17. *& seqq. Iud.* 18. 30. 1. *Reg.* 12. 29. 30. Græci huiusmodi idolatricum spectrum *μορμών*, & illius delubrum *μορμολυκεῖον* vocant. Daniel *cap.* 9. *vers. vltim.* & *cap.* 11. 31. in historia Antiochi, item *cap.* 12. 11. in explicatione negotii Antichristi appellat, ut iam aliquoties diximus שִׁקּוּץ מְשֹׁמֵם, quod Christus in prophetia de ultimis mundi temporibus *βδέλυγμα ἐρημώσεως* interpretatur. Hinc ergo liquet, per hanc phrasin non tantùm externam urbis templique destructionem & vastationem indicari: sed etiam internam & spiritualem templi profanationem, quæ in tribus est posita. 1. Ordo sacerdotalis cum primoribus populi sua hypocrisi & avaritia templum templique cultum multipliciter corruperat, & ex domo precationis speluncam latronum effecerat. Confer *Matth.* 21. 13. cum *Ierem.* 7. 11. *& Ezech.* 8. 2. Christus huic iniquitatis mysterio superveniens, extra templum ipsamque civitatem in ara crucis unicum illud Deo Patri verumque & æternum sacrificium obtulit, per quod vetus ceremonialis cultus, qui templum hactenus sanctificaverat, consummatus & de facto cassatus fuit, ut ab eo tempore illud templi ædificium nihil aliud quàm vastum delubrum esset. 3. Ad spiritualem istam profanationem accedebat Romanorum multiplex protervia, qua illud de facto violabant. Hæc autem omnia sunt typus Antichristianæ desolationis, ut in superioribus diximus. Hodiè sanè plus satis experimur, quomodo religio Romana sit שקוץ משמם.

Βέβαιος. Est firmus. Βεβαιόω, confirmo. Occurrit hæc vox *Hebr.* 13. *vers.* 9. *Bonum est enim gratiâ constabiliri* (*βεβαιοῦσθαι*) *cor.* Intelligit gratiam Dei in Jesu Christo vera fide apprehensam. Hæc enim sola constabilit, sive confirmat cor nostrum. Hinc *Cyprianus de mortalitate, sect.* 2. Quis hîc anxietatis & sollicitudinis locus est? quis inter hæc trepidus & mœstus est, nisi cui spes & fides deest? Et *Augustinus tom.* 10 *de verbis Domini serm.* 28. Præsume non de speratione tua, sed de Christi gratia. Et *Fulgentius libr.* 1. *de prædestinat. ad Monimum*: Justus ex fide vivens, fiducialiter dicit,

cit, Credo videre bona Domini in terra viventium. Sic *Bernhardus epist.190.ad Innocentium Papam*: Non est enim fides æstimatio, sed certitudo.

BEHEMOTH. *Behemah* Hebræis propriè est pecus, iumentum in genere: *Behemoth* plurali numero *Iob.40.* significat maximã bestiam inter iumenta. Etenim is numerus Hebræis aliquando ad rem vnam, sed grandem, significandam traducitur. Est autem elephas maximum in iumentis. Quòd autem *Behemoth* d. l. significat elephantem, ex scopo promtum est colligere. Nam Dei propositum est eò loci duobus clarissimis & incomparabilibus exẽplis, ex animalium ordine desumptis, immensam suam potentiam palam asserere. Delegit ergo hanc ad rem animalia omnium maxima: qualia sunt elephas inter terrestria, & balæna inter aquatilia. Illum appellat *Behemoth*, hunc *Leviathan*. Hanc sententiam sequuntur posteriores Judęi, & plerique ex nostris.

BENONI. Sic Hebræi appellant participium præsens, cuius hæc est ratio, ut de omnibus temporibus, de præterito nimirum, præsenti, & futuro intelligi possit.

BESTIA. Per bestiam in prophetia Danielis & Apocalypseos intelligere oportet imperiũ seculare. Huiusmodi bestias quatuor describit Daniel *cap.7.* quæ sunt notæ hieroglyphicæ quatuor Monarchiarum. In Apocalypsi per bestiam intelligitur Imperiũ Romanũ *c.13.* hoc modo. Archidraco, i. e. diabolus, postquam vidit, se in bello, quod in cœlis gesserat, succubuisse *Apoc.12.* illud in terras transtulit. Ut autem ibi feliciùs illud administret, alium quendam Subdraconem sibi adsciscit, quem sibi pro generali legato siue locumtenente substituit. *Apoc.13.2.* Draco iste est bestia septiceps & decemcornis. Hæc est ipsissima quarta bestia Danielis, ut vel ex eo patet, quòd Johannes in bestiæ suæ descriptione textũ Danielis magnam partem repetit, ut nihil dicam de experientia totiusque mundi historia. Ubi non est prętereundum, quartam Danielis bestiam esse reliquarum trium cõpendium: quam ob causam ipsi tribuentur symbola sive notæ hieroglyphicæ trium præcedentium: putà *os leonis*, propter imitationem formidabilis tyrannidis, & blasphemiarum, quas leo Babylonicus olim in populum Dei & templum, ipsiusque cultum exercuit & evomuit: *pedes ursi*, propter imitationem Persicæ rapacitatis, libidinis & avaritiæ: denique *figura pardi* propter simitudinem successus & degenerantem ἀζωτίαν & sævitiam imperii Macedonici. Nimirum, quidquid Israelitæ à leone Babylonico, urso Persico, & Pardo Macedonico sigillatim sunt perpessi: hoc Ecclesiæ N. T. sub quarta bestia coniunctim est exantlandum: ut huic Bethuliæ nec Nebucadnezaros, & illorum duces Holophernes, nec Ahasveri, & illorum Hamanes, nec Antiochi, & illorum duces atque satellites defuturi sint, qui eam perpetuò exerceant. Itaque Ecclesia N.T. potest dicere cum Davide *Psalm.3.2.3. Domine quantum multiplicantur inimici mei?* Multi *insurgunt adversum me.* Multi *dicunt animæ meæ, non superesse ei salutem in Deo.* Ubi Rabbini annotant, querelam hîc à Davide nomine totius Ecclesiæ institui super persecutorum suorum tam tyrannorum quàm hypocritarum multitudine, ita ut vox רבים significet quatuor bestias Danielis putà Romam, Babylonem,

Javanem & Medos: ubi Romana primo loco sit posita, quòd reliquarum trium bestialem malitiam sub se comprehendat, eamque longiùs propaget, quàm tres priores. Atque hæc est bestia illa Danielis quarta, & quam etiam describit Apocalypsis, unam quidem subiecto sive corpore, sed geminam tempore & spiritu. Bestia siquidem apocalyptica est antiqua, & rediviva, seu primaria, & secundaria. *Antiqua & primaria* est vetus Romanum imperium & ethnicum. Septem ipsius capita notant plenitudinem potestatis, quam in septem montibus, & per septem reges exercuit. Decem ipsius cornua notant externum ipsius robur in totidem provinciis. *Rediviva & secundaria bestia* est Roma Christiana degenerans, in qua veri & nativi Antichristi medulla nobis exhibetur. Hæc bestia ascendit è terra, hoc est, non è cœlo habet suam originem, ut ecclesia, sed tota è terrestri fastu & ambitione componitur, & ex obscuris atque sordidis initiis ad supremum in terris maiestatis culmen pervenit. Cornua huius bestiæ sunt similia cornibus agni, hoc est, mitis & innocentis imperii speciem præ se fert. Sunt autem cornua duo, per quæ Mahumedismus & Papismus intelliguntur, ita ut alterum cornu in Oriente, alterum in Occidente suam operationem exerceat. Sanè hæ duæ potentissimæ Antichristi familiæ ex collapsis primæ bestiæ ruderibus, hoc est, ex veteris Imperii Romani ruina, sub habitu doctorali seu prophetico extiterunt. Et Papa quidem Romam occupavit, avitam illam sedem, Mahumed autem Cõstantinopolin, alteram Imperii Romani Metropolin. Rursus Papa habitu meretricio utitur, & ideo comparatur mulieri, quæ dicitur insidere bestiæ, Mahumed verò bestiam totã subvertit. Sed in pauca contrahamus significationem vocis *Bestia* in Apocalypsi. Usus eius est æquivocus, quia iam latè, iam strictè eo utitur Propheta. *Latiùs* utitur, quando Bestiæ appellationem etiam antiquo Imperio tribuit, ut *c.* 13.4.12. & tum vox hæc nihil aliud quàm apud Danielem significat, potens aliquod & vulgare mundi regnũ, quod sanctis præcipuè & Dei populo formidolosum est. Utitur eodem restrictiùs bifariam. Primò enim sub Bestiæ appellatione illud Imperium indicat, ꝙ ex Agni & Draconis heterogeneis speciebus conflatum in prioris Bestiæ regalia succedit *cap.* 13.11. deinde specialissimè per vocem hanc Papatum indicat, ipsamque Italiam, & Urbem Romam præcipuè: Et hæc ferè capitis 17. significatio est. Cæterùm bestiæ mysticæ semel & tricies fit mentio in Apocalypsi, hoc modo. *cap.* 11.*v.*7.*c.*13.*v.*1.2.3.11.12 14.15.17.18.*c.*14.*v.*9.11.*c.*15.*v.*2.16.*v.*2.10.*c.*17.*v.*3.7.8.11 12.13.17.19.20.*c.*20.*v.* 4.10. Memineris quibusdam in versibus bis occurrere hoc nomen, ut *c.* 13.*v.*12.*c.*17.*v.*8.20.

BETHLEHEM. Duæ urbes occurrunt hoc nomine: altera in tribu Juda, quæ & Ephrata cognominata: altera in tribu Zabulon, id est, in Galilæa inferiore. In priori Christus est natus *Matth.* 2. *vers.* 6. Nimirum panis vitæ natus est in domo panis. Id enim sonat *Bethlehem.* Hîc disputatur, in urbe ne an extra urbẽ Christus sit natus. *Iustinus Martyr in dialogo cum Tryphone*, ad urbem, non in urbe, versatam esse tum B. Virginẽ scribit: ἐν σπηλαίῳ τινὶ, ait, σύνεγγυς τῆς κώμης κατέλυσεν, *In aliquam speluncam vico propinquam divertit.* Et *Eusebius libr.* 7. *demonstr. evang.*

agrum

agrum ostendi solitum ait, ubi virgo partum admirabilem esset enixa. *Baronius in annalibus suis ad an.* I. ait, speluncam, in qua dicitur Christus esse natus, non in urbe, sed in suburbiis Bethlehemiticis fuisse positam. Sed *Casaubonus exerc.* I. doctè ostendit ex verbis Lucæ, Josephum & Mariam non invenisse locum in diversorio, sed in stabulo jumentorum, quod erat diversorio conjunctum, aut saltem propinquum.

Biblia. Per excellentiam Biblia dicuntur libri sacri canonici & ἐνδιάθηκοι, prophetici & apostolici. Quanquam sub hac appellatione aliquando etiam comprehenduntur libri apocryphi. Sunt autem in universum libri canonici utriusque testamenti; si omnes sigillatim enumeres, LXVI. veteris quidem XXXIX. novi verò XXVII. Veteres Judæi, pro numero alphabeti Hebræorum; ad XXII. redigunt libros V. T. *Ioseph. contr. Appion.* Sic & *Athanasius in synopsi scriprura sacra*: Sunt itaque Canonici veteris instrumenti libri viginti & duo, literis Hebraicis numero pares. Totidem enim apud Hebræos sunt literarum elementa. Præter istos autem sunt adhuc alii veteris Instrumenti libri non-canonici, qui catechumenis tantùm leguntur: Sapientia Salomonis, Esther (*id est, Adiectiones ad librum Esthera.*) Judith, Tobiæ &c. Hic verò librorum numerus ita efficitur, ut liber Judicum & Ruth, uterque Samuelis, Regum, Chronicorum, itemque Esdræ & Nehemiæ, prophetia Jeremiæ & Threni, denique duodecim prophetæ minores, sub uno singuli comprehendantur. Vide *Melitonem apud Eusebium, Origenem apud eundem lib. 6. hist. eccles. c.* 19. *Hieronymum in prologo Galeato, & alios.* Elegans hac de re est carmen apud *Gregorium Nazianz. in carminibus*:

Ἀρχαίας μὲν ἔθηκε δύω καὶ εἴκοσι βίβλους,
Τοῖς τῶν Ἑβραίων γράμμασιν ἀντιθέτους.

Atque pro duplicium literarum Hebraicarum numero, quinque duplices designari volunt, videl. duos Samuelis, Regum, Chronicorum, Esdræ & Jeremiæ Nonnulli tamen supputant XXIV. libros V.T. ita nempe ut historiam Ruth & Threnos Jeremiæ sejungant. *Hieron. in prologo.* Unde posteriores Judæi Scripturam V.T. עשרים וארבע appellant. Et ita quidem enumerari solent libri canonici. Enumerationi subjiciemus distinctionem. Ea verò est varia. Nam primò libri sacri distinguuntur secundùm authores: quòd nempe scripti sint à Mose, Esdra, regibus, ut Davide & Salomone, summis sacerdotibus, prophetis, evangelistis, & apostolis. Deinde distinguuntur secundùm tempus scriptionis, quòd sint exarati ante captivitatem Babylonicam, in illa, vel post illam. Tertiò distinguuntur certis classibus, quæ Judæis, Græcis, & Latinis non sunt uniusmodi. Antiquissima partitio est ea, quæ ab Esdra putatur facta, qua usus est vetus synagoga, quamque approbarunt Christus & apostoli: qui libros V.T. distribuunt vel in duos ordines, legem Mosis (quæ simpliciter Lex, & Moses dicitur) & in prophetas *Actor* 28. *v.* 23. *Matth.* 5. *v.* 17. *Luc.* 16. *v.* 29. vel interdum in tres, nempe & Psalmos *Luc.* 24. *v.* 44. sub quibus tanquam præcipuo libro Hagiographos comprehendunt. Discrimen tantùm est in numero. Josephus secundi ordinis facit XIII. Jobo & Daniele prophetis

phetis annumerato; reliquos quatuor tertii ordinis facit. Hieronymus ex Judæorum sententia secundo ordini assignat octo, q. sunt Josua, Judices & Ruth, Samuel, Reges, Esaias, Jeremias, Ezechiel, & *TereAsar*, id est, duodecim prophetæ, qui & liber prophetarum dicitur *Act. 7. v.* 42. reliquos verò novem hagiographis accenset. Vide infra titul. HAGIOGRAPHA. Cum hac distinctione eadem est hodierna Hebræorum: quamvis in quatuor ordines facere videantur. Nam post legé, quam חֲמִשָּׁה חוּמְשֵׁי תוֹרָה *Chamischa Chomesche Tora*, id est, πέντε πεντάδας νόμου, seu quiniones, id est, quintas partes legis appellant: subiiciunt, (seu potius conjungunt cum lege Sepher seu חָמֵשׁ מְגִלּוֹת, id est, quinque volumina: putà Canticum cãticorum, Ruth (quem librum ab initiali voce appellant *Echa*) Ecclesiasten, & Estherem: non tanquam secundam Bibliorum partem, sed ob singularem Synagogæ usum, anniversariam scil. certis temporibus, juxta legem eorum, lectionem, ab hagiographis divulsa. Secundus itaque illis ordo est prophetarũ, seu נְבִאִים, quos distinguunt in priores & posteriores. Illi à Josua usque ad Esaiam, hi reliqui, fortè à tempore, quo scripserunt, & eorum libri in thesaurum ecclesiæ repositi sunt, sic nominati. Tertius denique ordo est כְּתוּבִים, quem γραφεῖα & ἁγιόγραφα vocãt. Græci & Latini hunc ordinem observant, ut libros V.T. distinguant in historicos, dogmaticos, & propheticos. Inter Græcos *Gregorius Nazianzenus libro carminum* historicos facit XII. Mose historicis annumerato: quinque metricos seu poëticos: denique prophetarum, duodecim prophetis uno volumine conjunctis. *Epiphanius lib. de mens. & pond.* Paulò aliter constituit classes horum librorum. Eum sequitur Damascenus, hoc modo. Quatuor sunt Pentateuchi, seu quinarii, & unus binarius. Primus est νόμος, seu νομοθεσία, lex seu legislatio: secundus γραφεῖα seu ἁγιόγραφα; ut sunt Josua, Judicum cum Ruth, Samuelis duo. Regum duo, & duo Chronicorum: tertius στιχήρεις: quartus, προφητικός. Binarius deniq; est Esdras & Esther. *Alii* partiuntur libros historicos V.T. in pentateuchum Mosis, expressa Hebraica voce חוּמָשׁ: & octateuchum, ut sunt Josua, Judicum, Ruth, libri quatuor Regum, duo Paralipomenon, Esdræ duo libri, & Esther. *Sunt etiam* qui libros historicos dividunt in pentateuchum Mosis, triteuchum (ut sunt Josua, Judicum & Ruth) & octateuchum; ubi sunt duo Samuelis, duo Regum, duo Chronicorum, Esdras cum Nehemia, & Esther. *Scholastici* libros V.T. distinguunt in legales, historicos, dogmaticos sive sapientiales, & propheticos, quos ratione magnitudinis scriptorum dividunt in majores & minores. Porrò libri N.T. distinguuntur vulgò in quatuor classes. Prima complectitur quinque evangelia: secunda, Acta apostolorum: tertia, epistolas: quarta, Apocalypsin. Commodè autem hi libri distingui possunt in historicos, dogmaticos, & propheticos. Historici sunt quatuor evangelia & Acta apostolorum: dogmatici, epistolæ: propheticus, apocalypsis. Quod attinet ad epistolas, illæ dividuntur in particulares & catholicas. Epistolæ particulares sunt XIV. Paulinæ: è quibus aliæ inscriptæ sunt particularibus ecclesiis, putà Romanæ, Corinthiæ &c. aliæ particularibus personis, nempe Timotheo: aliæ integræ nationi, putà

Hebræis.

Hebræis. Epistolæ catholicæ sunt, quæ inscriptæ sunt ecclesiæ catholicæ: ut sunt septem epistolæ aliorum apostolorum. Dicuntur autem catholicæ à potiori. Nam duæ Johannis, ad Electam Dominam & Gajum, sunt particulares. Cæterùm epistolæ catholicæ etiam dicuntur canonicæ, & formales. Causam vide ad titul. CANONICUS.

BLASPHEMUS. Theologis dicitur, qui est maledicus in Deum, qui divinam majestatem injurioso dicto, vel etiam cogitatione lædit: etsi de dicto propriè usurpatur. Hinc est verbum frequens ecclesiasticis scriptoribus, *blasphemo*. Porrò blasphemus dicitur de persona & re. Sic *Act.6 v.13* βλάσφημα ῥήματα λαλῶν, *verba blasphema loquens*. βροντᾶν τὴν θεολογίαν. *Chrysostomus in editione Etonens. tom. 5. pag. 696.* tres evangelistas, Matthæum, Marcum, & Lucam comparat fulguri; οἱ μὲν, ait, ἤστραψαν τὴν οἰκονομίαν, *fulguribus similes Christi dispensationem*, i. e. incarnationem, *illustrarunt*: at Johannem tonitru; quem ait βροντᾶν τὴν θεολογίαν, *scientiam de deitate Christi tradere, quæ sit instar tonitru ad percellenda hominum ingenia.* Alludit ad illud Christi, qui Johannem & Jacobum vocat *Boanerges*, i. e. filios tonitrui. Qua appellatione non solùm Johannes & Jacobus, sed universus apostolorum chorus edoctus est, brevissimo quodam doctrinæ compendio, Dei verbo nihil esse potentius, nihil violentius: neque illi magis à potestatibus hujus mundi resisti posse, quàm tonitru potest arte humana impediri. Vide *Psal. 29. vers. 3. & seqq.* Quæ Davidis verba explicant egregiè vocem *Boanerges* בנירגם. Nec dissimile est illud *Ierem. 1. v. 18.*

BULLÆ INDULGENTIALES. Ita dicuntur diplomata sive literæ Pontificis Romani, in quibus datur absolutio pro reatu pœnæ temporalis, per applicationem meritorum Christi & sanctorum. Hæ non fuerunt notæ per ecclesiam catholicam, mille ampliùs annis à Christo. Alexander III. qui sedere Romæ cœpit anno Domini 1159. in epistola ad Archiepiscopum Cantuariensem sic scribit, *Decretal. lib. 5. tit. 38. cap. 4.* Quod autem consuluisti, utrum remissiones, quæ fiunt in dedicationibus ecclesiarum, aut conferentibus ad ædificationem pontium, aliis prosint quàm his, qui remittentibus subsunt; hoc volumus tuam fraternitatem tenere, quòd cum à non suo judice, ligar. nullus valeat vel absolvi, remissiones prædictas illis tantummodo prodesse arbitramur, quibus ut prosint, proprii judices specialiter indulserunt. Hinc colligere est. 1. ad omnes tum episcopos pertinuisse, indulgentias dare. 2. indulgentias Alexandri seculo vix notas: eò quòd Archiepiscopus Cantuariensis Romam misit, ut cognosceret quibus specialiter prodessent. Ante tamen annum 1095. Urbanus II. Papa indulget omnium peccatorum veniam, & in retributione justorum salutis pollicetur augmentum, ut ait *Matthæus Paris in VVillielmo II.*

BYSSUS. Est genus lini optimi, tenuissimi, mollissimi, & candidissimi: quod in Ægypto, India, & aliis quibusdam paucis locis seritur, indeque distrahitur per varias orbis partes. Ex eo conficiebantur vestes, præsertim sacræ & regiæ. Nomen habet à colore, quòd sit albissimum. Nam בוץ est albare adhuc Arabibus. Mysticè seu spiritualiter byssus explicatur justificationes sanctorum,

ctorum, hoc est, justa & pura opera hominum in Christo justorum significat *Apoc.*18.*v.*12.16. Itaque sicut vestis purpurea Christianorum est sangvis Jesu Christi per fidem aspersus cordibus: ita vestis byssina est sanctimonia vitæ Deo placentis in Christo. Ibi cernitur meritum Christi: hîc efficacia. Nam ut ab Adamo habemus malum meritum, & inefficaciam ad bonum: ita à Christo habemus bonum meritum, & efficaciam ad bonum.

CABBALA. Est doctrina aliunde accepta, seu audita. Tribus modis usurpatur ista vox. 1. Est doctrina patriarcharum, quam accepit unus de ore alterius, & tradidit posteris de manu in manum, inde ab Adamo usque ad Mosen, qui legẽ scripsit. 2. Est lex axiomatica, seu oretenus tradita, expositio legis scriptæ, quam Moses in monte Sinai ex ore Dei accepit spatio quadraginta dierum. De hac Judæi sentiunt quòd Moses eam tradiderit Josuæ, Josua LXX. Senioribus, hi prophetis, hi viris magnæ synagogæ, hi suis successoribus per multas ætates usq; ad illud tempus, quo tandem fuit mandata literis, & inde confectum Talmud. 3. Est ars illa Bereschith & Mercabah, item Gimatria, Notarjekun & Temurah: de qua rectè aliquis dixerit,

Sunt bona mixta malis,
Sunt mala mixta bonis.

Scaliger lib.1 poet. c.1. de traditionibus hujusmodi ait: Artes per manus tradi dictæ sunt, quod adeo declararunt Græci, cùm dicere consueverunt υἷες ἰατρῶν. Neque enim scripta edebantur, sed certo sacramento per successiones ἄγραφα: quod & Pythagoreos fecisse ajunt, & Druidas ex historiis observatum est: & Chaldæos scimus ex eo, quod sonat Cabbalæ nomen.

CADESA. Quibusdam veteribus ita dicitur meretrix, ex Hebræo קְדֵשָׁה: quod est à קָדַשׁ *sanctum esse* (per antiphrasin) vel *paratum esse*, ut prostibulum intelligatur, quod publicè se prostituit, & paratum est ad nutum cujusvis. Hinc deducunt Græcum κάσσα, & nostrum Kotze. *Ambrosius exhort. ad virg.* honestè interpretatur *Cades*, in primigenio scil. significatu: Cades, *inquit*, innupta est, quæ est sancta corpore & spiritu. *Et mox*: Cades est, quæ filios nescit.

CADUS. Est vox planè Hebræa: sed Græcis & Latinis trita pro sua. Sic enim *Virgilius Aen.* 1.

Vina bonus quæ deinde cadis onerarat Acestes.

Est autem cadus nomen aliàs generale, aliàs speciale: quippe quod significat æqualem *Gen.* 24.*v.*14. ollas fictiles *Iud.* 7.*v.*20. vas farinæ condendæ 1.*Reg.*5.*v.*12.14.16. &c. Alioqui cadus, sive metreta Græcorum, est ipsissima amphora Attica sive Atheniensis, & respondet Hebræorum *Epha*, quæ tantum in aridis capiebat, quantum in liquidis Bathus. Porrò *Cadus* non est *Cabus* Hebræorum. Hæc enim erat minima aridorum mensura, definita ovis 24.

CÆDO. Est 1. abscindo, amputo, præscindo, scindo, seco. *Levit.* 1.8. *Deut.* 19.5. *Ios.*9.*v.*21.23.27. 2. ferio, percutio, verbero. *Exod.*5 *v.*16. *Num.* 22. *v.*27 *Hos.*7.*v.*12.*Marc.*12.*v.*3.5 3. interficio, jugulo, macto *Num* 11.*v.*22. *Ios.* 10.19. *Ezech.*26.*v.*11. 4. Offero, sacrifico. *Levit.* 4.*v.*33.*c.*6.*ver.*30.*c.*23.*v.*12. 1. *Sam.* 15. *v.* 21. Vide Concordantias Biblic. vers. Latinæ vulg.

CALENDARIA FESTA. Sic dicebantur calendæ, quibus veteres mensem auspiciaban-

ſpicabantur. De quorum abrogatione vide *can. 62. ſynodi in Trullo habitæ.* Cæterùm vox *Calendæ* interdum notat illa feſta: ut Calendæ primæ, ſecundæ, tertiæ, id eſt feſtum Calendarium primi, ſecundi, tertii menſis.

Calcaneus. Metaphoricè ponitur pro parte ſive re minùs præcipua, ut caput pro præcipuâ. Sic *Gen. 3. v. 13. Ipſe conteret caput tuum, & tu inſidiaberis calcaneo eius*: ſignificatur, Chriſtum Satanæ poteſtatem ademturum, & in nihilum redacturum, irreparabili & lethali damno dato, ſicut eſt quando ſerpenti caput quaſſatur: rurſus Diabolum contritutum eſſe Chriſtum in calcaneo, id eſt, non admodum magno detrimento affecturum, & omninò facilè ſanabili, ſicut vulnus in calcaneo facilè perſanatur. *Ambroſius enarrat. pſal.* 40. ait: Non divinitatem Chriſti, ſed corporis extremum calcaneum vulneravit: temporali ſcil. morte. Chaldæus à nervo veri ſenſus abit, & caput pro principio, *calcem* pro fine accipit. Sic enim habet: Ipſe obſervabit tibi, quod feciſti ei à principio, & tu ſervabis ei in finem. *Auguſtinus*, ſecutus verſionem, quæ habet τηρεῖν, *conc.* I. ſic explicat hoc protevangelium: A Deo quid dictum eſt ſerpenti? Ipſa tuum obſervabit caput, & tu ejus obſervabis calcaneum. Diabolus calcaneum obſervat, quãdo laberis, ut dejiciat te. Ille obſervat calcaneum tuum, tu obſerva caput illius. Quod eſt.

Calix. Hebræa conſuetudine calix, ſive poculum, uſurpatur de eventis, & iis quæ alicui contingunt. Ita mortis poculum eſt ipſum ſupplicium. Hac de re ſic adnotant *Concordantiæ Biblicæ verſ. vulg.* Calix 1. poculum, & potus qui in eo continetur ad corpus refocillandum. *Gen.* 40. 11.13.2. *Sam.* 12.3. *Matth.* 10. 42. 2. calix afflictionis & mortis *Matth.* 20. 22.23. 39. 42. *Marc.* 10.38.39.36 *Luc.* 23.42. *Ioh.* 18.11. 3. calix maledictionis & judiciorum Dei *Pſal.* 11.6. *Eſa.* 51.17.22. *Ier.* 25.15.17.28 *cap.* 49.12. *c.* 51.7. *Thren.* 4.21. *Ezec.* 23.31.32.33. *Hebr* 2.16. *Apoc* 14.10. *c.* 16.19. 4. Calix myſticus & benedictionis *Pſalm.* 16.5. & 23.5. & 75.9. & 116.13. *Matth.* 26.27. *Marc.* 14.23. *Luc.* 22.17.20.1. *Cor.* 10.16.21. *c.* 11. 25.26.27.28. Sic ibi obſerva calicem myſticum ſignificare authori concordantiarum partim beneficia Dei, partim gratiarum actionem, partim ποτήριον menſæ Domini, de quo Bæda refert, ſuo tempore Hieroſolymis illud fuiſſe poculum ἀμφωτὸν, ſiue ἀμφῶες, *ex vtraq; parte anſatũ*: cuiuſcemodi poculorum vſus apud Græcos fuit antiquiſſimum. Hinc patet fruſtra litigari de forma calicis in Euchariſtia.

Camelus. Tria ſunt loca in N. T. vbi fit mentio camelorum. *Matth.* 3. *v.* 4. Iohannes dicitur habuiſſe veſtimentum de pilis comelorum. Veſtis è pilis camelorum non fuit in aliquo vſu apud Iudæos: ſed primò hoc vſurpatum fuit à Iohanne. Nimirum conuenientiſſimum erat, vt, qui pœnitentiam prædicabat, habitum pœnitentiæ præ ſe ferret. Quò etiam pertinet auſteritas victus ipſius. *Matth.* 19. *v.* 6 dicitur, facilius eſſe ut camelus tranſeat per foramen acus, quàm dives intret in regnum cœlorũ. Hoc eſt proverbium τῦ ἀδυνάτου. Nam quia Dominus indicare voluit rem admodum factu difficilem, contulit beſtiam maximã cum anguſtiſſimo foramine. Fruſtra itaq; ſunt, qui camelum hoc loco, interpretantur de fune nautico. Denique *Matt.* 23. *v.* 24. Chriſtus

 ait,

ait, Pharisæos excolare culicem, & camelum glutire. Objicit eis hoc proverbio, quòd parva peccata, aut etiam non-peccata curiosè observent, ad magna interim conniveant, eaque excusent & defendant. est caput illius ? Initium malæ suggestionis illius. Quando incipit mala suggerere, tunc repelle, antequam surgat delectatio & sequatur confusio: & tunc vitabis caput ejus, & non apprehendet ille calcaneum tuum. Quare autem Evæ hoc dixit? Quia per carnem labitur homo. Eva nobis interior caro nostra est.

CANA. Tria recensentur oppida aut vici hoc nomine apud Eusebium & Hieronymum, sed tribuum diversarum: videl. Cana tribus Ephraim, Cana tribus Manasse, Cana tribus Aser, in qua Dominus aquam convertit in vinum. Nicephorus Callistus, ut hoc obiter adnotem, narrat tanquam rem certam, Simonis Cananæi fuisse has nuptias, quas primo suo miraculo Dominus decoravit. Nimirum id ille colligebat ex ipso Simonis cognomine. Sed cognomen Κανανίτης vel Κανίτης *Matth.* 10.4. non fuit ἐθνικὸν, *nomen gentis*, seu à patria illius, verùm professionis, pietatis, & zeli elogium: cuius interpretamentum posuit *Luc. c.* 6. 15. 15. Ζηλωτὴς, *æmulator.*

CANDACE. Theologus quidam Hispanus regionem ex homine facit, dum pro regina Candace, cuius in *Actis c.* 8. fit mentio, reginam de Candacia convertit: quasi sit nomen regionis. Atqui Scriptura sacra reginam Æthiopum ita vocat: & Strabo sua ætate, Tiberio imperãte, Candacem regnasse scribit virilem sanè mulierem, sed altero captam oculo: à qua, ut Plinius & Suidas referunt, Candaces nomen ad alias Æthiopum reginas derivatum est, & dignitatis haberi cœpit. Sic nomina ista Pharao, Ptolomæus, Cæsar, Augustus ex personalibus facta sunt honoraria seu ἀξιωματικὰ apud Ægyptios & Romanos. Sic Poeta canit de nomine Sylvius: *Sylvius Albanum nomen*——.

Cæterùm ab ista Candace usque in hodiernum diem Evangelii doctrina sonuit in Æthiopia: unde ecclesia olim divisa fuit in Græcam, Latinam, & Æthiopicam, q. d. Orientalem, Occidentalem, & Meridionalem.

CANDIDATUS. Est habitu candido vestitus, 4. *Esdr.* 2. *v.* 40. Concludе candidatos tuos, qui legem Domini impleverunt. Intelligit indutos splendidis tunicis, de quibus *v.* 39.

CANICLINUS, Græcè κανικλείων. Erat magna dignitas caniclini apud imperatores Græcos. Exponit πατρίκιος καὶ ὑπατικληζίων, q. imperatoris partes in rebus ecclesiasticis obibat, honore par Patriarchæ. Poterat filio suo petere uxorem filiam imperatoris, & filiæ filium maritum. Nomen habet inde, quòd canonum sanctionem & observationem curæ haberet q. d. κανόνας κλείων.

CANIS. Est hieroglyphicum infideliũ, qui sunt extra gremium ecclesiæ. Siberus ad illud Thomæ Aquinatis.

Ecce panis angelorum
Factus cibus viatorum:
Verè panis filiorum
Non mittendus canibus.

Sic annotat: Canes à vera religione alieni sunt, hypocrytæ, & ecclesiæ perduelles, qui sunt hæretici. Cæterùm in Scriptura canis significat aliàs bestiam latrantem, 1. *Reg.* 21. *v.* 19. aliàs malos doctores verbi, seu pastores animarũ, *Esa.* 56. *v.* 10. 11. aliàs impudicos, *Deut.* 23. *v.* 18. aliàs sordidos, profanos,

prophanos, ingratos, & maledicos, *Matt.7.v.6.2.Pet.2.v.21.Phil.3.v.2.Apo.22.v.15.* denique viles & cõtemtos, 1. *Sam.17.v.43.& 24.v.15.2.Sam.3.v.8.& 9.v.8.& 16.v.19.* Concordantiæ Bibl. vulg. vers. sic adnotant. Canis 1. animal irrationale. *Exod.11.v.7.* 2. impius, impurus, persecutor, prophanus homo, *Ps.22.17.21.Matt.7.6.c.15.26. Marc.7.27.Phil.3.2.Apoc.22.15.* 3. mercenarius, pastor seipsum pascens. *Esa.56.10.11.*

CANON. In genere est regula. Apud theologos canon dicitur 1. numerus librorum V. & N. T. ad quos, tanquam ad regulam examinanda sunt dogmata & mores. 2. ecclesiastica constitutio, quæ est velut amussis, secundùm quam se cives ecclesiæ gerant. 3. caput aliquod decretorum synodicorum, quod nempe est regula reliquorũ. 4. distinctio seu regula, per quam invenitur harmonia evangelistarum. Sic *Isidorus lib.16.c.15.* dicit canones evangeliorum. 5. catalogus & classis aliqua, quæ est tanquam regula, secundùm quam, quæ sunt in illo numero, reguntur & judicantur. Hîc quæritur, quomodo constitutus sit canon V. & N. T.? Resp. Συλλογὴ, *collectio & digestio*, sacrorũ librorum facta est divinitùs: idque partim immediatè, partim mediatè. *Immediatè*: ut libri Mosis divino mandato in sacrarium sunt illati. *Mediatè*: ut per Esdrã, qui post exiliũ Babylonicum constituit totum ferè Canonẽ V. T. tum per propriæ manus scriptionem aut subscriptionem *Gal.6.11.* tum per fidos testes: tum denique per judicium prophetarum, cùm donum prophetiæ adhuc vigeret 1. *Cor.* 12. & 14.

CANONICUS. Hæc vox primò usurpatur de re. Sic libri canonici dicũtur libri Sacræ Scripturæ, qui sine contradictione in ecclesia sunt recepti, tanquã canon, regula, & amussis divinæ veritatis: seu fidei catholicæ, ut quidquid cum eis consentit atq; cõvenit, pro recto & vero sit acceptãdum, quidquid ab eis dissentit, pro obliquo & falso sit rejiciendum. *Synopsis Athanasii* vocat anchoras & sustentacula fidei nostræ. Appellare etiam possis catholicos, & ex veteribus γνησίους, ἀναμφιλέκτως ἐνδιαθήκους, & ὁμολογουμένους, *testamentarios*. Chrysostomus homil. 1. in 2. Cor. Scripturam eleganter vocat ἀκριβῆ ζυγὸν ἁπάντων, καὶ γνώμονα, καὶ κανόνα. Porrò liber canonicus Patribus dicitur latè vel strictè. Utraque significatio in illo Augustini lib. 18. de civit. Dei. c. 36. occurrit his verbis: Supputatio illa temporũ nõ in Scripturis sanctis, quæ *Canonica* appellantur, sed in aliis inveniuntur, in quibus sunt & Maccabæorũ libri, quos nõ Iudęi, sed ecclesia pro *canonicis* habet, propter quorundã martyrum passiones. Sic Augustinus. Ad quẽ locum oportet observare libros canonicos *strictè* sive speciatim dici, qui ab omnib. ecclesiis catholicis semper, sine ulla contradictione æqualiter suscepti sunt, tanquã canon fidei, vitæ, & vocationis: *latè* sive generaliter etiã illos, qui in ecclesia leguntur ut regula vitę atq; morũ, ad ędificationẽ tum fidei, tum morum. De priori acceptione accipe definitionẽ illam canonis apud Varinũ: Κανών ἐστι μέτρον ἀδιάψευστον, πᾶσαν πρόσθεσιν καὶ ἀφαίρεσιν μηδαμῶς ἐπιδεχόμενον, *Canon sive regula, est mensura infallibilis, nullam additionem vel detractionẽ ullo modo admittens.* Viderint itaq; Papistæ, quomodo mereantur de Canone V. & N. T. quando ipsi tot heterogenea admiscent, nõ aliter atq; aurifaber, qui cuprũ auro miscet. Porrò libri canonici à Leõtio, eodẽ sensu, appellantur βιβλία κανονιζόμενα: ab Augustino *libri Dominici*: à Cõstãtino Magno *libri evangelici & apostolici, antiquorũq; prophetarũ sanctiones*: rursus ab Augustino *canõ ecclesiasticus*:

ab aliis *Protocanonici*. Ad extremum observa epistolas Jacobi, Petri, Johannis, & Judæ appellari *canonicas*, quòd sub unà formula ad plures mitterentur: ut voce ea utitur *Caßiodorus lib.* 11. *epist.* 33. Unde *Suet. in Domit. c.* 13. eos vocat formales: ita ut vox canon notet unam formulam. Et ita quidem vox *canonicus* usurpatur de re. De persona usurpatur, quando *canonicus* dicitur qui sub certo canone vitæ vivit, inter viros ecclesiasticos: & *canonica* similiter inter fœminas. Latinè dixeris *regularis*. Inter epistolas Basilii est una ad Θεοδώραν κανονικὴν περὶ βίου κανονικοῦ. Monachum interpretantur. Quales hodiè sint canonici, discere est ex *VVolcuino abbate, homilia de zizaniis*: Rara avis in terris hodiè canonicus à canone vitæ. Unde ergo? Audi, unde. Est namq; canon vitæ, & est canon pecuniæ, videl. alicujus pensionis certæ: unde solet dici, Solve mihi canonem meum, id est, pensionem meam. Eja ergo, ô canonice, inveniamus canonem tuum, à quo derivaris, id est, à canone pecuniæ, non à canone vitæ, id est à canone regionis, non à canone religionis. Porrò *Canonica* est jus percipiendi fructum præbendæ. *c. Relatum de præbend.* Canonica est nomen tituli & juris: Præbenda verò nomen facti: & cadit in extraneum, cùm Canonica cadat in eum, qui receptus est in fratrem. *Innoc. in cap. cum. M. de constit.* Quidam pro *Canonica* scribunt *Canonia*. Denique *Canonium* est locus destinatus viris sacris, canonicè viventibus. Sed redeamus ad primam significationem vocis *Canonicus*. Patres Canonicum & divinum appellant vel ἁπλῶς, vel κατά τι. Priori modo canonicum est perfecta regula fidei & morum. Et hoc sensu libri apocryphi appellantur ἀκανόνιστοι. Posteriori significatu canonicum est, quod continet regulam vitæ, proximam Scripturæ canonicæ dignitate. Et hoc pacto libri apocryphi appellantur canonici, & deuterocanonici. Intellige libros apocryphos ecclesiasticos. Sunt enim etiam quidam apocryphi planè abdicati, ut τῆς ἀποκρυφῆς potiùs, quam ἀναγνώσεως ἄξιοι, *occultatione potiùs quàm lectione digni* sint judicati, ut loquitur Athanasius in Synopsi.

Canonistæ. Sic dicuntur, qui Canones interpretantur. Hi multa panegyricè, declamatoriè, & denique adulatoriè dicunt, ita ut de illis meritò illud *Æneæ Sylvii de gestis Concilii Basil. lib.* 1. possit usurpari: Alius clamat subditorum facta judicari à Papa: Romanum verò Pontificem solius Dei reservari judicio. Alius dicit quia primam sedem nemo judicabit. Alius asserit ejectionem summorũ Pontificum sibi Dominum reservasse. Alius asserere non veretur Romanum Pontificem quamvis animas catervatim secum ad inferos trahat, nullius reprehensioni fore subjectum. Nec considerant miseri, quia quæ prædicant tantopere, verba, aut ipsorum summorum Pontificũ sunt suas fimbrias extendentium, aut illorum qui eis adulabantur. Cæterùm collectores & expositores canonum apud *Bellarminum lib. de ecclesiast. scriptorib.* hi sunt: Dionysius Exiguus, Martinus Bracarẽsis, Cresconius, Isidorus Hispalẽsis, Burchardus Vormaciensis, Ivo Carnotensis, Gratianus, Innocẽti⁹ IV. Papa, S. Raymũdus de Penna forti, Henricus Hostiẽsis, Gvido Papa, Udalricus de Argẽtina, Gulielmus Durantes Speculator, Gvido Archidiaconus, Dinus Mugellan⁹, Monaldus, Joh. Andreas, Petrus Bertrandus, Johan.

Calderi-

Chalderinus, Baldus Perusinus, Petrus de Ancharano, Antonius de Butrio, Frãciscus Zabarella, Johan. de Imola, Johan. de Anania, Nicolaus Abbas Panormitanus, S. Antoninus Florentinus, Andreas Barbatius, Johan. de Turrecremata, Alexander Antelle, Felinus Sandeus, Dominicus Jacobatius, Martinus Navarrus.

CANONIZATIO. Canonizandi potestas ignota fuit Patribus usque ad an. 880. quando Adrianus sibi hoc jus usurpavit. Quod etiam Alexander III. postea *cap.* 1. *Extrav. de reliquiis sanctorum*, confirmavit.

CANTICUM. Est id, quod canitur: scil. voce, vel fidibus, vel utroque. Hebræis שיר est, quod voce canitur: Græcis ὠδὴ, ᾆσμα, ὕμνος, & interdum ψαλμὸς, מִזְמוֹר est, quod fidibus luditur, eas quasi incidendo. Nam זָמַר est incidere. Etsi aliis *Mizmór* est canticum certis & velut numerosis sententiis incisum: aut, ut alii volunt, modulatio concisa & brevis. Nam זָמַר inter alia est amputare supervacanea. Sed prima sententia est verisimilior: quia *Schir* & *Mizmór* interdum coniunguntur, ut significetur, idem poëma & voce & instrumentis musicis canendum esse: ut *Psal.* 108. *v.* 1. ubi *canticum Psalmus*. Alibi *canticum Psalmi* versum est, ut *Psal.* 83. *v.* 1. *&* 87. *v.* 1. & contrà *Psalmus cantici*, *Ps.* 48. *v.* 1. *&* 67. *v.* 1. *&* 68. *v.* 1. *&* 75. *v.* 1. Sic apud Homerum odyss. θ. est ὕμνος ἀοιδῆς, qui composita voce ἡμνωδία. Porrò canticum etiam est pro נְגִינָה, quæ est propriè, quod manu pulsatur. 1. *Sam.* 16. *v.* 23. & pro *Neginah* est canticum *Iob.* 30. *vers.* 9.

CANTICUM MOSIS ET CANTICUM AGNI. Per hoc geminum canticum intelligitur *Apoc.* 15. 3. doctrina legis & Evangelii. Disertè enim fit mentio Mosis & Christi. Et hæc doctrina unum & perpetuum est obiectum cantorum sive citharœdorum illorum, qui sunt accolæ maris vitrei, h. e. sacræ doctrinæ. Hoc canticum opponitur insulso locustarum gryllismo *Apoc.* 9. Huius cantici contemperatum melos & symphonia refocillat animum, erudit fatuum, exhilarat cor, & illuminat oculos. Cæterùm alluditur hîc ad canticum, seu ἐπινίκιον Mosis, quod ille cecinit unà cum universo Israele, postquam triumpharunt de Pharaone submerso *Exod.* 15. itemque ad cãticum Christi *Matth.* 11. *v.* 25. Nimirum ut Moses de corporali hoste cæso: ita omnes electi de hostibus spiritualibus partim perditis, partim perdendis, tum sub tempus ruinę Antichristi, tum in inferno, lętantur. Possit tamen etiam dici, canticum Mosis specialiter hoc loco respicere lætitiam, quam percipient electi ex pœnis temporalibus Antichristi: canticum Agni, lætitiam spiritualem, quam concipient ex morte secunda.

CANTICUM QUASI NOVUM. Sic appellatur *Apoc.* 14. 3. verbum Dei suo nitori restitutum, & ab Antichristi corruptelis liberatum. Appellatur *quasi-novum*: ex illorum videl. opinione, qui illud discere non volunt, quòd ipsis videatur novum, insolens, introductum à Novatoribus: item ex rei veritate, quia est renovatum sive reformatum, id est, à corruptelis liberatum, cùm aliàs hoc Evãgelium sit æternum *Apoc.* 14. Cur verò hoc idem Evangelium dicitur novum *Apoc.* 5? Resp. Prophetia istius capitis directa est in illud tempus, quo gentibus Evangelium prædicabatur, quod ipsis non erat quasi-novum, sed verè & toto suo genere novum, hoc est, incognitum & inauditum. Nunc autem ii, qui de Apostolorum suc-

cessione jactant, hoc ipsum Evangelium ceu novum calumniantur. *Cotterius* aliter explicat hanc phrasin, *in suo commentario super Apocal.* his verbis: Et canticum quidem nouum hîc appellatur, quod diversum est ab antiquo illo, quo de liberatione Ægyptiaca gratiæ Deo agebantur; sive in solenni Paschæ, sive aliàs. *Alii* sic explicant: Canticum novum, id est, insigne seu eximium, & cum singulari lætitia cõiunctum: qualia esse solent cantica, quæ componuntur atque canuntur propter beneficium aliquod novum. Sic *Psalm.* 33. *vers.* 3. *& in aliis Psalmis passim.* Iisdem *canticum novum*, & *quasi novum* sunt synonyma: & *canticum Mosis*, quod habetur *Exod.* 15. ipsis est symbolum liberationis fidelium à tyrannide diaboli & organorum eius: denique *canticum Agni*, est, quod Christus nos docuit.

CAPITULUM. Propriè est parvum caput. Per metaphoram est locus, ubi congregantùr capitulares, id est, capita canonicorum & religiosorum, id est, primores Ecclesiastici. *Haymo in Psalm.* 68. appellat capitolium. Porrò usurpatur etiam hæc vox pro ipsis canonicis congregatis.

CAPPA. Notat pileum, nomenq; habet à capite. Usurpatur etiam pro pallio, habente annexum cucullum. Græcis dicitur κάππα, & καππάζιον.

CAPTIVAM DUCERE RATIONEM. Hoc non est ejurare, seu planè non adhibere rationem, sed illam non adhibere in consilium, ubi fides sola est adhibenda: Hinc rectè Thomas Aquinas in prosa de cœna Domini:

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides.

Cui succinit Vidas:

——— *quod non oculi, sensusq; capessunt*
Obtusi, comprehensum animis vis vivida sentit
Interius, pulsâque fides caligine monstrat
Indubitata ———

CAPTIVITAS JUDÆORUM. Duplex inprimis celebratur captivitas Judæorũ. Utraque temporibus fuit divisa, neque semel ac simul tota contigit. Nam quod attinet ad priorem, primò Manasses Rex abductus est 2. *Paralip.* 33. 11. deinde Joakim 2. *Paral.* 36. 6. tertiò Joachim, qui & Jechonias, 2. *Reg.* 24. 12. 2. *Paral.* 36. 10. quartò Sedekias *ibid.* Ita quoque prorsus evenit in secundi templi destructione. Nam interitus Judæorum alio tempore incepit, alio est promotus, alio denique consummatus. Cepit calamitas Judæorum anno ante natum Servatorem sexagesimo; quando populus antea sui iuris, servitutis iugum subire coactus est à Põpeio, libertate ademta, & ditionis virtute partę iactura multatus; ius successionis regiæ, quæ diu iam obtinuerat, Romanorum cessit libidini, ut postea semper necesse fuerit eum regem accipere, quem Romani imposuissent; tributa cepta sunt exigi, & quidem sine modo; religio multifariam est mutilata, cùm quidem Pompeius Sancta sanctorum perrupit. Istud est initium calamitatis Judaicæ, quod Judæus ita narrat, quasi tunc consummata, non verò incepta fuerit Judæorum pernicies. Vide ipsum *libro decimoquarto, capite octavo.* Auxit verò calamitas, & unus quasi gradus ad perniciem ultimam est factus, anno post natum Dominum circiter decimo; cùm Archelao Viennam relegato, Judæa in formulam

lam provinciæ est redacta. Ab eo tempore nullus unquam postea Judææ neque Rex fuit, neque ethnearcha. Nam Judæa Syriæ accessit, cepitque tum in eam mitti, qui vocabatur procurator Cæsaris in Judæa, vel etiam Procurator Judææ. Ultima fuit clades, urbe diruta, & templo destructo, anno Domini 69. vel 70. Rabbini ultimam hanc suam captivitatem appellant *captivitatem Edom*, hoc est, Romanorum. Prima captivitas appellatur *Babylonica*: quæ figurat partim tyrãnidem diaboli & peccati, partim pressuras tyrannorum huius mundi. Ab utraque hac captivitate alia est *captivitas Assyriaca*, qua X. tribus à Salmanassare in perpetuum exilium fuerunt missæ. In triplici hac captivitate diligenter ad animum revocare oportet admirandam Dei Opt. Max. in pœnis peccatorum exigendis lentitudinem, de qua toties prophetæ, & ipse etiam Dominus in pulcherrima parabola de vinea & vinitore apud *Matthæum* 22. *vers*.23.

Captivitatem ducere captivam. Hæc phrasis occurrit *Psalm*.68. *v*. 19. ubi per captivitatem intelligitur multitudo captivorum; tempore quidem Davidis, Philistæorum & aliorum hostium populi Israelitici: tempore verò Christi, hostium Ecclesiæ spiritualium, videl. diaboli, peccati, & mortis æternæ. Nomen שְׁבִי significat captivitatem: & hoc loco per metonymiam ponitur pro hostibus, quos Christus captivos duxit. Potest etiam sic verti: Captivam duxisti captivitatem, id est, hostes, qui nos captivos detinebant, expoliasti, & in triumpho duxisti captivos. Usitatum erat in triumphis deducere captivos. Ad hunc morem videtur Psaltes, hoc loco alludere. Summa hæc est: Hostes, qui antea multos captivos abduxerant, nunc vice versa duci captivos. Etsi verò Christus non visibili aliqua pompa hostes suos devictos in triumpho duxit, aut spectandos exhibuit: tamen & voce & re seu sensu ipso in piorum cordibus testatur, se vicisse diabolum, mundum, & mortem, seque Dominum esse vitæ & regni cœlorum, & acquisiuisse suis æternam libertatem, qui antea captivi tenebantur.

Caput. Est hieroglyphica nota impii & superioritatis. Est enim sedes sensuum & rationis officina, ita ut meritò ipsi tribuatur τὸ ἡγεμονικὸν in corpore. Cornu etiam significat imperium, sed particulare. Unde patet cur bestiæ meretriciæ tribuantur septem capita, & decem cornua. *Apocal*. 17. Septem capita sunt totidem Imperatoriæ familiæ, quas Germania ab annis 800. produxit, quæque præcipuam habuerunt potentiam, propter quam à muliere, una post aliam, evocatæ sunt ad regendum bestiam, id est, imperium, ceu mulieris jumentum. Decem cornua sunt decem reges, per quos mulier suam potentiam in variis provinciis exercet, non aliter atque bestiæ per cornua se defendunt & alia offendũt. De regibus istis decem Johannes significanter dicit, illos tãquam reges esse. Dum enim potestatem suam bestiæ tradunt, hoc fatuo consilio sibi ipsis hanc bestiam constituunt dominam, & sic ex absolutis regibus, quales eos Deus & ius gentium constituerat, *quasi-reges* fiũt. Porrò *caput Ecclesiæ* est unicũ duntaxat, Jesus Christ᾿. Neq; n. ecclesia potest esse πολυκέφαλος. *Vnus rex unus*

monar-

monarcha, unum solum caput, ait Gregorius Magnus epist.36.lib. 4. ἡ μία καὶ μόνη ἀληθῶς κεφαλή, *unum & solum, quod quidem verè caput sit*, inquit Basilius in Asceticis pag.390. Nec valet effugium: Christum esse caput ecclesiæ ratione influentiæ, & primarium: Pontificem Romanum, ratione directionis, & vicarium. Nam Christus est caput ratione influentiæ & directionis simul. Deinde vicarius regis non est caput regni, sed minister regis.

CARDINALIS. In ecclesia titulus dignitatis esse cœpit, circiter tempora Gregorii Magni. Initio creabantur ab Episcopis. Postea legit eos Pontifex ex Episcopis, Presbyteris, Diaconis, & Subdiaconis, ut eis tanquam consiliariis uteretur in rebus Ecclesiasticis. Eo loco habentur in Ecclesia Romana post Pontificẽ, quo reges in politiis post Imperatorem. Aliter *cardinarii* dicuntur. Græcis καρδηνάριοι, καρδηνάλιοι, & καλδηνάριοι. Nomen est à cardine: quod sint cardines Ecclesiæ.

CARNALIS. In N.T. opponitur spirituali seu cœlesti *Eph* 6.*v*.5.1.*Cor*. 9.*vers*.11. 2.*Cor*.16.*v*.4. vel significat corruptum, & rebus caducis deditum, idque aut omni, aut aliqua ex parte *Rom*.7.*v*.14.2. *Corinth*. 1.*v* 12.1. *Petr*.2.*v*.11.1.*Cor*.3.*vers*.2.3. 4. aut ponitur pro externo, in externis ritibus occupato, *Hebr*.7:*v*.16. Rex carnalis *Esth*. 14.*v*.10. dicitur, qui est terrenus, non spiritualis, ut Deus. Porrò quia spiritus sunt potentes, caro infirma, fit ut carnalia vocentur caduca, debilia, mortalia; ut contrà spiritualia perpetua, fortia, & immortalia. De voce *caro* tenendum, plurimas eius occurrere significationes in S. literis. Concordantiæ Bibl. Lat. vulg. recitant. 27. quas ibi vide.

CARNEUS. In Scriptura *cor carneum* dicitur pro animo, qui divini spiritus mandatis & operationi cedit: quomodo videmus carnem non resistere tactui. Et ita caro, tanquam molle aliquid, distinguitur contra durum & lapideum. *Ezech*. 11.*v*.19.*&* 36.*v*.26.2.*Corint*.3.*v*.3. In Concordantiis vulg. vers. sic annotatum invenies. Carneus 1: imbecillis 2. *Chron*.38. 8.*Iob*.10.4.2. flexilis, docilis *Ezech*. 11.19. *c*.36.26. Notanda est hoc loco antithesis inter carnem & lapidem. Lapis sua duritie repellit validissimos quosque ictus mallei, nihilque potest illic insculpi, nisi summa cum vi & difficultate: sed cor carneum admittit sua mollitie, si quid in eo scribitur vel insculpitur. Hoc itaque vult Propheta: cùm fuerint pleni contumacia Israelitæ, flexibiles ac morigeros fore postquam Deus cor ipsorum mutaverit, hoc est, correcta duritie partim nativa partim acquisita, reddiderit cor ipsorum molle.

CARO. In divinis literis hæc vox variè usurpatur, propriè & impropriè, pro substantia & qualitate, natura & persona, corpore vel parte corporis. Significat enim aliàs partem corporis, quæ opponitur ossibus: aliàs cutem: aliàs corpus universum: aliàs animal: aliàs bestiam, vel hominem: aliàs hominem animalem: aliàs rem externam, ut ceremoniam *Gal*.6. *v*:12. aliàs rem infirmam & debilem: aliàs denique rem turpem & Deo invisam. Ad quam postremam significationem referuntur & illa: *sensus aut prudentia carnis*, *voluntas & desideria carnis*, *opera carnis*, *in carne esse*, *secundùm carnem vivere*, *ambulare*, *&c*. Ratio harum phrasium est, quia hominũ peccata ferè sunt carnis, id est nascuntur ex sensuum carnalium pravis voluptatibus,

bus, aut ad eas referuntur, vel eis similia sunt, aut, quòd, quæ sunt frequentiora & obvia sensibus, cæteris nomen suum impertiunt. Itaque nō tantùm crassa & corporalia, sed etiam interna & spiritualia peccata his phrasibus intelliguntur. *Ambros. in Rom. 6.* ait: Manifestum est, hos, qui carnem crucifixerunt, id est, mundum cum vitiis & concupiscentiis eius, mori mundo & commori Christo, æternæ quoque vitæ ac saluti coimaginari, ut gloriæ Christi similes effici mereantur. Caro verò, id est corpus, sic crucifigitur, si desideria eius calcentur, quæ manente in ea peccato creantur ex prævaricatione primi hominis cœpta. In carne enim diabolus crucifigitur. Ipse enim est, qui fallit per carnem. Caro autem aliquando mūdus, aliquando elementa, aliquando verò corpus hominis intelligitur, vel ipsa anima sequens corporea vitia. *Idem lib. de Noe & arca cap.* 15. Movet voluptates caro, & ipsa voluptatibus commovetur. *Et in Psalm.* 43. Non caro in vitio est sui natura, sed ea, quæ carnem corruptibilem esse fecerunt: non caro in vitio, sed ea, quibus caro ista solicitat & fluctuat. *Idem de Noe & arcâ cap.* 5. Caro causa fuit corrumpendæ etiam animæ, quæ velut origo & locus est quidam voluptatis: ex qua velut à fonte prorumpant concupiscentiarum malarumque passionum flumina lateque exundant, quibus demergitur animæ, quodam excusso gubernatore, remigium, cùm ipsa mens velut quibusdam tempestatibus & procellis victa loco suo cedit. Hactenus Ambrosius. Summa est: Corporis, & rerum corporalium cura præpostera facit, ut anima perdatur, & æternis bonis homo excidat.

Castifico. Hęc vox occurrit in vulgata versione Bibl. 1. *Petr.* 1.22. *Animas vestras castificantes.*

Castigatio. Apud Theologos hoc nomine appellatur pœna, qua Deus afficit filios suos. Illa enim est vel παιδεία, *castigatio*; vel δοκιμασία, *probatio*; vel μαρτύριον, *martyrium*. Quod attinet ad vocem παιδεία, illa propriè est tractatio alicuius tanquam παιδὸς, id est, filii, & coniuncta est cum eruditione seu institutione aliqua. Nam παιδεύω est erudio & castigo. Sic παιδεία, institutio & correctio. Quare quando à Domino castigamur, tanquam παιδία tractamur.

Casus. Respectu providentiæ Dei nihil fit casu: sed respectu nostri. 1. *Sam.* 6.9. 2. *Sam.* 1.6. 1. *Reg.* 22.24. *Eccles.* 9.11. *Ezech.* 26.16.

Cataclysmus. Sic appellatur diluvium universale tempore Noachi. *Eccles.* 39.28.

Cataplasmo. Occurrit in vulg. vers. Bibl. *Esa.* 38.21. Vide infra vocem Plasma.

Catechesis, Catechismus. In Ecclesia est summa doctrinæ Christianę, seu rudimentum religionis Christianæ: simplex nimirum, & ad captum puerilem accommodata institutio, disciplinæque Christianæ traditio velut Cabbalistica. Nomen habet ἀπὸ τοῦ κατηχέω, vel κατηχίζω, quod non solùm doceo, erudio, & instituo significat: sed etiam ea, quæ dicta sunt, reposco. Speciali autem significatione est instituo in religionis Christianæ fundamentis. Porrò *Catecheta*, seu *catechista* est, qui in catechesi instituit: κατηχηθεὶς, qui iam institutus est in religione: *catechumenus*, qui institui-

tur in religione. Hinc est fœmininum *catechumena*, κατηχουμένη. Speciali significatione *catechumeni* dicebantur, qui sacris nondum initiati, imbuebantur adhuc in elementis doctrinæ Christianæ. Horum erant ordines duo, minor & maior. Ille tantùm audiebat, hic flectebat genua. Certa itaque in catechumenis temporum intervalla fuerunt observata, & priùs quàm ad panem cum fidelibus frāgendum aliquis perveniret, stadium consuetæ exercitationis fuit decurrendum. Primò igitur fiebant *catechumeni*, deinde *competentes*, postremò *fideles & Christiani*. Præterea catechumeni stabant in peculiari loco, quē appellabant *catechumena, orū*; & *catechumenia*, τὰ κατηχούμενα, κατηχουμένια. Hîc *tabulæ catechetica* asservabantur, quæ in singulis Ecclesiis haberi solebant. *Concilium Neocæsar. cap.* 5. Catechumenus, *inquit*, ingrediens in Dominicum (εἰς τὸ κυριακὸν, id est, in templum) in loco (τάξει) catechumenorum subsistat. Vide plura titul. INITIATI.

CATHOLICUS. Hæc vox non semper eodem modo accipitur. Nam *primò* catholicum est idem, quod absolutè universale ratione loci & temporis: quo sensu Ecclesia Catholica complectitur omnes electos inde ab origine mundi usque ad eius finem. *Deinde* catholicum est idem quod secundùm quid universale, ratione loci: quo sensu Ecclesia N. T. dicitur Catholica, quia est ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ. Atque ita Ecclesia V. T. non fuit Catholica, utpote quæ fuit ordinariè collecta in uno populo Judaico. *Tertiò* Catholicum est idem, quod purum, sincerum, orthodoxum: quo sensu Ecclesia Catholica opponitur conventiculis hæreticorum. Quæ oppositio Catholici & hæretici in primitiva Ecclesia fuit usitatissima. *Quartò* Catholicū est idem, quod totale: quo sensu Ecclesia Catholica dicitur ad differentiam particularium, ex quibus ceu partibus illa colligitur. Atque ita Ecclesia V. T. etiam fuit Catholica. De tertia significatione accipe ista dicta Patrum. *Cyrillus Hierosolymitanus cap* 18. *catecheseos ita ait*: ἐκκλησία λέγεται καθολικὴ, διὰ τὸ διδάσκειν καθολικῶς καὶ ἀνελλιπῶς ἅπαντα εἰς γνῶσιν ἀνθρώπων ἐλθεῖν ὀφείλοντα δόγματα, hoc est, Ecclesia dicitur Catholica, quia docet Catholicè & citra defectum omnia, quæcunque in cognitionem hominum venire debent dogmata. *Lactantius divinarum instit. libr.* 4. *cap* 20. Sola igitur Catholica Ecclesia est, quæ verum cultum retinet. De prima significatione accipe illud *Sozomen. libr.* 7. *cap.* 4. narrat, Theodosium Imperatorem legem tulisse, ut illorum duntaxat Ecclesia diceretur Catholica, qui Trinitatem divinam æquali honore colerent. Vide infra titul. HÆRETICUS. Hinc etiam sæpe Episcopi orthodoxi dicuntur Episcopi Catholicæ seu universalis Ecclesiæ: quanquam suo modo revera sunt Episcopi Ecclesię Catholicę. Vide titul. APOSTOLUS. *Vincent. contra hæreses c.* 3. In ipsa Catholica Ecclesia magnoperè curandum est, ut id teneamus, quod ubique, quod semper, quod ab omnibus creditum. Hoc est enim verè proprieque Catholicum: quod ipsa vis nominis ratioque declarat, quæ omnia verè universaliter comprehendit. Cæterùm *catholicæ epistolæ* dicuntur, quæ nulli certæ personæ vel populo inscriptæ sunt, sed ad omnes directæ: ut sunt epistolæ Jacobi, Petri, Judæ, & Johannis prima.

CAUDA. In Scripturis doctores doctrinæ-

ctrinæque genus in Ecclesia degenerante per caudam indicatur. Sic enim apertè *Esa*.9.14. dicitur: *Propheta docens mendacia, cauda est.* Ratio huius appellationis est: quòd falsi doctores longè lateque spargant suum virus, non aliter quàm animalia extra se proiiciunt caudam tortuosam & flexibilem. Unde porrò colligere licet, gyrosa flexibilitate falsæ doctrinæ conscientias irretiri, ut ex hoc sinuoso flexu vel nunquam, vel admodum difficulter se extricare queant. Caudis hisce capita tribuuntur *Apoc*. 11. quo innuitur, doctrinam falsam coniunctam esse cum iurisdictione, qua conscientiæ nolentes-volentes sub fidei implicitæ iugum rediguntur. Qua quidem cauda capitata nihil esse potest pestilentius. In Concordantiis Bibl. vulg. vers. de voce cauda sic ferè leges. Cauda 1. propriè pars animalis *Exod*. 4. 4. 2. ignobilis, imbecillis, vilis. *Deut*. 28. *v*. 13. 44. 3. cauda mystica, *Apoc*. 9. *v*. 10. 19. *c*. 12. *v*. 4.

Cauma. In vulgata versione ponitur pro siccitate *Iob*. 30. *vers*. 30 Ibi Hieronymus annotat: *Ferventi caumate persecutionũ.*

Cauponari. Est lucri causa tractare, sicut caupones solent. Ita 2. *Corinth*. 2. 17. καπηλεύειν τὸν λόγον τοῦ θεοῦ, *cauponari verbum Dei*, est id tractare more cauponum, avarè, callidè, non sincerè: quæstui illud habere: adulterare, ut habet vetus versio Syr. מְמַזְגִין id est, *miscentes*, tanquam scil. falsitatem veritati, quæstus causa: ut faciunt οἱ χριστοκάπηλοι καὶ χριστέμποροι, quos vocat Nazianzenus. Vide intra χριστέμποροι.

Cauteriata conscientia. Sic dicitur conscientia non quæ habetur, sed quæ, cùm putris esset, resecta est & esse desiit: *ein abgebrand Gewissen* 1. *Tim*. 4. *v*. 2. Hinc eleganter Hesychius, κεκαυτηριασμένοι βεβασανισμένοι, μὴ ἔχοντες συνείδησιν. Philosophi appellant dedolentiam conscientiæ. Itaque conscientia κεκαυτηριασμένη est *cauterio resecta*: ita ut Apostolus alludat ad instrumentum chirurgicũ, quo resecantur ustione partes malè sanæ à corpore humano. Alii putant alludi ad cauterium, quo signabantur equi & mãcipia in fronte, ut ex nota inusta cognosci possent. Hoc sensu conscientia cauteriata fuerit, quæ damnat & reum agit hominem, ut instar equi cauterio iamiam notandi sit inquietus: seu, cauterio malæ cõscientiæ ceu signo noscatur esse mancipium Satanæ.

Cella. Sic dicitur conclave monachi. Græcè κελλίον.

Chartophylax. Duo erant chartophylaces inter chartularios Ecclesiæ. Unus Patriarchicus Ecclesiæ archiva servabat, custos sigilli patriarchalis, quod in pectore gestabat: alter œconomeio inserviebat, & tabulas Ecclesiasticorũ redituũ expensarumq; conficiebat & servabat.

Chartularius, χαρτουλάριος. Chartulariorum ordo triplex erat: in Ecclesia, palatio, exercitu. In Ecclesia diversi erãt, pro numero τῶν ἐξωκατακοίλων, h.e. eorum, qui secretis Ecclesiasticis præfecti, ut erant magnus œconomus, magnus sacellarius, magnus scenophylax, & curator sacelli. Chartularius in palatio dicebatur ὁ μέγας, dignitatemq; habebat proximam protostratori, præfectus cum eo equisonibus imperatoris. Chartularius in exercitu militem conscribebat.

Chorepiscopus. Olim dicebatur, q in pagis aut oppidis curam animarum gerebat loco Episcopi: à χώρα, *locus*, quia loco Episcopi erat. Quidam tamẽ chore-

piscopi erant Episcopi, in aliena diœcesi ministrantes.

CHAM. Fuit filius Noë minimus: qui putatur fuisse Pluto, cui inferi obvenerunt, h.e. qui inferius orbis hemysphærium & illum auriferum mundi tractum occupavit. Ab hoc quidem putant *Chemiam* traxisse nomen.

CHARACTER. De Filio Dei dicitur, *Hebr.1.v.3.* quòd sit ἀπαύγασμα τῆς δόξης καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ, scil. πατρὸς. Vulgatus interpres vertit, *Splendor gloriæ & figura substantiæ eius.* Syrus ἀπαύγασμα vertit צִמְחָא i.e. gemen. Eo alibi significatur Christus, germen illud nobilissimum, subnascens ex stirpe Jessæ. Egerminavit autem Christus è cœlo in terram, ut nos cum ipso cōgerminascamus, & per eum, atque cum eo, in cœlum congerminemus. Et hinc est, quòd Christus *Luc.1.v.78.* dicitur ἀνατολὴ ἐξ ὕψους, *oriens ex alto.* Sed redeamus ad vocabulum *character.* Illud vulgatus interpres reddidit *figura*: quia character est figura in sigillo, seu nota insculpta, quæ aliquid repræsentat: item imago, quæ per sigilli impressionem producitur, quæ exactè refert ipsius sigilli lineamenta, tanquam id, unde expressa est, & ipsum, quod expressum est, sint idem. Quamobrem character meli⁹ vertetur, *expressa imago.* Itaque Filius Dei est character personæ Patris, i.e. Patris pfecta velut imago in unitate essentię. Verùm audiamus de hoc loco Apostoli, divinissimo quidem illo, *Ambrosium*, qui *lib.5. de fide c.4.* ita scribit: Dei generatio cùm temporalis non sit, nec ante se, nec in se tempus invenit. Frigida igitur eorum & vana quæstio in creaturis ipsis non habet locum. Ipsa etenim, quę temporalia sunt, discretionem in quibusdam habere temporis non videntur. Lux nempe splendorem generat, nec comprehendi potest, ꝙ splendor luce posterior sit, aut lux splendore antiquior: quia, ubi lumen & splendor est, & ubi splendor, & lumen est. Itaque nec sine splendore lumen, nec splendor pōt esse sine lumine, quia & in splendore lumen, & in lumine splendor est. Unde & Apostolus splendorem paternæ gloriæ Filium dicit, quia splendor paternæ lucis est Filius: coæternus, propter virtutis æternitatem; inseparabilis, ꝓpter claritatis unitatem. *Athanasius* in κηρυκτικῷ εἰς τὸν εὐαγγελισμὸν τῆς ὑπεραγίας δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου docet illud quod de splendore & charactere dicitur, in eandē cadere sententiam, his verbis: τὸ ἀπαύγασμα ὡς ἀκτὶν πανήλιος ὡς ἐκ δίσκου πανηλίου ἀδιάστατον ἔχει τὴν ἔλλαμψιν, καὶ χαρακτὴρ ἔνδειξίς τίς ἐστι τῆς ὑποστάσεως, δι' ἧς καὶ χαρακτηρίζεται. ὡς οἷον γὰρ κατὰ δακτυλίου χαρακτὴρ ἐκτυπούμενος, τὸ αὐτὸ ἐκτύπωμα, ὃ καὶ ἐκσφράγισμα ἑρμηνεύεται, μηδὲν ἐν τοῖς κατ' οὐσίαν ἐλλεῖπον ἔχει· οὕτως ὁ υἱὸς τὸν αὐτὸν χαρακτῆρα τοῦ πατρὸς φέρει. οὐδὲ γὰρ παραλλάσσει ὁ χαρακτὴρ ἐκτυπούμενος, ἀλλ' ἀπαράλλακτος μένει, κατὰ τὸν αὐτὸν ἐν δακτυλίῳ χαρακτῆρα, ἔν τε κηρῷ καὶ χρυσῷ ἐκτυπούμενος κατὰ τὸ βασιλικὸν δηνάριον. καὶ οὕτως ὁ θεῖος χαρακτὴρ τοῦ υἱοῦ τῆς τοῦ πατρὸς ὑποστάσεως, ἀπαράλλακτος σφραγίς ἐστι, καὶ φέρων τὰ πάντα τῷ ῥήματι τῆς δυνάμεως αὐτοῦ, κατ' αὐτὸν τὸν ἴδιον χαρακτῆρα, τὴν ὡς κηρίνην σάρκα εἰς ἑαυτὸν ἀνεδέξατο, ἐντυπωσάμενος αὐτὴν ἐν ἑαυτῷ. *Splendor ille, velut radius verè solaris plenèq; lucidus, ab orbe verè solari & plenè lucido indiscretam habet emicationem; & character est specimen quoddam substantiæ eius, per quod ipse Pater exprimitur & repræsentatur. Vt enim ea figura, quæ annulo signatorio effigiatur, imago, inquam*

quam, illa expressa, quã signaturam appellamus, in illis, quæ ad essentiam pertinent, nihil habet, quod deficiat ab exemplari suo: ita quoque Filius eandem Patris imaginem gerit. Non enim evariat impressa imago ab imprimente signaculo, sed incommutabilis manet planè secundùm sculpturam annuli in cera & auro effigiata secundùm regalem denarium: & sic divinus character Filii, substantiæ Patris incommutabile sigillum est, & ferens omnia verbo potentiæ suæ, secundùm illud ipsum exemplar, quasi ceream carnem in seipso suscepit, eamq; in seipso formavit. Porrò character etiam est nota, qua scriptum est insigne. Sic Scriptura divina divinum habet characterem: de quo *Baptista Mantuanus lib. 3. de patientia cap. 2.* Sæpenumero, *inquit*, mecum cogitavi, unde tam suadibilis sit ista Scriptura, unde tam potenter influat in animos auditorum, unde tantum habeat energiæ, ut non ad opinandum tantùm, sed ad solidè credendum omnes inflectat? *Et mox*: Forsitan hæc fuerit ratio firmiter adhærendi, quòd in ea veritas sit solidior, quãvis non clarior. Habet enim omnis veritas vim inclinativam, & major majorem, & maxima maximam. *Et cap. 3.* Inest ergo Scripturis sacris, nescio quid, imò scio quid, natura sublimius, id est, inspiratio facta divinitùs, & divinæ irradiationis influxus certus. *Cyrillus Alexandrinus prologo in Iohannem* ait, Scripturam quasi ab alta specula cuncta circumspicere, & auditorum commodum undique colligere; ut qui veritatem divinorum sitiunt dogmatum (si recto animo sensum Scripturæ inquirant) facilè quidquid eis conferat, in ea inveniant.

Χριστέμποροι. Sic dicuntur apud *Ignatium epistola ad Trallianos* mali Christiani, qui lucri causa Christi discipulos se profitentur, & prædicant evangelium. Latinè dices *Christilucriones*, seu *Christi institores.* Eodem sensu dicuntur χριστοκάπηλοι, q.d. Christi caupones seu cauponatores, qui Christum cauponantur & quæstui habent. *Nazianz.* Vide supra CAUPONARI: quam vocem Aretius snper 2. *Cor.* 2. sic exponit: Καπηλεύοντες, *cauponantes*, sermonem Dei. Metaphora sumta est ab hospitibus & cauponantibus, quibus in more est vinum aqua corrumpere. Sic Græci interpretãt: καπηλεύειν, καπεύειν τὸν οἶνον, h. e. vinum corrumpere. Et πῆλον dicunt olim significavisse vinum. Quod si ita est, res apprimè convenit huic instituto. Nam cauponari verbum Dei dicuntur, qui falsa dogmata admiscent, ut si Judaismum, vel Gentilismum, vel Turcismum, aliquis commisceret veræ religioni, ut hodie qui Traditiones humanas admiscent. Deinde corrumpunt, qui alio fine docent, etiamsi nulla falsa dogmata spargant, ut qui honoris, lucri causa docent, qualia Apostolo objiciebantur.

CHRISTIANUS. Est idem, quod ad Christum pertinens. Hoc nomen impositum est Antiochiæ, iis qui doctrinam Christi amplexi fuerunt: cùm antea dicerentur μαθηταὶ, *discipuli. Act.* 11. Verus autem ac bonus Christianus est, qui non tantùm nomen, sed etiam rem Christianismi habet, hoc est, qui Christi per veram ac vivam fidem particeps factus sanctis Scripturis confessione & vita consentit. Qua de re Patres ita docent. *Ignatius Epistola ad Magnesianos*: πρέπον ἐστὶ μὴ μόνον καλεῖσθαι χριστιανοὺς, ἀλλὰ καὶ εἶναι. οὐ γὰρ τὸ λέγεσθαι, ἀλλὰ τὸ εἶναι μακάριον ποιεῖ, hoc est, Decens est non tantùm vocari Christianos, sed etiã esse. Non enim

 dici,

dici, sed esse, beatū facit. *Augustinus tom. 7. lib. 3 de baptismo contra Donatistas, c. 19.* Qui sunt autem veri Christiani, nisi de quibus idem Dominus dicit, Qui diligit me, mādata mea custodit. *Idem tom. 8. in enarratione psal. 36.* Ipse est Christianus, qui non aspernatur viam Christi, sed vult viam Christi sequi per passiones ipsius. Noli per aliam viam velle ire, quàm per illam, quâ ipse ivit. *Idem tom. 9. tract. 5. in epistolam Iohannis*: Si dilectio Patris non manet in te, non es natus ex Deo: quomodo gloriaris te esse Christianum? Nomē habes, & factum non habes. Si autem nomen secutum fuerit opus, dicat te quispiā paganum, tu factis ostende Christianum. Nam si factis non ostendis Christianum, omnes te Christianum vocent, quid tibi prodest nomen, ubi res non invenitur? *Salvianus lib. 4. de providentia*: Christianum nomen quasi aureum decus est: quo si indignè utamur, fit ut sues cum oramento esse videamur. *Ignatius epistola ad Magnesianos*: γενώμεθα ἄξιοι τῆς ἐπωνυμίας, ἧς εἰλήφαμεν, ὃς γὰρ ἂν ἄλλῳ ὀνόματι καλεῖται πλεῖον τούτου, οὗτος οὐκ ἔστι θεοῦ, hoc est, Simus digni cognomento (*Christianorum*) quod accepimus. Qui enim alio nomine appellatur præter hoc, hic non est Dei. χριστιανοῦσθαι apud Patres est Christianum fieri: χριστιάνωσις, Christianæ fidei acceptatio. Cæterùm quia ex omnibus mortalibus, qui inde ab exordio mundi fuerunt, nemo æternam salutem consecutus est, nisi à Christo, & per Christū; non immeritò ea ratione possunt Christiani dici omnes illi, qui etiam ante Christi adventum & ἐνσάρκωσιν, vel in populo Dei, vel apud Gentes facti sunt salutis participes. Hîc non possum, quin annotem ex Justino, Clemente Alexandrino, & Chrysostomo, illos graviter hallucinatos esse circa hunc, quem jam versamus, articulum fidei fundamentalem. Nam *Iustinus* disertè scribit, ante Christi adventum, & Judæos, & Græcos, sive Gentiles, qui secundùm rationem viverent, Christianos fuisse, ac proinde servandos. Verba ipsius *in Apologia secunda* hæc sunt: τὸν χριστὸν πρωτότοκον εἶναι τοῦ Θεοῦ ἐδιδάχθημεν, καὶ προεμηνύσαμεν λόγον ὄντα οὗ πᾶν γένος ἀνδρῶν μετέσχε. καὶ οἱ μετὰ λόγου βιώσαντες χριστιανοί εἰσι, κἂν ἄθεοι ἐνομίσθησαν, οἷον ἐν Ἕλλησι μὲν Σωκράτης καὶ Ἡράκλειτος, καὶ οἱ ὅμοιοι αὐτοῖς. ἐν βαρβάροις δὲ Ἀβραάμ, καὶ Ἀνανίας, καὶ Ἀζαρίας, καὶ Μισαήλ, καὶ Ἠλίας, καὶ ἄλλοι πολλοί, hoc est, Christum primogenitum esse Dei edocti sumus, & præsignificavimus, verbum esse cujus omne genus hominum particeps factum est: Et qui cum ratione vixerūt, Christiani sunt, licet impii judicati sint, quemadmodum inter Græcos Socrates & Heraclitus, & similes illis: inter Barbaros verò Abraham, & Ananias, & Azarias, & Misael, & Elias, & alii multi. Similis huic locus est *in apologia priore*: Χριστὸς καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους ἐγνώσθη, Christus etiam à Socrate ex parte est cognitus. *Clemens Alexandrinus lib 7. Stromatum ita scribit*: Ἰουδαίοις μὲν νόμος, Ἕλλησι δὲ φιλοσοφία μέχρι τῆς (τοῦ χριστοῦ) παρουσίας. ἐντεῦθεν δὲ ἡ κλῆσις ἡ καθολικὴ εἰς περιούσιον δικαιοσύνης λαὸν κατὰ τὴν ἐκ πίστεως διδασκαλίαν, hoc est, Judæis lex, Græcis verò philosophia usque ad (Christi) adventum: hinc verò vocatio universalis in peculiarem justitiæ populū, & in eam, quæ est ex fide, doctrinam. *Idem tot locis*, legem & philosophiam, duo testamenta appellat, ab eodem Domino diversis populis, in eundem finem tradita. *Idem*

lib. 1.

lib. 1. *Stromatum* ait: καθ' ἑαυτὴν ἐδικαίου ποτὲ καὶ ἡ φιλοσοφία τοὺς Ἕλληνας, hoc est, Philosophia quondam per se Græcos justificabat. *Idem alibi*, legem & philosophiam appellat βαθμοὺς καὶ ὑποβάθρας τῆς χριστοῦ φιλοσοφίας, hoc est, gradus & scalas Christianæ philosophiæ. His similia occurrunt apud *Chrysostomum*. Nam *homil.* 38. *in Matth.* ait: Quid ergò? Illisne facta est injuria, qui ante Christi adventum vixerunt? Nequaquam. Tunc enim etiam sine Christi confessione poterat aliquis servari: quippe hoc ab illis non exigebatur, sed ut ab idololatria abstinerent *Mox* Solum Deum nosse ad salutem tunc temporis satis erat, quemadmodum antea dixi: nunc id non sufficit: quin hoc ampliùs notitia Christi est necessaria. *Non multò pòst*: Fruentur omnibus vitæ æternæ bonis, etiam illi, qui Christum, ante ipsius incarnationem non norunt: sed ab idololatria se abstinuerunt, Deum unum adorarunt, & vitam, quàm fieri poterat, optimam vixerunt. Hæc & similia his alia dicta duriora procul dubio Ludovicum Vivem, Erasmum, Zvvinglium, & Andradium seduxerunt. Nam & illi eundem errarunt errorem. Porrò Christiani speciali significatione dicebantur, qui sacramentis erant initiati. Neque enim in primitiva ecclesia censebantur Christiani, qui sacramentis nondum fuerant initiati. Vide titul. COMPETENTES & FIDELES. Sed redeamus ad primam significationem. A Christo Christiani dicimur, quemadmodum ab Israele Israelitæ, à Juda Judæi, ab Abrahamo Abrahamidæ. Attamen Gentiles, nominum affinitate ducti, Christianos, quasi χρηστοὺς putarunt dictos. Hoc argumento utitur *Iustinus Martyr* 2. *apolog. ad Anton. Imp.* χρηστότατοι ὑπάρχομεν. Et mox: χριστιανοὶ εἶναι κατηγορούμεθα. τὸ δὲ χρηστὸν μισεῖσθαι οὐ δίκαιον. q.d. Cùm optimi simus, tamen accusamur: at quod optimum est, odisse non oportebat. Sic *Eusebius lib.* 9. *c.* 8. docet, etiam paganorum judicio optimos habitos esse Christianos. Verùm non rectè hinc dici locuples testis est *Tertullianus in apolog. c.* 3. his verbis: Sed & cùm perperam Chrestianus pronuntiatur à vobis (nam nec nominis est penes vos certa notitia) de suavitate vel benignitate compositum est. Et *Lactantius lib.* 4. *Inst. cap.* 7. indicat, Chrestum pro CHRISTUM malè per errorem ab illis dici. Vera itaque est sententia à Christo propheta, sacerdote & rege suo dici Christianos.

CHRISTUS. Est frequentissimum inter nomina Salvatoris nostris, ut & nomen Jesus. *Iustinus Martyr apologetico* 2. ait: χριστὸς μὲν κατὰ τὸ κεχρῖσθαι καὶ κοσμῆσαι τὰ πάντα δι' αὐτοῦ τὸν θεὸν, λέγεται, *Christus quidem ex eo, quòd per eum Deus omnia conformaverit ac ornaverit, appellatur.* Josephus Scaliger in Eusebianis legendum putat; κατὰ τὸ καὶ χρῖσαι, καὶ σμῆσαι, *quòd unxerit & absterserit omnia.* Sed alia est ratio etymi: ea videl. quæ nominis מָשִׁיחַ. Itaque CHRISTUS significat unctum in genere. Speciatim verò ita dicitur secunda persona SS. Trinitatis, Deus-Homo, qui unctus est propheta, sacerdos & rex ecclesiæ suæ, quique nos ungit Spiritu suo, ut fiamus & ipsi prophetæ, sacerdotes & reges. Hoc nomen vel solum ponitur, ut *Ephes.* 4. sæpiùs: vel conjungitur cum nomine JESUS, ita ut vel antecedat *Tit.* 1. *vers.* 4. vel sequatur *Hebræorum* 13.

v. 20. Portò vox hæc etiam ſignificat 1. typos quoſdam Chriſti: putà Cyrum, liberatorem populi Dei *Eſa.* 45. *verſ.* 1. item Davidem 2. *Sam.* 23. *verſ.* 1. 2. eccleſiam Chriſti cum capite ſuo conjunctam 1. *Cor.* 12. *v.* 12. 3. ſervos Dei fidos 1. *Chron.* 16. *v.* 22. *Pſal.* 105. *v.* 15.

Ciborium. Apud theologos eſt arcula illa, in qua habetur panis benedictus in euchariſtia. Quidam malunt *κιβώτιον*, quod eſt arcula. Sed *ciborium* quoque rectè dicitur, vel à cibo, vel à Græco *κιβούριον*, quod ſignificat *ſepulcrum*: ita ut arcula illa, in qua aſſervatur ſacramentum, ſit tanquam ſepulchrum corporis Chriſti, i.e. memoriale ſepulchri, ſeu corporis Domini in ſepulchro poſiti.

כֵּיפָא. Eſt vox Syriaca, generis fœminini & maſculini. In genere fœminino eſt nomen appellativum, ſignificans *petram*: in maſculino eſt nomen proprium, ſignificans *Petrum*. Ex hac obſervatione lucem accipit locus *Matth.* 16. *v.* 18. qui Syriacè ita ſonat: אַנְתְּ הוּ כִּיפַא וְעַל הָדָא כִּיפָא *Tu ille Kipha, & ſuper hac Kipha.* q. d. Tu appellaris ὁ Cephas, à Cepha petra, quam modò confeſſus es. In lingva Græca manifeſtior eſt diſtinctio. Nam ibi πέτρα eſt rupes, aut ſaxum ingens: πέτρος autem parvus lapis. Quæ grammatica obſervatio huic loco apprimè convenit. Nam Chriſtus eſt petra, ſeu rupes, Petrus eſt lapis ab illa rupe exciſus. In idiomate Syriaco eadem eſt diſtinctio, quod ad rem quidem ipſam attinet: etſi in ipſis vocibus non ita clarè apparet, propterea quia in terminatione nulla eſt diverſitas. Apparet tamen etiam ibi, ſi res diligenter expendatur. Vide infrà titul. *Petra.* Diligenter hîc tenendum eſt, errare, & quidem graviſſimè, qui exiſtimant inter hæc duo nomina, *Cepha petra*, & *Cepha Petrus*, nullũ eſſe diſcrimen, quia literis ſcribũtur eiſdem. Nam ſicut *leo*, brutum animal, & *Leo*, hominis nomen: item *Merula*, avis, & *Merula*, viri nomen, literis quidem ſcribuntur iiſdem, ſed ſignificatione differunt: ita *Cepha*, petra, & *Cepha*, Petrus, ſi literas ſpectes, ſunt κοινὸν ὄνομα, h.e. commune nomen: ſi τὸν λόγον τῆς ὐσίας, h.e. rationem ſubſtantiæ, & definitionem utriuſque dictionis, res ſunt diverſæ. Hoc diſcrimen agnovit *Auguſtinus lib.* 1. *retract. cap.* 21. his verbis: Non dictum eſt Petro, Tu es petra: ſed, Tu es Petrus. Petra autem erat Chriſtus, quem confeſſus Simon, ſicut cùm tota eccleſia confitetur, dictus eſt Petrus. Errat itaque Baronius errorem non ferendum, quando in Annalibus ſuis textum Syriacum emendat, atque ita deſcribit: *Tu es Cephas, & ſuper hanc Cepham ædificabo eccleſiam meam.* Similem errorem errat, quando Latinum interpretem corrigens, *Latinè*, inquit, *ſic dicenda ſententia: Tu es petra, & ſuper hanc petram.* Obiter obſerva Optatum Milevitanum nomen Cepha malè deducere à κεφαλή.

Clarifico. Vox hæc eccleſiaſticis ſcriptoribus eſt frequens, eſtq; idẽ quod Græcum δοξάζω, id eſt, glorifico, honorifico, magnifico, nobilito, ut eſt in Gloſſario. Aliquoties occurrit hæc vox *Iohan.* 17. *Ambroſius lib.* 5. *de fide c.* 5. ait: Non ſolùm per Patrem, & à Patre clarificatur Filius, ſed etiam per Filium & à Filio clarificatur Pater. Sicut ergo clarificatur per Patrem: ita & propter Patrem vivit. Unde quidam δόξαν opinionem magis putaverunt eſſe quàm gloriam; & ideo ſic interpretati ſunt, Ego te clarificavi ſuper terram, opus conſummavi, quod dediſti mihi,

sti mihi, & nunc clarifica me pater, hoc est, δόξασον, ut sit hic sensus: Opinionem de se hominibus hujusmodi infudi, ut cognoscant te Deum verum, & tu hanc de me confirma illis opinionem, ut credant me tuum Filium, & verum Deum. *Hîc autem opinio fidem & certam notitiam significat.* Idem lib. 2. de Spir. sanct. Similiter Spiritus clarificare Filium dicitur. Clarificare ideo, quia docuit nos Spiritus sanctus, Filium Dei imaginem esse invisibilis Dei, & splendorem gloriæ, & characterem substantiæ ejus. Porò vox *clarifico* vicies ter occurrit in vulgata versione N.T. hoc modo. *Iohan.* 12. *vers.* 18. 23. 28. *c.* 13. *v.* 31. 32. 33. *c.* 15. *v.* 8. *c.* 16. *v.* 14. *c.* 17. *v.* 1. 4. 5. 10. *c.* 21. *v.* 19. *Act.* 4 *v.* 21. *Gal.* 1. *v.* 24. 2. *Thess.* 1. *v* 12. *c.* 3. *v.* 1. *Hebr.* 5. *v.* 5. Ter occurrit in libro 3. Esdræ. *c.* 8. *v.* 28. 82. *& c.* 9. *v.* 53.

CLAUDICO. Metaphoricè notat 1. infirmum in fide *Mich.* 4 *v.* 6. 7. *Soph.* 3. *v.* 19. *Hebr.* 12. *vers.* 13. 2. inconstantem animo 1. *Reg.* 18 *v.* 21. ubi tamen in Hebræo est verbum *transilire.*

CLAVES REGNI COELORUM. Hac metaphora significatur potestas, nō principalis & indepēdens, quæ soli Christo competit, sed ministerialis & subdelegata, ecclesiæ à Christo data, ad fores regni cœlorum credentibus evangelio & resipiscentibus aperiendas, incredulis autem & non resipiscentibus claudendas. Sunt autem duæ claves regni cœlorum: prædicatio evangelii & disciplina ecclesiastica, seu doctrina & disciplina. Clavium illarum usum exercet ecclesia per ministros verbi & presbyteros. Unde omnes fidi ministri Christi sunt janitores cœli & clavigeri Christi, *Matth.* 16. *&* 18. Videamus hac de re sententiam Patrum. *Augustinus tom.* 1. *lib.* 1. *retract. cap.* 21. Scio me postea sæpissimè sic exposuisse quod à Domino dictum est, Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, ut super hanc petram intelligeretur, quam confessus est Petrus dicens, Tu es Christus, Filius Dei vivi, ac si Petrus ab hac petra appellatus, personam ecclesiæ figuraret, quæ super hanc petram ædificatur, & accepit claves regni cœlorum. *Idem tom.* 3. *lib.* 1. *de doctrina Christiana, c.* 18. Has igitur claves dedit ecclesiæ suæ, ut quæ solveret in terra, soluta essent in cœlo, quæ ligaret in terra, ligata essent & in cœlo. *Eod. tom. libr. de agone Christiano cap.* 30. Non sine causa inter omnes apostolos ecclesiæ catholicæ personam sustinet Petrus: huic enim ecclesiæ claves regni cœlorum datæ sunt. *Et cap.* 31. Itaque miseri, dum in Petro petram non intelligunt, & nolunt credere datas ecclesiæ claves regni cœlorum, ipsi eas de manibus amiserunt. *Hoc loco verba.* dum in Petro petram non intelligunt, *hunc habent sensum: dum non intelligunt loquentem Christum, qui est petra illa, quid sibi in Petro voluerit. cùm diceret, Tu es Petrus &c. Christus enim in Petro totam ecclesiam allocutus est. Idem tom.* 8. *in prima enarratione psalmi* 108. Sicut quædam dicuntur, quæ ad apostolum Petrum propriè pertinere videantur, nec tamen habent illustrem intellectum, nisi cùm referuntur ad ecclesiam, cujus ille cognoscitur in figura gestasse personam, propter primatū, quem in discipulis habuit, sicut est, Tibi dabo claves regni cœlorum. *Idem tom.* 9. *tract.* 50. *in Iohannem*: Petrus, quando claves accepit, ecclesiam sanctam significavit. *Et tract.* 24. *in Iohan.* Hoc agit ecclesia, spe beata, in hac vita ærumnosa, cujus Eccle-

ſiæ Petrus apoſtolus propter apoſtolatus ſui primatum gerebat figurata generalitate perſonam. Quod enim ad ipſum propriè pertinet, natura unus homo erat, gratia unus Chriſtianus, abundantiore gratia unus idemque primus apoſtolus. Sed quando ei dictum eſt, Tibi dabo claves regni cœlorum, &c, Quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlis, &c, Quodcunque ſolveris ſuper terram, erit ſolutum & in cœlis: univerſam ſignificabat eccleſiam &c. Et paulò pòſt: Eccleſia ergo quæ fundatur in Chriſto, claves ab eo regni cœlorum accepit in Petro, id eſt poteſtatem ligandi ſolvendique peccata. Quod enim eſt per proprietatem in Chriſto eccleſia, hoc eſt per ſignificationem Petrus in petrâ: qua ſignificatione intelligitur Chriſtus petra, Petrus eccleſia. *Origenes in Matthaum tract.* 1. Quòd ſi nos idem loquimur, quod Petrus locutus eſt, efficimur Petrus. Et nobis dicitur, Tu es Petrus. Petra enim eſt, quiſquis eſt diſcipulus Chriſti. *Ibid.* Hoc dictum, Tibi dabo claves regni cœlorum, cæteris quoque commune eſt, & quæ ſequuntur, velut ad Petrum dicta, ſunt omnium communia. *Chryſoſtomus in Matth. opere imperfecto, homil.* 44. Clavicularii ſunt ſacerdotes, quibus creditum eſt verbum docendi & interpretandi Scripturas. *Theophylactus ſuper Matth.* 16. ἔχουσιν ἐξουσίαν ἀφιέναι καὶ δεσμεῖν, οἱ κατὰ Πέτρον ἀξιωθέντες χάριτος, hoc eſt, Habent poteſtatem remittendi & ligandi: eadem, qua Petrus, gratia digni judicati: *Beda in homilia ſuper evangelium, quem me dicunt* &c. Poteſtas ligandi & ſolvendi quamvis ſoli Petro à Domino data videatur: tamen abſque ulla dubietate noſcendum eſt, quòd & cæteris apoſtolis data eſt.

CLAVIS DAVID. Duobus in locis fit mentio clavis David. *Eſa.* 22. *verſ.* 22. *& Apoc.* 3. *v.* 7. Priori loco *clavis domus David* eſt ſymbolum magnæ potentiæ, qua pollebat magiſter palatii. Sic enim vertenda ſunt illa verba apud Eſaiam: אֲשֶׁר עַל־הַבַּיִת, ὃς ἐστιν ἐπὶ τοῦ οἴκου, *qui eſt ſuper domum*: ut patet ex *Geneſ.* 44. *v.* 1. *& cap.* 41. *v.* 40. 3. *Reg.* 4. *v.* 6. 4. *Reg.* 10. *v.* 5. 2. *Paralip.* 19. *v.* 2. *& c.* 28. *v.* 7. Errant itaque, qui docent Sobnam, cujus fit mentio *Eſa.* 22. fuiſſe ſummum Pontificem. Neque verò illorum ſententiam firmat, quòd *verſu.* 21. inſignia muneris, quo fungebatur Sobnas, & quod in Eliacimum erat transferendum, dicuntur fuiſſe tunica & baltheus, quæ *Exod.* 28. *v.* 40. *& Levit.* 8. *v.* 7. *& alibi*, inter ornamenta Pontificia ponuntur. Neque enim ſolius Pontificatus inſignia fuerunt tunica & baltheus: verùm etiam aliarum dignitatum & officiorum aulicorum; ſed diverſis formis; ſicut apud Romanos toga diverſarum ætatum & conditionum fuit indicium: at non ejuſdem formæ, verùm diverſæ. Videamus nunc, quid in Apocalypſi intelligatur per clavem David. Sermo ibi eſt de Chriſto. Itaque per clavem David oportet hoc loco ſupremum dominium & abſolutiſſimam poteſtatem intelligere. Chriſto enim Filio Dei, Deo vero, & dominium competit univerſi mundi, nedum eccleſiæ; & dominatio atque imperium in omnes atque omnia. Statuamus igitur per clavem David ſignificari poteſtatē ſummam, & quidem apud Eſaiam, non ſimpliciter ſummam, ſed ſummum ſecundùm quid, in domo videl. regia: in Apocalypſi verò ſimpliciter ſummam & catholi-

tholicissimam. Porrò ut clavis mystica dicitur: sic & claudo mystica & spirituali ratione accipitur *Esa.6.v.*10. *c.*22.2.*c.*29.10.*c.*33.*v.*15. *Matth.* 13.*v.*15.*c.*23.*v.*13. 1. *Iohan.*3.*v.*17. *Apoc.*3.*v.*7.8.*c.*11.*v.* 6.*c.*20. *v.*3.*c.*21.*v.*25.

Clericus. Propriè est ad sortem pertinens, hæreditarius. Nam κλῆρος est sors, item hæreditas, quæ sortitò obtigit, & quovis modo. Sic Deus vocat populum suum: ita & Petrus 1.*epist.*5. ecclesiam Dei, tanquam ipse sorte suæ liberæ benevolentiæ elegit. Speciali autem ratione *Clerus* dicebatur ordo ille seu collegium, cui sacrorum administratio erat commissa; ut erant primogeniti in V.T. & deinde eorum loco adsciti Levitæ; tanquam sorte quadam à cætero populo selecti. Hinc est illa appellatio, qua clerici vocantur, qui ad sacra & religiosa sunt destinati. *Papias* ait: Clericus dictus est, quia de sorte Domini est, vel quia, Dominus sors & pars clericorum. *Isidorus* addit: vel quia partem Domini habet. Sed hæc triplex ætiologia est latior: quia omnes Christiani hoc pacto sunt clerici. Quare illa, quam nos adtulimus, retineatur. *Isidorus lib.*7.*cap.*12. hos recenset gradus clericorum: ostiarius, psalmista, lector, exorcista, acoluthus, subdiaconus, diaconus, presbyter, episcopus. Cæterùm quadruplex in orientali imperio clerus erat: imperatoris, imperatricis, patriarchæ sive ecclesiæ, & exocatacœlorum. Hîc quæritur de immunitate clericorum, an illa sit juris divini, naturæ, vel positivi? Postremum affirmatur. Nam Justinianus in causis merè civilibus sanxit, ut soli episcopi de monachorum & monialium causis cognoscerent & judicarent, *Constit. Novell* 79. *c.*1. &, ut clerici apud proprios episcopos primùm conveniantur: sin *propter causæ naturam, aut propter quandam fortè difficultatem, non fuerit possibile Deo amabili episcopo decidere negotium, tunc licentiam esse ad civiles iudices pergere.* Const. Novell. 83. in præfat. & 123. c. 21. At in causis criminalibus judicem civilem conveniendum vult, & si pœna judicaverit clericum dignum, tunc spoliari ab episcopo, sacerdotali dignitate, atque ita sub legum fieri manu decernit. *Const Novell.c.*1.&123.*c* 21.

Coena Domini. Multa sunt hujus sacramenti nomina: è quibus alia in sacris literis disertè sunt usurpata; alia è verbis in Scriptura positis deducta; alia denique Patrum pietas invenit, & usus ecclesiæ comprobavit, è quibus plurima abusus contaminavit. Attingamus singula. Itaque hoc sacramentum in Scripturis appellat' 1. *Cœna Domini.* 1. *Cor.* 11.*v.*20. quæ nomenclatura est à tēporis circumstātia, & ab authore fineq; quippe cōvivium vespertinum, à Domino institutū, ad ejus memoriam recolendā. Græcè δεῖπνον κυριακὸν. 2. *Mensa Domini*: & absolutè *mensa.* τράπεζα κυρίου. 1. *Cor.*10. *v.*21. *Act.*16.2.

3. *Panis qui frangitur, & poculum εὐλογίας, benedictionis.* 1.*Cor.*10.16. toto scil. per partes explicato.

4. *Fractio panis*, κατ' ἐξοχὴν. *Act.*2.42. Hac enim phrasi alias quodvis domesticum convivium Judæis significatur.

5. *Corpus Domini*: metonymicè. 1. *Cor.* 11.29.

6. *Agape*, i e. dilectio. 2.*Petr.*2.13.& *Iud.* *v.*12. id est, sacrum convivium, dilectionis testandæ & conservandæ gratia institutū.

In secunda classe sunt nomina, quæ ex Scripturis sunt deducta.

1. Κοινωνία, *communio*, seu communicatio: ex 1. *Cor*.10.v.16.17.21.

2. Εὐχαριστία, *gratiarum actio*: ex 1. *Cor*. 10.*v*.16.*Matth*.26.*v*.26.27. Hoc tamen nomine etiam appellantur ipsa symbola, non tantùm hujus sacramenti actio: ut apud Cyprianum de lapsis: *In corpore atque ore violato Eucharistia permanere non potuit*.

3. Εὐλογία, *benedictio*: ex 1. *Cor*.10.*v*.16.

4. *Convivium Dominicum*: ex 1. *Cor*. 11. *v*. 20.

5. *Corpus Christi*: è formula institutionis.

6. Καινὴ διαθήκη, *novum testamentum*: ex *Luc*.22.*v*.20.& *Matth*.26.

7. Πνευματικὴ τροφὴ, *Spirituale alimentum*: ex 1. *Cor*. 10.*v*.3.4.

In tertia classe sunt ista nomina.

1. Δεῖπνον θεοδώρητον καὶ ἀρχισύμβολον, *cœna divinißima & principalißima*: *cœna magna*.

2. *Convivium ecclesiæ*: *convivium*, *cuius totum dominium est*: *convivium latum*.

3. *Prandium*: *prandium cœleste, honestum, salubre, atque perpetuum*.

4. Δεῖπνον μέγα: *cœna magna*.

5. *Mensa cœlestis, sacra, mystica, spiritualis*, φρικώδης, *terribilis*; & λογικὴ, *rationalis*.

6. Ἄρτος ἐπιούσιος: *panis quotidianus*.

7. *Panis*, absque epitheto.

8. *Panis angelorum*; *panis vitæ*, *panis sanctus*; *panis Dei*; *panis propositionis*.

9. *Sacramentum panis*.

10. *Caro & sangvis Domini*.

11. Λειτουργία, *liturgia*.

12. Σύναξις *collecta, collectio, conventus*.

13. Μυστήριον, *mysterium*.

14. Μυστήριον θεῖον, *mysterium divinum*: τὸ μυστήριον Κυρίου, *mysterium Domini*: τὸ δεσποτικὸν μυστήριον, *Dominicum mysterium*: τοσοῦτο καὶ τοιοῦτο μυστήριον, *tantum & tale mysterium*: μέγα τῆς σωτηρίας μυστήριον, *magnum salutis mysterium*: *mysterium pacis & unitatis*: *mysterium fidei*.

15. *Vinculum charitatis*.

16. *Sacramentum*.

17. *Sacramentum Dominicum*.

18. *Sacramentum pietatis*.

19. *Signum unitatis*.

20. *Sacramentum pretii nostri*.

21. *Desiderata*.

22. *Gratia*: χάρις.

22. Θεία χάρις, *divina gratia*: οὐράνιος χάρις, *cœlestis gratia*: θεία καὶ θεοποιὸς χάρις, *divina & Deum efficiens gratia*.

23. Τὰ ἁγιάσματα, *res sanctificatæ*.

24. Τὸ ἀγαθὸν, *ipsum bonum*: ἡ κοινωνία τοῦ ἀγαθοῦ, *communicatio boni*.

25. Τὸ τέλειον, *perfectum*, seu potiùs *perfectio, consummatio*.

26. Μετάληψις *participatio*.

27. ἅγιαι μερίδες, *sanctæ particulæ*: *partes*.

28. ἁγία τροφὴ, *sancta alimonia*.

29. Τὰ ἅγια δῶρα, *sacra dona*: τὰ προκείμενα δῶρα *proposita dona*.

30. Τὰ δῶρα, *dona*: τὸ δῶρον, *donum*.

31. Τὰ ἅγια, *sancta*.

32. *Sacrificium commemorationis*.

33. Τὸ σωτήριον δῶρον, *salutare donum*: τὸ νοερὸν καὶ μυστικὸν δῶρον, intelligibile & *mysticum donum*: δῶρον ἐξιτήριον, *donum à discedente donatum*: δῶρον ἐξιτήτηλον, *donum perfectitium*.

34. *Hæreditarium munus testamenti novi*.

35. *Sacramentum corporis & sangvinis Christi*: & *sacramentum corporis Christi*.

36. Ἐφόδιον, *viaticum*.

37. πάσχα, *Pascha*.

38. *Vita*.

39. *Sacramentum calicis*.

40. θυσία, *sacrificium.*

41. *Sacramentum altaris.*

42. προσφορά, *oblatio, seu oblata.*

43. προσένεξις, ἀναφορά: idem quod προσφορά.

44 *Mysterium perfectionis.*

45. λατρεία, *cultus*: λατρεία οἰκονομίας, *cultus dispensationis*: λατρεία ἀναίμακτος, *cultus exanguis.*

46. *Pietas.*

47 *Missa.*

48. Δοχή, *sumtio, seu epulum solenne.*

49. *Celebratio corporis & sanguinis Christi.*

Hæc nomina, epitheta, commendationes, & descriptiones sacræ cœnæ vide suis locis explicata. Hîc nomen *Cœna Dominica* solùm est explicandum. Occurrit hoc nomen 1 *Cor.* 11 *v.* 20. ubi Chrysostomus observat, Paulum eo loco appellasse δεῖπνον, *cœnam*, quod erat potiùs, si temporis rationem habeas, ἄριστον, *prandium*. Manè enim sine dubio Corinthii Eucharistiam celebrabannt, quam sequebantur postea epulę communes. Causam adfert Chrysostomus, παραπέμπων αὐτοὺς ἤν ἤδη τῇ ἑσπέρᾳ καθ' ἣν τὰ φρικτὰ μυστήρια παρέδωκεν ὁ Χριστὸς, *ut remitteret illos iam inde ad illam vesperam, quâ Dominus tremenda mysteria tradidit.* Hoc vult dicere: cùm pro usu Ecclesiæ, quem ipsi Apostoli haud dubiè instituerunt, communicandi manè ante ullum cibum sumtum, conviviū illud cœleste dicendum esset, ἄριστον, vel ἀκράτισμα *prandium*, aut *ientaculum*: cœnam tamen fuisse dictam, in honorem primæ institutionis. *Gregorius Magnus in Evangelia, homil.* 36. aliam rationem reddit: Hoc, *ait*, convivium Dei, non prandium, sed cœna vocatur; quia post prandium cœna restat; post cœnam verò nullum convivium restat: & quia æternum Dei convivium nobis in extremo præparabitur, rectum fuit, ut hoc non prandium, sed cœna vocaretur. *Casaubonus exerc.* 16. *num.* 31. addit hanc rationem: quòd δεῖπνον maius est aliquid, quàm ἄριστον, & sacris epulis: convenientius. Nam veteres Græci & Latini prandebant parcè, & ut plurimùm soli cum suis; invitationes ad cœnam fiebant. Jam verò cœna Domini non sunt privatæ epulæ, sed publica quędam omnium fidelium invitatio. Appositissimè *Plutarchus* hanc in rem *problem.* 6. *lib.* 8. τὸ δεῖπνον φασὶ κοῖνα, διὰ τὴν κοινωνίαν καλεῖσθαι. καθ' ἑαυτοὺς γὰρ ἠρίστων ἐπιεικῶς οἱ πάλαι Ρωμαῖοι συνδειπνοῦντες τοῖς φίλοις: Δεῖπνον *appellant* (Romani) *cœnam, ob* κοινωνίαν, *communionem veteres enim Romanos solos modicè prandere solitos, cœnare verò cum amicis.* Alii hanc adferunt rationem; priscis temporibus omnia convivia fuisse appellata δεῖπνα, etiam quæ non fierent in fine diei. Id probant ex Photio, qui observat Paulum, quando dixit ἕκαστος τὸ ἴδιον δεῖπνον προλαμβάνει, *unusquisque propriam cœnam occupat*, usurpasse δεῖπνον pro ἄριστον, κατὰ τὴν τότε συνήθειαν, *cœnam pro prandio secundùm eius temporis consuetudinem.* Cæterùm ex epistola Augustini ad Januarium cognoscimus, fuisse quasdam in Africa Ecclesias, ubi sacramentum celebrabatur in fine diei: alias, in quibus & ad manè, & ad vesperam. Manè quidem, ut videtur, propter authoritatem universæ Ecclesiæ, quæ iam inde à principio ea consuetudine ubique fere est usa, ut sumatur Eucharistia, non à refectis illa die, sed à ieiunis: ad vesperam verò, ut potest intelligi ex Augustino, quia Paulus has epulas sacras, *cœnam*, vocavit; & quia scriptum est apud Lucam *cap.* 22. *v.* 20. *Similiter & calicem, postquam*

cœnavit. Quæ etiam videntur fuiſſe cauſæ, cur illi Ægyptii, de quibus *Socrates li.5.* priuſquam ad hoc ſacrum epulum accederent, lautè cœnarent; ſacram verò cœnam circa veſperam ſumerent, παντοίων ἐδεσμάτων ἐμφορηθέντες, *omnis generis cibis ſatiati*, ut ait Socrates. Sed Patres ſolidas reddunt rationes, cur Dominus quidem in cœna, vel potiùs à cœna, hoc ſacramentum inſtituerit: nos verò eam temporis circumſtantiam ſervare non teneamur, qua de re etiam *Cyprianus* agit *in epiſt. ad Cæcilium.* Narrat Chryſoſtomus in epiſtol. ad Acacium, inter alias criminationes fuiſſe hoc quoq; ſibi obiectum, quòd poſt ſumtum cibũ dediſſet cõmunionẽ: q̃ accuſationem ipſe, ut graviſſimũ crimẽ à ſe amolitur: *Id ſi feci*, ait, ἀποβαλοίμην χειρὸς ἐκ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, *eiiciat me Chriſtus de regno ſuo.* Mox tamẽ inimicos ſuos, qui inter diſpoſitionis ſuæ cauſas hanc ponere non erubeſcerent, graviſſimè increpãs, Chriſti exemplum adfert, qui poſtq̃ cœnaſſet, cõmunionem tradidit: καθελέτωσαν, inquit, αὐτὸν τὸν Κύριον, ὃς μετὰ τὸ δειπνῆσαι τὴν κοινωνίαν ἔδωκε. *Deponant ipſũ Dominum, qui poſt cœnam communionẽ dedit.* Cæterùm in libris Latinorum vox *cœna Domini* interdum notat diem illum, quo Chriſtus hoc myſteriũ inſtituit. Cùm n. eſſet inſtitutũ, ut ille dies publica ſolennitate celebraretur, appellatio *cœna Domini* ei feſtivitati eſt indita. Vide *Iſidorum de officiis eccleſiaſticis lib.1.c 28.* Eligius ſerm.11. ait: *Vocatur hæc feſtivitas cœna Domini, eò quòd hoc die Dominus cœnaverit cum diſcipulis, eiuſq; ſacramentum corporis & ſanguinis ſui tradiderit:* & in 15. ait, *propter illam cauſam, quintam feriam dierũ cœnã Domini, ex antiqua Patrum conſuetudine vocari.* Sic Paſcha Domini eſt feria illa prima, qua Dñs reſurrexit. Denique Agape, primis Chriſtianis uſitata, etiã appellatur *cœna* apud Tertull. Apologet. c.29. Fuit a. iſta cœna toto genere diverſa à cœna Dñi; q̃ Tertul. dicitur *conviviũ Dominicum*, lib.3. ad uxorem: Ambroſio, *convivium eccleſiæ*, li.1. de Abel & Cain: Optato, *convivium, cuius totum dominium Dei eſt*, lib.5. Nazianzeno, *cœna magna.* Vide titul. PRANDIUM.

כֹּהֵן. Hæc vox ſignificat antiſtitem in eccleſiaſticis & politicis: q̃a olim ad eoſdem cura ſacrorum & imperii ptinebat. Sic Melchiſedec erat princeps & ſacerdos. Similiter patresfamilias, itẽque primogeniti ante conſtitutam politiam Moſaicam. In Concordantiis Bibl. vulg. verſ. hæc loca recitantur, ubi ſacerdos idem ſit quod præfectus ſeu præſes. *Gen.*41 *v.*45.*v.*47.*v.*22.*Exod.*2.*v.*16.*c.*3.*v.*1. *c.*18.*v.*1.2.*Sam.*8 *v.*18.*c.* 20 *v.* 26. 1.*Reg.*4. *v.*5. 2.*Reg* 10.*v.*11 1.*Chron.*27.*v.*5. *Iob.* 12.*v.* 10. Sic Moſes *Pſal.* 99.*v.* 6. numeratur inter כֹּהֲנִים *ſacerdotes*, i.e. antiſtites: niſi malis dicere, Moſen ante legem latam functum fuiſſe officio ſummi ſacerdotis.

COLLECTÆ. Hæc vox eſt πολύσημος. Nam quod Græci σύναξιν, id Latini ſcriptores *collectam* dicunt, & συνάγειν, *collectã agere*: & ita ſæpe apud veteres Patres, & in antiquis Martyrum Actis. Deinde eleemoſynæ coactæ à diaconis, & munera ad ſublevationem pauperum, appellantur collectæ, Græcè λογίαι, παρὰ τὸ λέγειν. Deniq; collectæ ſunt preces communes: ſic dictæ vel à cœtu credentium congregato, vel quòd eleemoſynæ cogerentur, dum iſtæ preces recitarentur. Exempla iſtiuſmodi collectarum per totum annũ vide in *Breviario Chriſtiano Adami Siberi.*

COLUMNA VERITATIS. Sic 1.*Tim.*5. *v.*15. appellatur Eccleſia: quia eſt cuſtos & teſtis verbi illius, in quo ſalutis noſtræ veritas

ritas perfectè cõtinet. Est itaq; columna, ad q̃ verbum Dei scriptũ velut affixũ est, & propositum prostat piis omnibus.

COMMUNICATIO IDIOMATUM. Hæc nihil est aliud, q̃ modus loquendi, quo idioma unius naturæ Christi tribuitur toti personę ab alterutra natura denominatæ in cõcreto propter personalẽ unionem naturarum. Audiamus iudicia Patrũ de hac loquendi formula. *Iustinus Martyr de expositione fidei* sic ait: Cùm de uno Filio voces inter se diversas audieris, convenienter ea quæ dicuntur inter se collata naturis distribue: si quid magnum atque divinum, naturæ divinæ adscribens; sin parvum & magnum, humanæ imputans. Hoc namq; pacto vocum dissonantiam evitabis, qualibet natura, quod tibi insitum est, recipiente: tam unum Filium, & ante omnia secula, & recens editum, de sacrarum literarum sententia profiteberis. *Athanasius oratione 4. contra Arianos*: cum (*Filius*) Deus esset, proprium quoddam corpus cepit, eoq; utens ut organo, homo factus est propter nos. Ideoq; quæ propria sunt carnis, etiam de illo referuntur. *Ambrosius de fide ad Gratianum Augustum lib. 2. c. 4.* Dominus maiestatis dicitur crucifixus, quia consors utriusq; naturæ, i.e. humanæ atque divinæ, in natura hominis subiit passionem. *Ibidem* Servemus distinctionem divinitatis & carnis. Unus in utraq; loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Et si idem loquitur, non uno semper modo loquitur. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones, quia quasi Deus loquitr quæ sunt divina, quia verbum est: quasi homo dicit q̃ sunt humana, quia in mea substãtia loquebatur. *Et lib. 3. c. 5.* Est Scripturis divinis promiscua consuetudo, ut interdum à divinitate Christi incipiant, & ad incarnationis sacramenta descendant: interdũ ab humilitate incarnationis exordium sumant, & ad gloriam divinitatis assurgant. *Et paulò pòst*: Verùm Ariani, velut Judaici caupones, miscent aquam cum vino, quia divinã generationem humanamq; confundunt, ad divinam referentes, quod de carne sit dictũ. *Hilarius de Trinitate lib. 9.* Hinc fallẽdi simplices atque ignorantes hæreticis occasio est, ut quæ ab eo secundùm hominem dicta sunt, dicta esse secundùm naturæ divinæ infirmitatem mentiantur. *Gregorius Nazianzenus ad Clidonium epist 1.* Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descẽdit, Filius ille hominis, & si aliud tale: censendum est ꝙ dicatur propter unionem cœlestem. *Chrysostomus in Iohan. homil. 26.* Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit, Filius hominis qui est in cœlo &c. Filium hominis hoc in loco, non carnẽ, sed à minori substantia totum seipsum, ut sic dicam, intelligit. Hic namque ei mos est, ut nunc à divinitate, nunc ab humanitate totum nuncupet. *Augustinus tom. 10. serm. 58. de verbis Domini*: Unicuiq; substantiæ propria utiq; aptanda sunt, i.e. infirmitates humanitati q̃ creata est, signa verò vel mirabilia divinitati quæ creavit. In tantũ enim duæ naturæ sibimet unitæ sunt atque coniunctæ, ut idem atq; idem Christus Deus & homo, aliquando res aut agat aut loquatur humanas, aliquando divinas. *Theodoret. dialog. 2.* Sicut congruunt homini animæ & corporis propria: sic ẽt de Christo loquendum est. Cùm de naturis loquimur, suum cuiq; tribuamus, & sciamus quædam esse divinitatis, quædã humanitatis propria. Cũ a. de pſona verba facimus, cõmunicanda sunt naturarũ

propria,

proprii, & hæc atque illa Salvatori Christo tribuenda sunt. *Et dialogo 3*. Scire oportet, quòd unio communia facit nomina. *Item*: Propria naturarum facta sunt communia personæ propter unionem, qua idem est Filius Dei & Filius hominis. *Item*: Communio nominum non facit confusionem naturarum. *Cyrillus libro 2. thesauri cap.* 1. Modò ut homo, modò ut Deus loquitur. *idem libr.* 10. *thesauri cap.* 7. Sic quæ de Christo scribuntur, intelligenda sunt, ut nec quæ Deitati conveniunt, humanitati ipsius tribuantur; nec quæ humanitatis propria sunt, ad Deitatem ipsius distorqueantur. Vide etiam *Damascenum lib.* 3. *de orthodoxa fide cap.* 4. *& Bonaventuram lib.* 3 *sent. dist.* 14. *cis finem*. Solent hoc loco illi, qui communicationem idiomatum definiunt realem effusionem proprietatum divinarum in humanam Christi naturam, solent, inquam, abuti distinctione attributorum Dei in operantia & quiescentia. Aiunt enim quædam attributa divina esse communicata carni Christi, ut operentur, & se in carne & per carnem exserant, ut dicunt esse omnipotentiam, omniscientiam, vim vivificandi & quædam verò ita esse carni Christi communicata, ut tantùm in carne quiescant, & non operentur; qualia ipsis sunt infinitas, æternitas &c. Illa appellant denominantia, ita ut caro Christi dicatur omnipotens, omniscia &c. hæc indenominantia, ita ut caro Christi non possit dici infinita, æterna à priori &c. Illa dicunt spectari respectu possessionis & usurpationis simul: hæc non respectu usurpationis, τῆς χρήσεως, sed possessionis, τῆς κτήσεως. Verùm enim verò hæc sunt σοφὰ φάρμακα, excogitata ab iis, qui docti sunt δουλεύειν ταύτῃ τῇ ὑποθέσει, proprietates posse communicari: quod quidem est longè absurdissimum. Neque enim propria, τὰ ἴδια, communicantur, sed quædam illorum effecta effunduntur in alia subiecta. Et hic est sensus distinctionis, qua attributa Dei dividuntur in operantia & quiescentia.

COMMUNIO SANCTORUM. Ea est duplex: interna & externa. *Interna* est, quam quilibet Sanctorum habet per fidem & charitatem cum Deo, & omnibus sanctis tum angelis, tum hominibus. Nominatim autem communio nostra cum Christo consistit in beneficiorum Christi participatione, & vera ipsissimæ carnis eius & spiritus communicatione, itemq; in mutua charitate. Qua de re prolixè disserit *Cyrillus lib.* 10. *in Iohannem, c.* 13. Communio *externa* est Ecclesiastica, vel politica. *Ecclesiastica* est, qua communicamus simul in iis, quæ ad cultum Dei in Ecclesia pertinent, ut sunt verbi divini prædicatio, preces publicæ, sacramentorum participatio. *Politica* est, quæ versatur in rebus & negotiis ad politicam vitam & conversationem pertinentibus. Ea verò requirit honestam communicationem utilitatis, ita & salva maneant rerum dominia.

COMMUNIO, κοινωνία, Communio Ecclesiæ cum Christo, capite suo, consideratur vel extra eucharistiam, vel in eucharistia. Utraque magnum est sacramentum. De priori loquitur Apostolus *Eph.* 5. *v.* 31. 32. de posteriori 1. *Cor.* 10. *v.* 16. unde sumta est celebris illa apud Patres nomenclatura S. Cœnæ, *Communio*: cuius quidem nominis hæc est ratio. Christus est caput nostrum, ita quidem, ut per fidē κολλώμενοι τῷ Κυρίῳ ἓν πνεῦμα ὦμεν. *tam arcta coniunctione Christo adhæreamus, ut vnus spiritus cum illo fiamus. Eph.* 4. *v.* 15. Hoc autem

tem Christus nobis est meritus per mortem suam: applicat per fidem, verbum & sacramenta, tãquam per tria media: è quibus alia Deus porrigit nobis, nempe verbum suum & sacramenta; alia nos adhibemus, sed gratis ab ipso accepta, fidẽ videl. quam cœlestibus beneficiis accipiẽdis, solam quasi manum hominib. à Deo concessam esse, & Scriptura docet *Eph.* 3. *v.*17. & Patres cõsentiunt. Sic enim *Chrys. in* 2. *Timoth. homil.* 2. disserens de baptismo & eucharistiæ perceptione: τὸ πᾶν, ait, τῆς πίστεώς ἐστι *totum opus est fidei*. iterum ibidẽ, πρὸς τὴν πίστιν τὴν σὴν τὸ πᾶν ἐνεργεῖται, *ad fidem tuam totum opus refertur.* & sæpe alibi docet idem. Similiter *Cyrillus in defensione anathematismi* 2. *contra* Theodoretum, *& alii Patres.* Porrò verbum & sacramenta tendunt eodem, sed diversis nonnihil viis. Verbum Dei voluntatem ipsius patefacit, promissiones declarat, vocationem proponit, gratiam spondet. Sacramenta eandem gratiam propiùs animis nostris admovent, & exhibent aliquantò efficaciùs. Sunt enim velut canales, pignora, picturæ, sigilla, tesseræ. Atque hæc quidem sunt ordinaria instrumenta, quibus Spiritus sanctus utitur, ad efficiendam in nobis communionem cum Christo. Sunt autem sacramentorum diversæ invicem operationes. Nam etsi est unus omnium finis, unum opus: modis tamen operantur diversis. Itaque propria baptismi operatio dicitur ἀναγέννησις, seu παλιγγενεσία, *regeneratio*; quia per salutaris baptismi aquam Adamo veteri morimur, novaque creatura evadimus, *Gal.* 6 *v.* 15. Eucharistiæ propria operatio est communio corporis & sanguinis Christi, i. e. manducatio corporis Christi, & potus sanguinis: seu est instrumentum eius cõiunctionis, per quam in corpus unum cũ Jesu Christo cõalescimus, & cum cæteris etiam fidelibus omnibus, qui sunt omnes eiusdem corporis membra. Plura vide ad tit. *κοινωνία*. Hîc non est silentio prætereundum, quod *Pachymeres*, eruditus Dionysii interpres, adfert. Ille causam aliam tradit, cur Eucharistiæ dicta sit κοινωνία, *communio*: διὰ τὸ τότε κοινωνεῖν τοὺς ἀξίους πάντας τῶν μυστηρίων, *quia tunc* (i. e. primis temporibus) *omnes qui digni erant, mysteriis* (id est, cœnæ Domini) *participabant.* Confirmat hoc etymon, quod scribit *Chrysostomus in* 1. *Corint.* 11. & sæpiùs repetit, Cœnam Domini debere esse omnium communem: quoniam, inquit, si herus aliquis servos suos convivio excipiat, non potest aliquis servorum sibi uni vendicare, quæ in commune sunt omnibus proposita. Sic *Hieron. in eundem locum* ait: Cœna Dominica debet omnibus esse cõmunis: quia ille omnibus discipulis suis qui aderãt, æqualiter tradidit sacramẽta. Summa est: Cœnam Domini dictam esse *communionem*, 1. quia sit organum speciale & illustre nostræ cum Christo Jesu coniunctionis, seu θεώσεως, *deificationis.* 2. quia fideles ipsos, Christi membra, charitatis vinculo inter se adstringat. 3. quia omnibus fidelibus dignis in commune olim in synaxibus proponeretur. Postea verò cùm deficiente zelo populus Christianus communicare desiit, nisi semel in anno, ut toties Chrysostomus, Cassianus, & alii queruntur; simul cepit, quæ priùs erat & dicebatur communio, fieri θέαμα καὶ ἄκουσμα, *spectaculum & acroama.* Cæterùm quod hîc diximus de *dignis*, h. e. accipiendum de dignatione divina, qua Deus nobis largiendo fidem dignos nos efficit.

Competentes. Sic erudiebantur ca-

techumeni in primordiali ecclesia, ut magna cum aviditate communionem peterent, unde illis *Competentium* nomen: sicut docent Augustinus, Isidorus, & alii. Extant Patrum Græcorum & Latinorum homiliæ plurimæ ad Catechumenos, in quibus multa dicuntur ad excitandam hãc in illorum animis cupiditatem. Mos etiam fuit, ut in publicis sacræ liturgiæ precib. sacerdos pro Catechumenis Deũ oraret, *ut eis desiderium regenerationis inspiraret*: sicut loquitur *Augustinus epist.* 107. Et notat *Chrysostomus homil.* 2. *in posteriorem ad Corinthios*, Sacerdotem pro Catechumenis orantem, hac precum formula uti solitum: δεηθῶμεν. ἵνα ὁ πανελεήμων καὶ οἰκτίρμων Θεὸς ἐπακούσῃ τῶν δεήσεων αὐτῶν, *oremus ut misericordissimus & miserator Deus eorum orationes exaudiat*. deinde quæ essent catechumenorum preces, exponit, δέησις δὲ κατηχουμένων τίς ἂν εἴη, ἀλλ' ἢ, ὥστε μὴ μεῖναι κατηχουμένους; *Quanam verò Catechunorum sit oratio, nisi ut ne maneant Catechumeni?* Ratio est: quia non censebantur Christiani, qui sacramentis nondum fuerant initiati: ac proinde si morerentur antequam *Fideles* essent facti, spes salutis nulla erat: quod sæpissimè affirmant Augustinus, Chrysostomus, & alii. Quanquam οἰκονομικῶς, *dispensativè*, fortasse illa dicantur. Nam de Valentiniano, qui ante baptismũ obierat, nihilosecius bene sperasse Ambrosium notissimũ est. Votũ n. baptismi ꝓ baptismo illi fuisse, nõ dubitavit. Ideo in eius laudatione ait, *Ablutus ascendit, quẽ sua fides lavit, & petitio cõsecravit.*

COMPLETORIUM. Est vox ecclesiastica, notans crepusculum, cùm

Ultima pars lucis, primaq; noctis init:

Sic dictum à laudibus divinis absolutis & completis, actionibus omnibus diurnis perfectis. Epiphanius appellat λυχνικοὺς ψαλμοὺς καὶ προσευχὰς q. d. lucernales. Nam hæc pars diei Herodoto dicitur, ἡ περὶ λύχνων ἀφάς.

CÕPREHENSORES. vid. infr. VIATORES.

CONCILIUM. Festo videtur dictum quasi consilium à consulendo: aliis à cõsentiendo. Sed verum etymum est à concalando, h.e. convocando, sive congregando. Hoc enim rei vim naturamq; declarat. Concilium enim quid aliud est, quàm hominum cœtus, aut convocatio, seu multitudo convocata ab aliquo, ad consultandum aut diiudicandum de rebus communibus. Sunt autem Concilia alia politica, alia ecclesiastica. Politica sunt, quæ de rebus ad statum externum reip. pertinentibus congregantur: qualia sunt Comitia & Parlamenta. Ecclesiastica verò Cõcilia sunt hominum piorum ac religiosorum de rebus ecclesię consultantium, & sunt trium generum. Quædã n. sunt particularia, quando pauci homines ex uno loco colliguntur, ut res ecclesiasticas constituant: cuiusmodi fuit Cõcilium illud, de quo *Act.* 15. Ibi n. convenerunt, qui Hierosolymis fuerunt προεστῶτες religionis Christianæ. Hæ dicuntur κατὰ τόπους σύνοδοι, vel σύνοδοι τοπικαί. Quædam sunt provincialia aut nationalia, qñ unius gentis Episcopi & Presbyteri congregantur, ut suis Ecclesiis consulant: cuiusmodi olim in Africa, Hispania, & aliis orbis partibus permulta habita sunt, de quibus in tomis Conciliorũ. Hæ σύνοδοι κατ' ἐπαρχίας appellantur. Quædã sunt universalia, cùm non ex una gente, sed ex toto orbe Christiano Episcopi ac Presbyteri congregantur. Hæ vocantur σύνοδοι οἰκουμενικαί; vel quia ex omni parte orbis Christiani ad eas convenitur; vel quia, ut

quidam volũt, ab Imperatore congregabantur, qui olim totius orbis Christiani imperium habuit. *Bellarm. lib. 1. de concil. & eccles. c. 4.* dupliciter partitur Cõcilia. Prior divisio est de variis generib. Cõciliorũ, altera de varia illorum authoritate. Quod ad primam partitionem attinet, ait esse quatuor genera Conciliorum: generalia, nationalia, provincialia, & diœcesana. Trium priorum *Augustinus* meminit *lib. 2. contra Donatistas c. 3.* membri verò quarti *Concilium Toletanũ IV. c. 25.* Hæc cuiusmodi sint, nunc audiamus. *Diœcesana* Concilia sunt, in quibus Præsbyteri unius tantùm Episcopatus conveniunt: *provincialia*, in quibus omnes Episcopi conveniũt sub uno Archiepiscopo aut metropolita: *nationalia*, cùm oẽs Episcopi & Archiepiscopi unius regni conveniunt: *generalia*, quibus interesse possunt ac debent Episcopi totius orbis. Alterius quoq; distributionis quatuor sunt membra. Quædã enim ait approbata esse ab Apostolica sede, quædam omnino reprobata, quædam partim approbata partim reprobata, q̃dam nec approbata nec reprobata. *Primi generis* ait esse octodecim: videl. Nicænũ primum, Cõstantinopolitanum I, Ephesinum I, Chalcedonẽse, Constantinopolitanum II, Constantinopolitanum III, Nicænum II. Cõstantinopolitanum IV, Lateranense I, Lateranense II, Lateranẽse III, Lateranense IV, Lugdunense I, Lugdunense II, Viennẽse, Florẽtinum, Lateranense V, Tridentinum. *Secundi generis* commemorat octo: Conciliũ Antiochenum, Mediolanẽse, Ariminense, Ephesinum II, Constantinopolitanũ cõtra imagines, Cõstantinopolitanum aliud similiter contra imagines, Pisanum, & Wittenbergense. *Tertii generis* recitat sex: Cõcilium Sardicense, Syrmiense, Constantinopolitanũ, q̄ dicitur Trullanum; Frãcofurtense, Constantiense, & Basiliense. *Quarti generis* fuerunt minuta q̃dam Cõcilia particularia. Hæc ex Bellarm. Tu ita habe. Concilia sunt legitima, vel illegitima. Concilia legitima sunt in quibus ex solo Dei verbo omnia decidũtur. Suntq; Apostolica, vel Ecclesiastica. *Concilia Apostolica* sunt, in quibus Apostoli fuerũt coacti. Observant a. docti, quatuor huiusmodi Cõcilia describi in Actis: primũ, in quo eligit᷑ Matthias, *Act. 1.* secundum, in quo diaconi instituunt᷑, *c. 6.* tertiũ, in quo Judaica instituta antiquãtur, *c. 15.* quartũ elicitur ex historia *c. 21.* de Pauli adventu Hierosolymã. *Cõcilia ecclesiastica* sũt generalia, vel specialia. *Generalia* dicũt᷑ œcumenica: suntq; numero sex, videl. Nicęnũ I, Constantinopolitanũ I, Ephesinũ, Chalcedonense, Cõstantinopolitanũ II, & III. *Concilia specialia* sunt diœcecesana, seu ꝓvincialia; vel nationalia: de quibus paulò antè. *Concilia illegitima* sunt, quę neq; rectè convocata sunt, neq; rectè definierũt res ꝓpositas: aut rectè quidẽ convocata fuerunt, sed errarunt in modo procedẽdi, ita nempe ut vel contra Scripturã, vel tyrannicè egerint. Tria hîc notanda sunt. 1. Veteres laudantes Cõcilia, intelligendi sunt de iis, q̃ ex Scripturis deciderunt controversias sibi propositas. 2. Pręsidentia, q̃ in quibusdã Conciliis tributa fuit Papæ, nõ fuit authoritativa, sed honoraria, ut rectè distinguit Turrecremata *summa de eccles. li. 3. c. 23.* 3. Provocativà Conciliis ad Romanum Episcopum, non fuit ut ad iudicem supra Concilia, sed ut ad Patrem pollentẽ authoritate apud Imperatorem.

Concordia. Hæc est vinculũ & veluti glutẽ, omnis societatis. Itaq; in ecclesia

Sint vnũ, laudent unũ, meditentur & unum,
Glorificent unum pectora fessa Deum.

Nam

Disiunctas animi turbato fœdere partes

Nec liquida invisit sapientia, nec Deus intrat, ut canit Prudentius.

CONFICERE CORPUS CHRISTI. Vide FACIO.

CONFESSIO. Hæc est vel religionis *Rom.*10.*v.*10. vel peccatorum, eaque publica vel privata, ordinaria vel extraordinaria, coram Deo, vel hominibus. Hîc quæritur de confessione peccatorum secreta & integra, quam vocant sacramentalem, & auricularem, an illa sit necessaria? Respondemus ex Chrystomo & Augustino, quòd non. Sic enim *Chrysostomus homil.* 2. *in Psalm.* 50. Si confunderis alicui dicere quæ peccasti, dicito quotidiè in anima tua. Non dico ut confitearis conservo tuo, qui exprobret: dicito Deo, qui curat ea. Peccata tua super stratum tuum confitere, ut ibi sua mala quotidie conscientia tua recognoscat. *Item*: Nunc autem neque necessarium est præsentibus testibus confiteri; cogitatione tua fiat delictorum exquisitio: sine teste sit hoc iudicium: solus Deus te confitentem videat. *Item*: Non te in conservorum tuorū theatrum duco, non hominibus peccata tua detegere cogo: repete coram Deo cōscientiam tuam, & explica. Ostende Domino præstantissimo medico tua vulnera, & pete ab eo medicamentum: ostende ei qui nihil opprobret, sed humanissimè curet. *Idem. hom.* 31. *in Hebr.* 12. Nec nos dicamus peccatores, sed etiam peccata recenseamus, speciatim unumquodq; enumeremus. Non tibi dico, ut ea tanquam pompam in publicum proferas, neque ut te accuses, sed ut pareas Prophetæ dicēti, Revela Domino viam tuam. Apud Deū ea confitere, apud iudicem cōfitere peccata tua, orans si nō lingua saltem memoria, & ita roga ut tui misereatur. *Aug. tom.* 1. *lib.* 10. *confess. c.* 3. Quid mihi ergo est cū hominibus ut audiant cōfessiones meas, quasi ipsi sanaturi sint oēs languores meos? Curiosum genus ad cognoscendā vitam alienā, desidiosum ad corrigendam suā. Quid à me quærunt audire qui sim, q nolunt te, Deus mi, audire qui sint? & unde sciunt cū à meipso de meipso audiunt, an verū dicam, quandoquidē nemo scit hominū quid agatur in homine, nisi spiritus hōis qui in ipso est? Ex his patet, Patres confessionem secretā non habuisse pro necessaria. Et *glossa inde pœnit. dist* 3. *c.* 1. §. *in pœnitentia* ait: Melius dicitur eā institutam fuisse à quadam universalis Ecclesiæ traditione potiùs, quàm ex Novi vel Veteris Testamenti authoritate. Colophonis loco observa miram Baronii subtilitatē, qui in an. Chr. 56. 16. ita explicat vocem ἐξομολόγησις, *confessio.* ἐξ, inquit, præpositio idem est q foris, & ὁμολογία, quod est, ut declarat Suidas, confessio.

CONFESSORES. Ita dicuntur, qui vitæ sanctimonia claruerunt, nō tamen suum pro Christo sanguinem fuderunt. Ita passim videas iungi Martyres, Confessores & virgines.

CONFIRMATIO. Hæc Papistis dicitur esse sacramentum. Sed *Bonaventura* negat fuisse à Christo institutum, *in sent. lib.* 4. *d.* 7. *art.* 1. *q.* 1. Et *Molanus de sacram. tract.* 4. *c.* 6. ait: De forma confirmationis non mirum est pauca apud veteres legi, cùm ab Innocentio I. scriptum sit, verba dicere non possum, ne prodere verear. Primi formam publicasse videtur Magistri Romanæ Ecclesiæ in ordine Romano, ubi legitur: Confirmo te in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, Amen. Sic Molan⁹.

Suarez in 3. part. Thom. De forma confirmationis, *inquit*, nihil legimus in Scripturis: si ad traditionem confugiamus, magnam in antiquis Patribus reperimus varietatem. *Bellarminus de sacram. confirm. lib.* 2. *c.* 10. fatetur, Patres nec expressè posuisse formam confirmationis, neque aliorum sacramentorum formas descripsisse, *quòd essent res omnib. nota.* Veriùs dixisset: *res omnib. ignota.*

Congregare. Hoc verbum non semper de locali coitione intelligitur: sed sæpe idem denotat, quod Implicare, Involvere, Violento impetu atripere, ut in illo *Psal. 26. 9. Ne abripias animam meam cum peccatoribus*: ubi est verbum אָסַף, quod alias significat colligere. Similis locus est *Apoc.* 16. ubi de spiritibus Antichristi dicitur, illos congregaturos mundi reges in prælium, h.e. effecturos, ut reges bellis implicentur. Ubi notatur Liga illa, per quam reges revera congregantur in prælium, non vulgare, sed ejusmodi, quod catholicam ecclesiæ persecutionem adfert. Desumtum autem est genus hoc loquendi ex *Esa.* 14. 21. 22. *c.* 34. 5. 6. *Soph.* 3. 8.

Consubstantiatio. Sicut transubstantiatio à sophistis: ita consubstantiatio, ἡ συνυσίωσις, ab ignorantibus est introducta. Est autem consubstantiatio modus quidam, quo corpus Christi fingitur esse *In, Con, & Sub* pane. De sangvine Christi & vino eucharistiæ idem judicium apud patronos hujus figmenti: quod alii tribuunt Ruperto Abbati Tutiensi, alii Johanni Parisiensi; alii Cardinali Cameracensi. *Bellarminus lib.* 3. *de sacramento Eucharistiæ cap.* 11. de Luthero sic ait: Addit veram esse propositionem. Panis est corpus Christi, propter unionem panis cum corpore, sicut est vera, Christus homo est Deus: ubi insinuat impanationem Ruperti, vel Johannis Parisiensis: tamen non apertiùs id explicat. Sic Bellarminus. Quidquid autem hujus sit, certum est, Lutherum esse patronum cōsubstantiationis, hoc est, unionis illius, qua panis & corporis Christi substantia in unam massam unitur. Unde manifestum apparet discrimen inter Cōsubstantiationem & Transubstantiationem. Hæc enim est formalis mutatio panis in corpus Christi; & vini in sangvinem Christi; quæ sub speciebus, id est accidentibus apparentibus esse dicunt.

Convivium. Vide titul. Coena Domini.

Corban. Est vox Hebraica, significans oblationem, donum, munus. *Levit.* 1. *v.* 2. *Marc.* 7. *v.* 11. *Matth.* 15. *v.* 5. Ad quem postremum locum sic adnotat *Lyranus*: Deus dixit, Honora patrem tuum. Per honorem istum non solùm intelligitur reverentia, sed etiam administratio necessariorum. Hanc autem excludebant per suam doctrinam falsam, quòd sacerdotes, qui erant cupidi, ut bona, quæ essent administranda parentibus, converterentur in lucra eorum, dicebant, quòd melius erat illa Deo offerre; tum quia est pater principalis, tum, quia, licet per talem oblationem parentes sustinerent detrimentum corporale, consequebantur tamen bonum spirituale, in quantum illud, quod erat in eorum necessitatē convertendum, Deo offerebatur. Sic Lyranus. Summa hæc est: Corban seu donum est, hoc est, jam religionis causa Deo est oblatum illud, per quod à me juvari potuisses, id est, unde tibi succurrere debuissem. Ita Pharisæi insontes, adeoque, pie-

tatis scil. causâ, Deo gratos fore liberos ajebant, si maximè destituerent parentes, & ad DEUM remitterent immisericorditer: modò avarorum eorum, qui religiosi dicebantur explerent desideria.

CORPUS CHRISTI: In veterum scriptis occurrit triplex corpus Christi: *reale*, corpus assumtum: *mysticum*, ecclesia: *sacramentale*, panis in cœna. *De consecrat. d.2. cap.* 79. De ultimo pronuntiant, illud *creari quotidie, benedici, consumi, frangi, dividi, in terram cadere, contrectari manibus, visceribus concludi*, denique *dentes ipsi infigi*. Porrò ipsa eucharistia sæpe à veteribus appellatur *corpus Christi*: item *celebratio corporis & sangvinis Domini*, ut loquitur Augustinus in 3. de doctrina Christiana: item *sacramentum corporis Christi*. Hinc istæ phrases sacramentales: *suscipere corpus Domini*, Origenes homil. 13. in Exod. διδόναι τὸ σῶμα τοῦ χριστοῦ, *dare corpus Christi*, in Canone 18. Concilii. Nicæni: ἱερατεύειν τὸ σῶμα Κυρίου, *conficere corpus Christi*, Basilius pag. 597. & similes his multæ aliæ apud Patres Græcos & Latinos. De his locutionibus teneatur interpretatio ipsorummet Patrum: videl. eam esse σχέσιν, *affectionem & mutuam relationem*, inter signa & res significatas, ut eorum nomina promiscuè usurpentur, ἐναργείας ἕνεκα, *perspicuitatis gratia*, ut ait Basilius ad Amphilochium, de re non dissimili verba faciens. Neque enim confundi patitur vera theologia signa visibilia cum rebus invisibilibus, quæ in illis honorantur, ut ait Augustinus: qui tot locis inculcat discrimen inter externa signacula, & intus latens spirituale donũ. Docẽt igitur Patres, cùm appellatur hoc mysteriũ *Corpus Christi*, nomine rei significatæ signũ affici. Notissimus est Theodoreti locus: *Dominus*, inquit, *symbolo corporis, corporis nomẽ dedit*. Notissimum quoque est illud Augustini ad Adimantum: *Dominus non dubitavit dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret corporis sui signum*. Notissimus est ejusdem locus in enarrat. Psal. 3. *Christus Iudam adhibuit ad convivium, in quo corporis & sangvinis figuram commendavit & tradidit*. Sic Tertullianus, qui non rarò in mentione hujus sacramenti illud appellat *Corpus Christi*, voci *corpus* subjicit interpretamentum, id est, *figura corporis*: ut libro 4. contra Marcionẽ c. 40. Quæ cùm dicimus, neq; venerãdi hujus sacramenti virtuti & efficaciæ, per quam, modo ineffabili, carne Christi & sangvine anima nostra Deo saginatur, ut loquitur Tertullianus, quicquam imus detractum: neq; præsentiam Christi in Eucharistia negamus: sed monstrum Transubstãtiationis configimus. Cæterùm vox *corpus* in hujusmodi locutionibus paulò aliter accipitur, quàm in Dominica institutione, quæ tamẽ dedit exemplum harum phrasium. In verbis Domini *corpus* significare carnem certum est: nam propriè si acciperetur, superflua esset, quæ statim subjicitur, mentio sangvinis: cum τὸ *corpus*, si κυρίως, id est, propriè, accipias & carnem & sangvinem complectatur. Sed norunt mediocriter exercitati in lectione Scripturæ & Patrum, solere corpus usurpari pro sangviue, & contrà aliquando, τὸ caro, poni pro corpore. At quoties hoc mysterium appellatur ἁπλῶς, *simpliciter*, corpus Christi, aliter ea vox est intelligenda: totũ enim illud significat, quod in communione percipiunt fideles. Nemo autem dubitat, fideles, quoties ritè Eucharistiam sumunt, & carnem & sangvinem Christi

Christi percipere, hoc est, totum Christum, & cum Christo omnia ejus munera, atque adeò, ut loquitur Damascenus, *αὐτῆς τῆς θεότητος αὐτοῦ μετέχειν*, *ipsam eius Deitatem participare.* Quæ observatio tollit concomitantiam & communionem laicam: de qua suo loco. Hîc non est prætereunda phrasis illa & distinctio Augustini, quæ dicit Judam accepisse *panem corpus Domini*, non verò *panem corpus Dominum.* Corpus Domini hîc significat nudum signum sive symbolum: τὸ corpus Dominum, signum & signatum simul. Cùm enim res sacramenti non percipiatur nisi sola fide, hypocritæ non nisi signum accipiunt: quia destituuntur manu & ore, quo percipitur nucleus sacramenti. Nimirum promissio Dei & fides nostra sunt correlativa, ut loquuntur. Itaque nihil promittitur aut offertur, sive in verbo, sive in sacramentis, nisi credenti. Unde patet, quatenus fides pertineat ad essentiam sacramenti.

Credere Deo. Credere Deum. Credere in Deum. Primum respicit Dei promissiones in genere; secundum, Dei existentiam; tertium, promissiones Dei speciales. Hinc eleganter Nazianzenus: *πιστεύειν ἔν τι, ἐστὶ θεότητος· καὶ περὶ αὐτοῦ πιστεύειν, ἐστὶ παντὸς πράγματος*, hoc est, *Credere in aliquid, arguit Deitatem: credere de aliquo, id verò in quolibet negotio locum habet.* Unde *Cyprianus*: Non credendum, *inquit*, in ecclesiam, ut à creaturis separetur creator, & humana à divinis. Ita credimus remissionem peccatorum non verò in remissionem peccatorum. Quò pertinet illud *Bernhardi*: Si credis peccata tua non posse deleri nisi ab eo, cui peccasti soli, & in quem peccatum non cadit, bene facis. Sed adde, ut & hoc credas, quòd per ipsum tibi peccata donantur. *In concordantiis Biblicis vulg. vers.* sic adnotatur: Credo Deo, Deum, in Deum, in Christum, Dei & Christi servis, homini. Insignis hoc loco locus est observandus ex Catechismo Romano, qui ex decreto Concilii Tridentini & Pii V. Romani Pontificis jussu fuit editus. Ibi cap. 2. quæstio secunda ita sonat: *Quis in materiâ fidei evangelicæ credere dicitur?* Responsio. *Credendi vox, hoc loco putare, existimare, opinari non significat, sed, ut docent sacræ literæ, certissimæ assensionis vim habet, qua mens Deo, sua mysteria aperienti, firmè constanterq; assentitur. Quamobrem is credit (quod ad huius loci explicationem attinet.) cui aliquid sine ulla hæsitatione certum & persuasum est. Neque verò existimare quisquam debet, fidei notitiam minùs certam esse, quòd ea non cernantur, quæ nobis credenda fides proponit. Etenim divinum lumen, quo ea percipimus, tametsi rebus perspicuitatem non adferat, nos tamen de his dubitare non sinit. Deus enim qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ut non sit nobis opertum evangelium, sicut iis qui pereunt.*

Creo. Est efficio eximiè. Peculiariter usurpatur de Deo, ita ut *creatio* sit constitutio rei ex nihilo: scilicet vel penitùs, vel quodam modo, seu ex nulla, vel quasi nulla, id est, informi, inhabili, & indisposita materia. Origo vocis aliis est à *κρέω*, *impero*: aliis à *χεὶρ*, *manus*: aliis à *κρέας*, *caro.* Duæ priores notationes optimè conveniunt Deo. Nam ille manibus suis, hoc est, potentia sua omnia fecit. *Psal.* 102. *v.* 26. & quidem solo nutu, imperio, & mandato. *Psal.* 33. *v.* 9.

Nimirum

Nimirum creaturæ nutu Dei ſunt, ejuſque nutu diſſolvuntur. Placet hoc loco adſcribere illud *Auguſtini lib.* 11. *de civitate Dei cap.* 21. Tria maximè ſcienda de creatura: quis eam fecerit, per quid fecerit, quare fecerit. Si ergo quærimus, quis fecerit, Deus eſt. Si per quid fecerit: Dixit, Fiat, & facta ſunt. Si quare fecerit: quia bonus eſt. Nec author eſt excellentior Deo: nec ars efficacior Dei verbo: nec cauſa melior, quàm ut bonum crearetur à bono Deo. Cæterùm creatio Græcis dicitur κτίσις, quæ à ποιήσει & πλάσει ſic differt: ut illa ſit productio ex nihilo, *Gen.* 1. *v.* 1. iſta ordinatio ſive factura, *Gen.* 1. *v.* 16. hæc figuratio, ſive figularis factura, *Gen.* 2. *v.* 7. Qui ſunt tres modi generationis illius ſupernaturalis, de qua *Gen* 2. *v.* 4. In omnibus autem hiſce modis vox ſive mandatum Dei primas tenet. Hæc enim vox φύσεως ἐστὶ ποιητική, ut loquitur *Baſilius.* Porrò creatio, de qua veteres loquũtur in ſacramento euchariſtiæ, nihil eſt aliud quàm conſecratio: ut patet ex illo Amalarii de eccleſ. offic. lib. 1. c. 2. *Cùm conſecratur oleum pro infirmo, concluditur, per quem hæc omnia (Domine) ſemper bona creas.* Itaque creatio illa eſt ſine tranſubſtantiatione. Vide tit. FACIO: ubi explicatur phraſis veterum ποιεῖν τὸ σῶμα τοῦ Χριστοῦ.

CREPUSCULUM. In hymno Gregorii Magni, *Splendor paternæ gloriæ*, crepuſculum ponitur pro tepore:

Lætus dies hic tranſeat,
Pudor ſit ut diluculum,
Fides velut meridies,
Crepuſculum mens neſciat.

Hîc pudor confertur cum aurora, quę à veteri poëta vocatur pudoricolor: fides cum meridie, propter fervorem: tepor cum crepuſculo, propter mixtionem, de qua *Apocal.* 3. *Neque frigidus es, neque fervidus.*

CRETHI & PLETHI. Variè exponunt hæc nomina: alii ut appellativa, alii ut propria. Qui putant eſſe appellativa, dicunt *Crethim* & *Plethim* fuiſſe aſſertores, id eſt defenſores & offenſores, qui adſtiterint regi, cuſtodientes corpus ejus, & ſubitas neceſſitates expedierint, donec ad ordinarios judices cauſarum cognitio devolveretur. Quidam etiam vertunt conſiliarios, qui haberent verba præciſa, & opera mirabilia. Nam כָּרַת eſt excidere: פָּלָא mirabile eſſe. Qui propria nomina eſſe volunt, *Crethim* putant fuiſſe coloniam Palæſtinorum in Judæa, ex qua David habuerit corporis ſui cuſtodes: & *Plethim*, præſidiarios milites apud Japhlethæos, *Ioſ.* 16. *v.* 3. De Crethim & Plethim vide 2. *Sam.* 8. *v.* 18. *Soph.* 2. *v.* 5. 1. *Sam.* 30. *v.* 14. *Ezech.* 25. *v.* 16.

CRUCIS SIGNUM. Vetus eccleſia & in vitæ communis uſu, & in ritibus ſacris multùm uſa eſt ſigno crucis: ſed ut pia ceremonia, quæ orationi adjecta, animos fidelium ad Chriſti crucem eveheret; non materiæ alicui terrenæ, aut figuræ, aut geſtui affigeret. Itaque non externo crucis ſigno vim & efficaciam adſcripſerunt, ſed hac ſolenni ceremonia, ſuam fiduciam in crucem Chriſti, hoc eſt, mortem ipſius, apud alios teſtari, & quodam quaſi monitorio fidem excitare voluerunt, quæ omnia bona confert, omniaque mala depellit. Deinde crux à veteribus non fuit adorata, ſed veneratio tantùm ei tributa fuit, id eſt, uſus cum reverẽtia. Hinc *Arnobius lib.* 8. Cruces nec colimus, nec optamus. Denique crux tranſiens, non verò permanens, id eſt, ex materia aliqua facta, primis tẽporibus in uſu duntaxat fuit.

CRUX.

Crux. De formâ crucis varia disputantur à *Iustino in Tryphone, Scaligero in Eusebianis animadvers. ad lit.* T. *&* Nicolao Fùllerio *lib.* 4. *miscell. sacror. c.* 12. Simplicissimum videtur illud *Irenai lib.* 2. *c* 42. Ipse habitus crucis fines & summitates habet quinque, duos in longitudine, & duos in latitudine, & unum in medio, ubi requiescit, qui clavis affigitur. *Scaliger* d. l. ait: Supplicio afficiendi, pede in suppedaneum posito, crucem ascendebant. Deinde pedibus insistentes suppedaneo, medio autem ligno inequitantes, brachiis passis cruci funibus astringebantur. Ita funibus constricti ad stipitem binis clavis pedes in suppedaneo, totidem ambæ manus in transversario ligno transfigebantur. Hîc quæri solet, An supplicium crucis veteribus Judæis fuerit in usu? Lipsius, Baronius, & alii ajunt: Casaubonus negat, & rectè. Nam crux fuit pœnæ genus Romanis peculiare, & quidem servile supplicium apud illos habitum. Sic forma supplicii, quo Christus fuit affectus, non à Judæis, sed à Pilato fuit ipsi irrogata. Et Rabbini rectè docent, quatuor pœnarum genera (ipsi vocant מִיתוֹת *mortes.*) fuisse ab antiquo tradita לְבֵית דִּין *domui iudicii*, id est, Concilio Sanhedrin: putà lapidationem, vivicomburium (ut appellat Tertullianus) occisionem per gladium, & strangulationem. Strangulatio fiebat per suspensionem de ligno, sed non de cruce, quam Judæi nullam habuerunt. Hæc itaque fuit pœna, quæ ignominiæ causa extincto irrogabatur, ut suspenderetur ab paucas horas, & soli, ut ait Philo, & oculis hominum exponeretur. Id Judæis erat quavis dira morte dirius, propter horribile carmen vocis divinæ, Maledictus qui pendet in ligno *Deut.* 21. *v.* 23. Et Christum factum esse κατάραν, *maledictionem*, quia pependerit in ligno, Paulus docet *Gal.* 3. *v.* 13.

Cultus rationalis. Ita Spiritus sanctus vocat cultum novi testamenti respectu veteris *Rom.* 12. 1. Confer 1. *Pet.* 2. 5. *Hebr.* 13. 15. Intellige cultum sacrificatorium veteris testamenti. Hic enim respectu cultus N. T. est veluti brutus sive irrationalis: nempe extra officium Christi. Neque enim externi sacrificiorum ritus potuerunt per se animam purgare, ut nugantur Rabbini: aut conjungere virtutes cum superioribus, ut iidem docent. Alius fuit sacrificiorum finis, hoc modo. Universus sacrificiorum cultus ad id principaliter fuit institutus, ut Deus Israëlis ritè & secundùm voluntatem suam coleretur, & mediantibus his ipsis sacrificiis, vel universo populo, vel privatis, qui illa offerebant, propitius redderetur: Deinde sacrificia ἱλαστικὰ populum manu duxerunt ad Messiæ sacrificium. Tertiò populus hoc pacto in officio suo fuit retentus. Postremò sacrificia cruenta admonuerunt populum mortis temporariæ & æternæ, quam peccatis suis promeruerant. De primo fine quæritur, Unde sacrificia vim suam principaliter habuerint? Judæi respondent, Ab intentione offerentis, seu à dispositione animi. Quod tolerari posset, si intentionem illam sive dispositionem animi dextrè explicarent ex psalmo nimirum quinquagesimo: ubi docetur, sacrificia fuisse signa & symbola fœderis gratuiti in Jesu Christo. Unde liquet, sacrificia vim suam principaliter non ab intentione offerentis, sed ex vi fœderis Dei per illius mediatorem habuisse. Ne-

que tamen interim negamus, Deum etiam habitum animi in ſacrificante reſpexiſſe, à quo videl. ſeriam pœnitentiam & veram ad Deum cōverſionem cum agnitione gratuitæ ejus miſericordiæ requirit. Ubi & hoc notandum eſt, ſacrificia non fuiſſe inanes typos ſacrificii Chriſti, qui illud tantùm hiſtoricè præfiguraverint. Nam inſuper repræſentarunt vim ejus effectivè. Nam hoc illud eſt, quod Moſes dicit, *Deum odoratum fuiſſe odorem placativum.* Quod profectò de nidore carnium aſſatarum intelligi nequit. Ex his patet, unde auguſta illa virtus & potentia ſacrificiorum pependerit, quorum cultus carni & ſangvini tum ſordidus apparet. Utut autem ſacrificia fuerint magnifica in relatione ad fœdus illiuſque mediatorem: univerſus tamen cultus illorum non fuit λογικὸς, ſed externus & pompoſus. Hîc obiter obſerva apud Mercurium Triſmegiſtum occurrere ſimiles phraſes. Dicit enim δέξαι λογικὰς θυσίας, *accepta rationales hoſtias,* & θεῷ πέμπω λογικὰς θυσίας, *Deo mitto rationales hoſtias*, ſerm. 13. Hîc annotat Caſaubonus, ipſum reſpicere verba Pauli *Rom.* 12. *v.* 1. παραστῆσαι τὴν λογικὴν λατρείαν ὑμῶν, *præbeatis rationalem cultum veſtrum.* Addit Caſaubonus: Illa etiam in XIII. πέμψον δεκτὴν θυσίαν θεῷ, è Paulo mutuatus eſt *Philipp* 4. *verſ.* 18. θυσίαν δεκτὴν, εὐάρεστον τῷ θεῷ, *hoſtium acceptam, gratam Deo.* Amat enim iſte planus, ſimul cum doctrina ſacra, verba quoque furari Scripturæ ſacræ. Ita Caſaubonus. Quid verò, ſi diceremus, Apoſtolum adhibuiſſe phraſes iſtas Gentibus uſitatas, & transtuliſſe ad religionem Chriſtianam? Certè videmus paſſim in N. T. occurrere Hebraiſmos, Atticiſmos, idiotiſmos LXX. Interpretum & Talmudiſtarum, denique vocabula quædam Latina. Quod hîc dico paucis, alibi pluribus à nobis eſt expoſitum in Lexico theologico.

CYRENIUS. *Luc.* 2. dicitur deſcriptio orbis Romani (ſic enim ibi accipitur οἰκουμένη.) facta ἡγεμονεύοντος τῆς Συρίας Κυρηνίου, *eo tempore, quo Cyrenius Syriæ præſidem agebat.* Cyrenius iſte eſt P. Sulpitius Quirinus, cujus apud Joſephum, Svetonium in Auguſto, Cornelium Tacitum, & in faſtis Romanorum paſſim fit mentio. At Chriſtus natus eſt ſub C. Sentio Saturnino Syriæ tum præſide. Quomodo itaque natus eſt ἡγεμονεύοντος Κυρηνίου? Reſp. Sentius Saturninus erat ordinarius ἡγεμὼν τῆς Συρίας, qui regebat provinciam, cùm Chriſtus naſceretur. At Cyrenius, ſeu Quirinus, erat ὑγεμὼν τῆς Συρίας extraordinarius: quippe miſſus ab Imperatore, non ad regendam provinciam, ſed ut cenſum ageret.

DÆMON. Sic dicitur quaſi δαήμων. Apud ethnicos eſt nomen Dei, & angeli tum boni, tum mali. At in libris canonicis & apocryphis δαιμόνιον ſemper de malo ſpiritu accipitur. Septuaginta interpretes etiam illud uſurpant pro אליל *idolo.* Pſal. 96. v. 5. Apud gentiles ſcriptores δαιμόνιον ſæpe eſt τὸ θεῖον, *divinum numen*; & δαιμόνιος, divinus, venerabilis, admirandus. Cur verò, inquiat aliquis, angeli mali appellantur dæmones à ſcientia; cùm revera ipſorum ſcientia ſit nulla, utpote confuſa? Reſp. Impuri ſpiritus multa ſciunt partim ex prima creatione, partim ex divina revelatione & experientia: etſi interim ſæpe falluntur & fallunt. at æmulantur divinitatem,

dum

dum furantur divinationem, ut ait *Tertullianus in apologet.* Zephyrus in apologet. Tertull. ait, dæmonia per divinationem à dæmone dici. Sed δαιμόνιον adjectivuum est: & inde substantivè numen. *Tertull. de anima* tradit, nullam penè animam sine dæmonio esse. *Metaphoricè* dæmonum mentio Spiritui sancto in materiâ de Antichristo præcipuè usitata est. *Tim.* 4. 1. *Apoc.* 9. 20. & 16. 14. & 18. 2. Quibus locis intelliguntur doctores superbi, crudeles, & impuri, quales hodiè sunt illi, qui principibus sunt à consiliis, & illis persuadent persecutionem ecclesiæ, & denique prohibent conjugium, cibos licitos, & similia, inque locum illorum substituunt impurum cœlibatum, discrimen ciborum, & alia. Vide etiam titulum שֵׁדִים. ubi proprietates immundorum spirituum recensentur, quæ omnes his doctoribus diabolicis egregiè cōpetunt. Cæterùm spiritus illi & doctores mali opponuntur istis, quos Daniel appellat מַשְׂכִּילִים. Cur verò, inquiat aliquis, mali Spiritus nomen habent à sciendo? Resp. Quia contenti sunt scientia rerum præclararum: quas ad praxin non transferunt. Quod scientiæ genus est omnium miserrimum. Hinc scientia nuda dicitur δαιμονιώδης, *dæmoniaca.*

Dagon. Fuit idolum Phœnicum, & Assyriorum, sicut Astarot, seu Astarta Sidoniorum. Dagon Græcis dicitur Δερκετὼ & Δερκῖλις, detorta voce à Syriaca Adardaga. Significatio est à pisce, qui Hebræis דָּג dicitur. Nam Venus piscis figura colebatur, nomine Dagon & Derceto, ut ait *Scaliger in Manil.* Itaque Astarta Sidoniorum, & Dagon Palæstinorum est unum idolum, nempe Venus: quæ dicta est Astarta à victimarum multitudine. Schindlerus *Dagon* derivat à דָּגָן *frumentum,* q. d. deus frumenti & aratri inventor, deus frumentarius, Jupiter aut Saturnus cum falce. Sed communis opinio est, fuisse Venerem, sculpi solitam supernè mulierem, infernè piscem: quia Veneris exaltatio est in piscibus, signo humifero, proximè accedente ad naturam Veneris; at illius ταπείνωμα est in Virgine, signo opposito & sterili. *Scaliger not. in frag. chronol.* ait: Dagon, ut Judæi etiam narrant, sculpebatur formâ piscis. Nos autem scimus τὴν Δερκετὼ (quæ Syris Asergata, unde locus in Syria Asergation 2. *Maccab.* 12. 26.) sculpi solitam supernè mulierem, infernè piscem.

Dalmata. Est vestis sacerdotalis candida, cum clavis purpureis: nomen sortita à Dalmatis, qui ea utebantur. Aliter dicitur *Dalmatica & Dalmasca.* Vide *Isidor. lib.* 19. *c.* 22. & *Dist.* 23. *c. omnis filius,* & 70. *dist. de jeiunio.*

Damascus. Hoc nomen quidam derivant à דָּם sangvis & שָׁק: quòd Abel ibi fuerit occisus à Caino.

Dan. Nomen *Danis,* & *Ephraim,* Spiritus sanctus *Apoc.* 7. in recensione tribuum Israëlis omittit: ut qui in utriusque historia typum agnoverit malitiæ & impietatis Antichristianæ, quatenus nempe eam per bina illa sua brachia, seculare & spirituale, exercet. Tribus Dan fecit initium publicæ defectionis *Iud.* 17. 18. occasione arrepta ex domo Michæ Ephraimitæ. Quò accedit, quòd Jeroboam, author defectionis & idololatriæ in Israële, fuit oriundus ex tribu Ephraim. Itaque prima germina Antichristi in Historia Michæ & Jeroboami describuntur, & ita describuntur, ut tribus Dan brachium sc. spirituale.

Ephraim seculare notet. Atque hæc est causa istius omissionis. Cur verò Levi & Joseph substituuntur Dani & Ephraimo? Resp. Levi erat ordinarius templi minister: Joseph fuit dux populi Dei in Ægypto, in qua Pharao gessit typum Antichristi. Quare sicut per rejectum Danem & Ephraimum intelliguntur illi, qui sub regno Antichristi pios vel sub fucatæ religionis specie, vel brachii secularis terrore tentant & persequuntur: ita per Levi intelliguntur electi, qui docendo, monendo, consolando succurrunt afflictis, per Josephum ii, qui prudentia, consiliis & armis protegunt ecclesiam. Patres quidam existimarunt, Danem ideò expunctum fuisse, quòd Antichristus ex hac tribu oriri debeat. Quam opinionem confirmant ex *Genes.* 49. 16. Verùm hæc sententia honestè sepeliatur.

Daniel. Non desunt, qui existimant, Danielem esse Belesin illum, cujus mentio fit apud *Diodorum Siculum lib.* 2. ita ut *Belesis* idem sit, quod *Belthasar*; quo nomine Daniel fuit appellatus *Dan.* 4. 38. Sanè nomen non malè quadrat, neque res ipsa refragatur: cùm Belesis Diodori appelletur princeps Chaldæus.

Decalogus. Vox hæc sumta est ex *Exod.* 34. *v.* 28. ubi præcepta in duabus tabulis signata dicuntur *οἱ δέκα λόγοι*: sicut & *Deut.* 18. *v.* 4. Inde est vox composita *Decalogus*, quæ plurimùm usurpatur genere masculino: etiam fœminino apud Philonem, Basilium, Gregorium, Cyrillum, & Clementem Alexandrinum, qui *lib.* 3. *pædag.* ait: ἔστιν ἡμῖν ἡ δεκάλογος ἡ διὰ Μωσέως. *Idem lib.* 6. *Stromatum* proponit diversas decalogos: putà cœli φυσικὴν δεκάλογον, quam dicit constare ex sole, luna, astris, nubibus, luce, spiritu, aqua, aëre, tenebris, & igne: item terræ φυσικὴν δεκάλογον, quam dicit constare ex hominibus, pecoribus, reptilibus, bestiis feris, piscibus, balenis, avibus carnivoris, avibus mitioribus, plantis fructiferis, & sterilibus. Itaque juxta Clementem Alexandrinum est δεκάλογος μωσαϊκὴ καὶ φυσική. Quare autem ἡ δεκάλογος? Tunc usurpatur quasi adjectivum, ut sit ἡ δεκάλογος νομοθεσία vel διάταξις. Sed videamus, quomodo veteres numeraverint præcepta decalogi. *Philo Iudæus libro de eo, quis rerum divinarum hæres sit, ita scribit*: τῶν μὲν οὖν πρὸς θεὸν δικαίων πρῶτός ἐστι θεσμὸς, ὁ ἐναντιούμενος τῇ πολυθέῳ δόξῃ, διδάσκων ὅτι μοναρχεῖται ὁ κόσμος. δεύτερος δὲ, περὶ τοῦ μὴ θεοπλαστεῖν τὰ μὴ αἴτια, γραφέων καὶ πλαστῶν ἐπιβούλοις τέχναις, ἃς Μωσῆς ἐξήλασε τῆς κατ' αὐτὸν πολιτείας, ἀΐδιον φυγὴν ἐπ' αὐτοῖς ψήφῳ ποιησάμενος, ἵν' ὁ μόνος καὶ πρὸς ἀλήθειαν τιμᾶται θεός. τρίτος δὲ, περὶ ὀνόματος κυρίου &c. hoc est, In divino jure prima lex opponitur opinioni plures deos credentium, docens nos mundum esse sub unius imperio. Secunda vetat, ne quis sibi deos alios faciat præter creatorem, deceptus pictorum fictorumque insidiosis artibus, quas Moses ejecit à sua repub. dãnatas exilio perpetuo, ut solus verè Deus colatur. Tertia est de nomine Dei &c. *Idem tom.* 2. *libro de decalogo*: Hactenus etiam de secundo præcepto, quantum potuimus: deinceps excutiamus tertium, hoc est, Non assumes nomen Dei in vanum. *Idem* ubique unum duntaxat præceptum de concupiscentia statuit. *Iosephus lib.* 3. *antiquit. Iud. ca.* 4. *præcepta decalogi hoc ordine enumerat*: Præcepta auté quæ Moyses duabus tabulis

lis inscripta reliquit, non est fas totidem verbis evulgare, sententias tantùm eorũdem indicabimus. Docet enim nos:

Primum præceptum, Deum esse unũ, & hunc solum colendum.

Secundum, Nullius animalis simulachrum adorandum.

Tertium, Non temerè jurandum.

Quartum, Septimi diei ferias nullo opere profanandas.

Quintum, Parentes honorandos.

Sextum, à cæde abstinendum.

Septimum, Non adulterandum.

Octavum, Non committendum furtum.

Nonum, Non deponendum falsum testimonium.

Decimum, Nihil alienum concupiscendum.

Origenes homilia 8. *in Exodum*: Si hæc (Non erunt tibi dii alii; &, Non facies tibi idolum) unum mandatum putentur, non completur decem præceptorum numerus: & ubi erit decalogi veritas? *Ideo affirmat d. l. secundum præceptum esse*, Ne fac idolum: *& illud tanquam secundum declarat. Clemens Alexandrinus lib.* 6. *Stromatum*: ὁ δὲ πέμπτος ἑξῆς ἐστι λόγος, περὶ τιμῆς πατρὸς καὶ μητρὸς, Quinta autem deinceps oratio (id est, quintum præceptum) est de honore patris & matris. *Idem ibidem*: δέκατος δέ ἐστιν ὁ περὶ ἐπιθυμιῶν ἁπασῶν λόγος, Decimum verò præceptum est de concupiscentiis omnibus. *Athanasius tom.* 2. *in synopsi S. Scripturæ, in synopsi Exodi*: Alterum (*præceptum.*) Non facies tibi ipsi simulachrum, neq; ullam similitudinem. Tertium, Non usurpabis nomen Dñi Dei tui in vanum &c. Quintum, Honora patrem tuum ac matrem tuam &c. Nonum, Non dices contra proximum falsum testimonium. Decimum, Non concupisces uxorem proximi tui, neque quidquam eorum, quæ sunt proximi tui. *Gregorius Nazianzenus in carminibus, decem præcepta expressit his octo hexametris:*

Οὐ γνώσῃ θεὸν ἄλλον· ἐπεὶ σέβας οἷον ἑνός γε.
Οὐ στήσεις ἴνδαλμα κενὸν καὶ ἄπνοον εἰκώ.
Οὔποτε μαψιδίως μνήσῃ μεγάλοιο θεοῖο.
Σάββατα πάντα φύλασσε μετάρσια καὶ σκιόεντα.
Ὄλβιος ἢν τοκέεσσι φέρῃς χάριν, ἣν ἐπέοικε.
Φεύγειν ἀνδροφόνου παλάμης ἄγος· ἀλλοτρίης τε
Εὐνῆς· κλεπτοσύνην τε κακόφρονα· μαρτυρίην τε
Ψευδῆ. ἀλλοτρίων τε πόθον σπινθῆρα μόροιο.

Id est:

Ne noveris Deum alium: quoniam cultus solius unius est.
Non statues simulachrum vanum, & spiritus expertem imaginem.
Ne unquam temerè memineris magni Dei.
Sabbata omnia serva sublimia & umbrosa.
Beatus, si parentibus retuleris gratiam, quam decet.
Fuge homicidæ manus scelus: alienique
Cubilis: furtumque malignum: & testimonium
Falsum: alienorumq; desiderium, scintillam mortis.

Chrysostomus homiliâ 49. *in Matth.* Legis iustitia prima & salutaris, decem habet mandata, quasi decem menses. Primum, cognoscere unum Deum: secundum, abstinere

ſtinere ab idolis: tertium, non pejerare: quartum colere ſabbatum ſpirituale: quintum honorare patrem & matrem: ſextum, non occidere: ſeptimum, non adulterare: octavum, non furtum facere: nonum, non falſum teſtimonium dicere: decimum, nullam rem proximi concupiſcere. *Heſychius in Levitic. cap. 26. Zonaras hiſtor. tom. 1. Cedrenus in compendio hiſtoriarum. Procopius: Nicephorus in hiſtoria eccleſiaſtica: Suidas in voce* πλαξὶ, eodem prorſus ordine & modo præcepta decalogi recitant. *Nicephorus Xantopulus* carmine iambico ſic complexus eſt:

Ὁ πλαξὶ γραφεὶς ἐν δέκα λόγοις νόμος.
Κύριος εἷς ἐστι ἰσραὴλ, θεὸς μόνος.
Εἴδωλον οὐδὲν ἐργάσῃ τὸ παράπαν.
Οὐκοῦν δὲ λήψῃ τοῦ θεοῦ κλῆσιν μάτην.
Μνεῖαν δὲ ποίει τῶν σαββάτων ἡμέρας.
Σὸν πατέρα τίμα τε καὶ τὴν μητέρα.
Ταῦτα μία πλάξ. ἡ δὲ θατέρα πάλιν.
Ἥκιστα μοιχίδιον ἐργάσῃ γάμον.
Ἀλλ᾽ οὐδὲ κλέψεις ἐμφανῶς, κεκρυμμένως.
Οὐδ᾽ ἂν φονεύσεις ἐκ θυμοῦ σου τὸν πέλας.
Ψευδῆ τε μακρὰν ἀπόθου μαρτυρίαν.
Μηδ᾽ ἀγαπήσεις εἴ τι τῷ πέλας φίλον.
Τούτου θεὸς χάραξεν ἐν πλαξὶ νόμους.

Id eſt.

Lex tabulis ſcripta decem verbis.
Dominus unus eſt, Iſrael, Deus ſolus.
Idolum nullum conficies omnino.
Neque ſumes nomen Dei in vanum.
Memoriam celebra diei ſabbatorum.
Patrem honora tuum atque matrem.
Hæc una tabula eſt: altera deinceps.
Minimè nuptias adulterio inquinato.
Sed neque fureris palam, aut clam.
Ne occidas excandeſcens irâ proximum tuum.
Falſumq; longè amove teſtimonium.
Neque concupiſces, ſi quid proximo charum.

Has tabulis inſculpſit leges DEUS.

Hieronymus in Epheſ. 6. ait de præcepto, Honora patrem tuum & matrem tuam: *quod mandatum in decalogo quintum eſt. Ambroſius ſuper idem cap. explicans illa verba Apoſtoli de quinto præcepto*, Quod eſt mandatum primum &c. Quomodo tamẽ hoc primum mandatum dixit? Cùm conſtet primum mandatum ita contineri: Non ſint tibi dii alii pręter me. Deinde: Non facies tibi ſimilitudinem ullam quæ ſunt in cœlo ſurſum, & in terra deorſum. Tertiũ: Non ſumes nomen Domini Dei tui in vanum. Quartũ: Obſervabis ſabbata mea. Quintum autem: Honora patrem & matrem &c. Sed quia prima quatuor mandata ad Deum pertinent, hęc in prima tabula cõtineri ſubintelliguntur. Cætera ad hominem, ut honoret parentes, non occidat, non fornicetur, non furetur, non falſum teſtimonium dicat, neq; quidquam proximi ſui concupiſcat. Hæc ſex mandata in ſecunda tabula videntur ſcripta: quorum primum eſt, Honora patrem & matrem. Hac cauſa ergo dixit, Quod eſt mandatũ primum in promiſſione, ut diſcerneret inter mandata quæ ad Deum, & inter ea quæ ad hominem pertinent. *Auguſtinus tom. 4. libro quaſtionum V. & N. T.* Non ſint tibi dii alii præter me. Primum verbum hoc eſt. Et ſubiecit ſecundum: Non facies tibi ullam ſimilitudinem eorum quę ſunt in cœlo ſurſum, & in terra deorſum, neque in aqua quæ eſt ſub terra. Deinde adiecit tertium: Non ſumes nomen Dei tui in vanum &c. Dehinc quarto loco dicit,

cit, Sabbatum Domini Dei tui servabis, & non facies in illo ullum opus servile. Hæc quatuor verba sunt de decem. Ista ad Deum propriè pertinent. Hæc sunt in prima tabula scripta. Deinde in secunda tabula hæc continentur: Primum verbũ est: Honora patrem tuum & matrem tuã. Secundum: Non occides. Tertium: Non fornicaberis. Quartum: Non furaberis. Quintum: Non dices falsum testimoniũ. Sextum: Non concupisces quidquam proximi tui. *Et paulò pòst:* Itaque habes & mandata distincta, & numerum eorum consummatum, & quæ, & quot in singulis tabulis scripta sunt. *Idem tom. 7. li. 3. contra duas epistolas Pelagii c. 4.* Ut uni de religionis obsequio serviatur, ut idolum nõ colatur, ut nomen Domini non accipiatur in vanum &c. *Rubertus Abbas Tuitiensis in cap. 20. Exod. & Sulpitius Severus lib. 1. sacræ historiæ, & Polydorus Vergilius libr. 5. de inventoribus rerum, cap. 9.* præcepta decalogi eodem modo & ordine recitant. Hîc tamen non est dissimulandũm, *Augustinum* alibi prohibitionem fabricationis idolorum ad primum præceptum referre, adeoque tria solùm primæ tabulæ præcepta constituere, sed nixum infirma admodum ratione, nimirum ut mysterium SS. Trinitatis adumbretur.

DECISUM. Hæc vox occurrit *Daniel. 9. 24. Septuaginta septimanæ decisæ sunt super populo tuo.* Hebraica vox נֶחְתַּךְ ex usu forensi petita, & huic argumento applicata est. Significat enim secundùm primam intentionem. *Decidere, in partes secare,* abhawen/zerhawen. Hinc eadem elegantia, qua Latinum *Decîdo*, ad animi verborumque decreta transfertur. Perperam itaque vulgatus vertit *Abbreviatæ sunt*: cùm hîc significetur præcisum illud divinæ providentiæ decretum de tempore adventus Messiæ & duratione politiæ Judaicæ, quod ante iacta mundi fundamenta in arcano consilio divinæ maiestatis decisum fuit: quod Apostolus *Hebr. 6. vers. 17.* appellat ἀμετάθετον τῆς βουλῆς. Hebræi dicunt נְאֻם יְיָ ῥῆμα θεοῦ, quod Deus dixit in se & fatus est: sicut scriptum est, *Dixit Dominus, & non pœnitebit eum.*

Δεκτὴ θυσία. *Accepta hostia.* Sic Paulus. *Phil. 4. vers. 18.* appellat opera charitatis erga proximum.

Δεῖπνον. Sacra cœna ab Apostolo 1. *Cor. vers. 20.* appellatur δεῖπνον κυριακόν. Vide COENA DOMINI. Dionysius Areopagita vocat eleganter τὸ θειότατον καὶ ἀρχισύμβολον δεῖπνον, *divinissimam, & principalissimam cœnam.* Nazianzenus, δεῖπνον μέγα, *cœnam magnã,* in Tragœdia, *Christus patiẽs.*

DESIDERATA. Usurpatur de sacra Domini cena; quòd à Catechumenis, multis votis, desideraretur. Usurpatur, inquam, de S. cœna antonomasticè. Nam in genere Catechumeni & Competẽtes fuerunt instituti desiderare tota cupiditate sacramentorum participationem. Quamobrẽ *Desiderata* est initiatio in Christianismo, id est, baptismus, & quodvis sacramentum, antonomasticè verò sacra eucharistia, teletarum teleta, & sacramentorum sacramentum, ut sunt verba *Casauboni exerc. 16.* Vide *Tertull. ad uxor. c. 4. & 6. August. ep. 102. Gregor. M. lib. 7. ep. 24.* Baptismo adiungebatur unctio, quam etiam sacramẽti nomine appellant Patres. Ergo etiam de hac verbum *desiderare* usurparunt.

DEMERITUM. Sic appellatur malum meritum. Eodem sensu dicitur *demeritorium.* Sic *Possevinus in bibliothecâ libro tertio, cap. 16.* opponit ista: Bonum, Rectum, Laudabile, Meritorium, Malũ, Obliquũ (i. e. pec-

(i.e., peccatũ.) Culpabile, Demeritoriũ. Quibus addit τὸ Indifferẽs. Dicit, priora quatuor respõdere quatuor causis: Bonũ materiali, Rectũ Finali, laudabile efficiẽti (homo enim ut habet liberum arbitriũ, ac gratiæ, peccatove assentitur, rem efficit laudabilem, aut vituperabilem.) Meritoriũ formali: gratia siquidem & charitas Dei forma est, qua fit, ut eiusmodi opus sit meritorium. Addit de meritorio, hinc potissimùm pendere vim actionum Christianarum, & ad conditiones actionum meritoriarum spectare, ut liberè fiant; ut ex seipsis bonæ sint, atque honestæ; ut ad bonum, ac justum finem referantur; ut præter hæc omnia insiti simus Christo, ac Deo reconciliati, spiritumq́, adoptionis acceperim⁹. Sic quidem Possevinus. Ubi tot errores, quot syllabæ, quantum attinet ea, quæ de meritorio disputat. Nam Scriptura nullum novit meritum, nisi Christi: & nullum demeritum, nisi hominis. Vide infra MERCES, MERERI, & MERITUM.

DEMINORATIO. Hæc vox occurrit in vulg. vers. *Eccles.* 22.3. *θυγάτηρ δὲ ἐπ' ἐλαττώσει γίγνεται*, *filia autem in deminoratione fiet*. Hoc vult dicere sapiens: filium indisciplinatum (*ἀπαίδευτον*) esse ignominiam patris: multò autem magis filiam *ἀπαίδευτον*. Vox ἐλάττωσις in loco de providentia Dei & miraculis opponitur voci βελτίωσις. Nam omnia Dei opera sunt aut βελτίωσις, aut ἐλάττωσις.

DENS PRO DENTE, OCULUS PRO OCULO. Proverbialis est locutio *Exod.* 21. 24. *Deut.* 19. 21. & proinde non est literaliter urgenda: quod etiam Talmudistæ agnoscunt, dum in *Parek Chobbel* hoc interpretantur de pretio satisfactionis sive restitutione damni secundùm magistratus æstimationem, vom Buß od Wehrgeld. Neque enim Moses his in locis præscribit privatis regulas pietatis erga Deum & proximum, sed in usum fori ad coercitionem malorum leges pro fortuitorum casuum circumstantiis instituit, quæ diligenter ab æterna illa iustitiæ divinæ norma, cuius specimen Deus in decalogo exhibuerat, distinguendæ sunt. Præterea nullum est dubium, quin hoc ipsum in pudendum abusum, ut ferè fieri consuevit, à duræ cervicis populo traductum fuerit: dum nimirum hypocritæ sub obtentu Mosaici præcepti odium, invidiã, vindictæ cupiditatem, & alia peccata, quæ dilectioni proximi è diametro repugnabant, conati sunt palliare. Christus itaque dum genuinis Dei filiis internam legis obedientiam commendare vult, per quam se Spiritui sancto ducendos & regendos permittant, hoc non immeritò reprehendit, indicans, iis, qui sub hac tribu censeri volunt, iniurias potiùs patienter ferendas, quàm acriter ferendas esse, nec omnium rerum, quæ fortè in foro politico tolerarentur, licentiam eis permissam esse. Christus itaque non impedit praxin legum politicarum in administratione iustitiæ, sed illarum abusum, & *μετάβασιν εἰς ἄλλο γένος*, quà leges forenses habentur pro moralibus.

DEPENDENTIA. Alia est ratione essentiæ, quomodo omnia dependent à Deo, qui est independens: alia ratione subsistentiæ, seu personæ, quomodo in SS. Filius dependet à Patre, Spiritus S. à Patre & Filio. Scholasticis appellatur *dependentia ratione termini*.

DESTRUCTIO MUNDI. *ἐκπύρωσις τοῦ κόσμου*. Hanc Iustinus Martyr, Hilarius & Ambrosius, non accidentalem, sed substantia-

ſtantialem fore arbitrãtur: ita ut ſit abolitio, ſeu ſpecies annihilationis, qua cœli aſpectabiles, igni conflagrantes, cum ſtridore ſunt præterituri, elementa æſtuantia diſſolvenda, terraque & quæ in ea ſunt opera exurenda. 2. *Petr.* 3. *verſ.* 7. & *ſeqq.* Sed videamus loca Patrum, quorum modò meminimus. *Iuſtinus Martyr reſponſione ad quæſtionem* 94. ſic ait: Inductione melioris cœli recens facti, firmamentum tolli neceſſe eſt, tanquam id, quod ad conſtitutionem illam nulli rei ſit & uſui. *Et in reſponſione ad quæſtionem* 95. Si iuxta Apoſtolum Paulum præterit habitus huius mundi; certum eſt, ſimul neceſſariò alia omnia, quæ propter habitum mundi ſunt effecta, cum mundi habitu eſſe præteritura. Inducetur autem cœlum novum, & terra nova. *Hilarius commentario in Matth. canone* 26. Atque ut fides certa eſſet futurorum, Amen dicendo, profeſſionem veritatis adiecit, generationem noſtram præterire non poſſe, niſi univerſa iſta tranſcurrerent, eaque quæ firma exiſtimantur, cœlum & terram non futura; verba autem ſua non poſſe non eſſe: quia illa ex conditione creationis ſuæ, id eſt, profecta de nihilo, habeant id in ſe neceſſitatis, ut non ſint; hæc autem ex æternitate deducta, id in ſe contineant virtutis ut maneant. *Ambroſius libro primo, hexaem. capite ſexto. ex Pſalm.* 102. *verſ.* 27. & *Matth.* 5. *verſ.* 18. refutat eos, qui cœli perpetuitatem aſſerunt. Hanc ſententiam tuetur *Theodorus Beza ſuper Rom.* 8. his verbis: Vanitati, ματαιότητι, id eſt, illi per ignem diſſolutioni, quæ annihilationis erit ſpecies, ſicut apertè & copioſè deſcribitur 2. *Petr.* 3. *verſ.* 7. 10. 11. 12. Promittuntur enim novi cœli, & nova terra, non priorum reſtitutio, ſive in eundem, ſive in meliorem ſtatum. Nec iis poſſum aſſentiri, qui hanc diſſolutionem ad ſolas qualitates referendam cenſent. Cæterùm *Ambroſius* alibi contrarium aſſerit his verbis: Quia finiri mundum dixit, oſtendit figuram eius præterire, & hunc eſſe finem, id eſt, non ſubſtantiam eius præterire, ſed formã. Sic & *Haymo*: Tranſibit figura & ſpecies mundi per ignem, remanebit ſubſtantia renovata per ignem & meliorata, ad hoc ut æternùm maneat. Vide *Auguſtinum libro* 20. *de civitat. Dei cap.* 24. Hîc obiter obſerva, Apoſtolum 1. *Corinth.* 7. *v.* 31. per σχῆμα, ſive figuram huius mundi intelligere externam formam, per quam nunc nobis miniſtrat & commodat. Eam dicit παράγειν, *præterire*, hoc eſt, evaneſcere & perire nobis: quatenus nos brevi ex hoc mundo auferemur, neque voluptatib. illius ſemper frui poſſumus. Nimirum facies huius mundi παροδεύει, paſſirt hinweg, paſſibus velut ſuis, ut in viâ, tranſit.

Deus. Uſurpatur hoc nomen in Scripturis dupliciter: vel ὄντως, *verè*, vel καταχρηστικῶς, *abuſivè*. Priori modo uſurpatur vel οὐσιωδῶς, cùm communiter, ſine determinatione perſonarum divinarum accipitur, ut *Deus eſt ſpiritus* Joh. 4. 24. vel ὑποστατικῶς, cùm certæ perſonæ ſubiectivè tribuitur, ut Patri *Rom.* 7. 25. *c.* 8. 3. Filio 1. *Tim.* 3. 16. & Spiritui ſancto *Act.* 5. 5. Maximè autem Patri appropriatur: tum propter ordinem, qui eſt in perſonis: tum propter œconomiam & diſpoſitionem ad myſterium ſalutis noſtræ procurandum factam. Καταχρηστικῶς, ſive ἀκύρως, *impropriè*, tribuitur creaturis: & quidem vel κοινωνητῶς καὶ ἀναλογικῶς, communicatione cum angelis & hominibus, in quibus aliquid Dei reſplendet: vel δοξα-

στικῶς, ut falsis diis & diabolo. Quo fit ut nomen Dei, quod aliàs est proprium, fiat commune & appellativum. Quare ut De⁹ se ab omnibus disiungeret, appellavit se Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi: Deũ Deorum: Deum verum & vivum &c.

Deum fieri. Pythagorei primò, deinde Platonici, multa disseruerunt de supremo hominis bono, quod statuebant in eo esse, ut Deo similis evaderet, ac tandem etiam Deus. Quare etiam aureum, quod vocant, Pythagoræ carmen ita desinit:

Ἢν δ' ἀπολείψας σῶμα ἐς αἰθέρ' ἐλεύθερον ἔλθῃς,
Ἔσσεαι ἀθάνατος θεὸς, ἄμβροτος, οὐκέτι θνητός,

hoc est, *Si verò relicto corpore in æthera liberum perveneris, eris immortalis Deus, immortalis*, inquam, *non ampliùs mortalis.* Atque hic etiam finis fuit teletarum paganicarum. Sed philosophi quidem ex primævæ lucis reliquiis, balbutire de istis aliquid fortasse potuerunt: certi verò aliquid pronuntiare, aut viam indicare eò perveniendi, non potuerunt. Sacræ literę utrumque abundè præstant. Docet enim, Christum, verum Deum, factum esse hominem, ut fiam⁹ θείας κοινωνοὶ φύσεως, *divinæ consortes naturæ*, ut loquitur Petrus *epist. 2. capite primo, vers.* 4. sive, ut Johannes ait ab initio Evangelii sui, *ut nancisceremur potestatem filios Dei fieri*, hoc est, deos. Nam quis nisi Deus, potest esse filius Dei? Itaque passim apud Patres legas, electos in futura vita futuros deos: non, ut veteres quidam hæretici, & Patrum nostrorum memoria Servetus, κατὰ μέθεξιν οὐσίας, participatione substantiæ, & ipsius deitatis, sed quo sensu modò diximus ex Petro, fore consortes divinæ naturæ: quatenus videl. συμβασιλεύσομεν, *regnabimus cum Deo*, ut Paulus ait 1. *Corinth.* 4. *vers.* 8. Cæterùm hæc ἀποθέωσις, *deificatio*, ut ita dicam, incipit in hac vita. Nam ita est, ut ait *Athanasius*: Quemadmodũ Dominus corpore induto factus est homo: ita nos homines ab ipso Verbo divini efficimur, assumti per carnem eius, & de cætero vitę æternæ hæreditatem adimus. Porrò media, per quæ simus dii, ut persequar phrasin, sunt duorum generum: alia Deus porrigit nobis, verbum suum nempe & sacramenta; alia nos adhibemus, sed gratis ab ipso accepta, fidem videl. & sanctam vitam. Quod attinet ad sacramenta, baptismi operatio propria est ἀναγέννησις, sive παλιγγενεσία, *regeneratio*: q̃a per salutaris baptismi aquam Adamo veteri morimur, novusque homo in nobis formatur, atque adeò ipsi creatura nova evadimus, ut loquitur Apostolus *Gal. 6. v.* 15. qui etiam hanc mutationem, quæ per baptismum in nobis fit, μεταμόρφωσιν nominat, *Roman.* 12. *vers.* 2. Patres verò μεταποίησιν, μετάπλασιν, μεταστοιχείωσιν, hoc est, *transformationem*, *instaurationem*, *transfigurationem*, *renovationem*, & similibus aliis nominibus. Huc pertinet, quod Dionysius tractatu de baptismo, baptismum vocat θεογενεσίαν: quia renati sacro lavacro dii fiunt. Eucharistiæ propria operatio est cõmunio corporis & sanguinis Christi. Nam ut per lavacrum regenerationis nascimur Christo: ita per manducationem mysticam magis magisque unimur Christo, & simus caro de carne eius, & ossa de ossibus eius, ut Paulus ait. Ideò *Hilarius* rectè ait de pane & vino, Hæc accepta, & hausta faciunt, ut & Christus

Christus in nobis, & nos in Christo simus. De omnibus sacramentis ita pronuntat *Dionysius hierarch. eccles. cap. 3.* ἑκάστην ἱεροτελεστικὴν πραγματείαν κατὰ τὰς μεριστὰς ἡμῶν ζωὰς εἰς ἑνοειδῆ θέωσιν συνάγειν, καὶ τῇ τῶν διαιρετῶν θεοειδεῖ συμπτύξει τὴν πρὸς τὸ ἓν κοινωνίαν καὶ ἕνωσιν δωρεῖν, hoc est, *uniuscuiusque sacræ initiationis operationem* (id est, unumquodque sacramētum) *vitas nostras divisas* (i.e. diversis passionibus ac vitiis obnoxias) *ad deificationem reducere, per quam Vni aßimilamur; & rerum divisarum ad unitatem Deo convenientem contractione, communionem atque unionem nobis largiri cum Vno*, id est, Deo.

DEUTERONOMIUM. Dicitur etiam δευτερόνομος, δευτέρωσις, & plurali numero δευτερώσεις q. d. iterationem legis. Hebraicè *Mischneh Torah*: quæ voces occurrunt *Deuter. 17. v. 18.* ubi LXX. verterunt δευτερονόμιον. Ibi autem intelligitur tota lex Mosis, quam iubetur rex sibi describere, tanquam normam vitæ & gubernationis suæ. Primò itaque Deuteronomium significat legem Mosis. Deinde significat decalogum *Ios. 8. v. 32.* ubi Josua dicitur lapidibus inscripsisse Deuteronomion, id est, decalogum. Denique usitatè hoc nomine appellat' quint⁹ liber Mosis.

Δευτερόπρωτος. Sabbatum deuteroproton *Luc. 6. v. 1.* est id, quod proximè sequitur post solenne Paschatis. Nam ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα iubet lex septem hebdomadas putare *Levit. 23. v. 15.* Δευτέρα autem τοῦ πάσχα est secūdus dies paschatis. Itaque hebdomades omnes, & omnia Sabbata à paschate ad pentecosten sumunt appellationem suam ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχατος: ut δευτερόπρωτος ἑβδομὰς est πρώτη ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα· δευτεροδεύτερος vel δευτεροδευτέρα ἑβδομὰς, δευτέρα ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα. Sic δευτερότριτος, δευτεροτέταρτος &c. *Scalig. lib. 6. de emend. temp. & in canonib. chronol. Casaub. exerc. 14. ad annal. Baronii. nu. 1.* Summa hæc est. Nomen δευτερόπρωτον non est compositum ex δεύτερον & πρῶτον, sed ex δευτέρα & πρῶτον; ut sit secundo-primū Sabbatum, quod secūdam Paschatis proximè sit secutum. Certum atque indubitatum huius expositionis fundamentum est in verbis Mosis, *Levit. 23. v. 15.* ubi Domin⁹ iubet numerare septem hebdomadas Pentecostæ à postero die Sabbati, h. e. ἀπὸ δευτέρας τοῦ πάσχα. Nam quia iubentur numerare hebdomades ad pentecosten, non ab ipso die paschatis, sed à proximè sequente: mirū non est, Sabbata omnia à paschate ad pentecosten appellationem sumsisse ἀπὸ τῆς δευτέρας τοῦ πάσχατος. Δεύτεροι προεστῶτες. *Secūdi præfecti.* Sic apud Basilium appellantur vicarii, quos habebant monachi in cœnobiis. Causam instituti adfert Basil. *Asceticorum q. 45.* ne contingat cessatione τοῦ προεστῶτος, *præfecti*, δημοκρατικόν τι σχῆμα μεταλαμβάνειν τὴν ἀδελφότητα, ut cœtus fratrum mutetur in formam aliquā democraticam: quod in omnib⁹ sacris functionibus studiosissimè semp vitavit ecclesia.

DIACONUS. Invenitur etiam διάκων ωνος, & sic Latinè *diacon, diacónis*. In N. T. sic dicitur, qui pauperum curam gerit, & eis subministrat necessaria ex collectis ecclesiæ. *Act. 6.* Apud ecclesiæ doctores diaconus est in ordine clericorū. *in Can. dist. 25.* Erant Constantinopoli duo diaconorū ordines, unus maiorū, qui ἀρχοντικοὶ (taliter ἐξωκατάκοιλοι.) alter minorum, qui κοινοί. *Diaconissa* & fœmina pauperum curam gerēs. *Diaconicum*, ꝙ ad diaconū ptinet, item cōclave diaconorū,

quod & διακονεῖον. Διακονίκιον, *diaconatus*; diaconi munus.

Διάκονοι καινῆς διαθήκης, *Ministri N. Testamenti.* Sic Paulus 2. *Cor.* 3. 6. appellat ministros verbi & sacramentorum in N. T. In liturgia Basilii sic vocantur qui ministrant S. Cœnam.

Διασπορά. Duplex est διασπορὰ τῶν Ἰουδαίων, *dispersio Iudaeorum.* Sunt enim Judaei τῆς πάλαι διασπορᾶς, id est, antiqui dispersus: & τῆς ὑστέρας διασπορᾶς, id est, posterioris dispersus. Illi à Salmanassere sunt hincinde transportati, & velut disseminati: hi fuerunt Hierosolymis superstites, & per omnes mundi plagas per Romanos sunt divisi.

Dico. Aliquis aliquid dicit vel intra se, vel extra se. Intra se: ut cùm homo cogitat, decernit. Extra se: ut cũ homo loquitur, iubet, praecipit. Utroque modo DEVS in Scripturis legitur dicere. Primò enim est נאם כבר ῥῆμα θεοῦ, quod Deus in se dixit & fatus est ab aeterno, τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς *Hebr.* 6. 17. Deinde Deus in prima creatione dixit, *Esto lux* &c. *Gen.* 1. & saepe dixit ad Adamum, Abrahamum, Mosen &c. De priori modo accipe illud Philonis, τὰ θεοῦ ῥήματα τὰ ἔργα.

Didascalus. Quatuor erant illo nomine insignes in Ecclesia Constantinopolitana, unus Evangelistas, alter Apostolos, tertius Psalmos docebat: quartus οἰκουμενικὸς dicebatur. q. d. generalis. *Didascalicus* est ὁ δυνάμενος διδάσκειν. Sic Psalmi, qui inscribuntur מַשְׂכִּילִים (ut inter alios est Psal. 32.) à Junio vertuntur *didascalici:* q. d. gnomas, quae aptae sunt ad nos erudiendos.

Dies. Dies naturalis propriè est illud tempus, quo sol nobis lucet. *Genes.* 1. Itaque dies civilis seu artificialis est νυχθήμερον, seu, ut loquitur Basilius, ἡμερονύκτιον, ut, cum dicimus, aliquem vixisse dies 30. Tunc enim etiam noctes intelligimus. *Isidorus libro tertio cap.* 50. Ita lato sensu dies noctem sub se complectitur. *Author concordantiarum Bibl. vulg. vers* hanc in sententiam ait: Dies artificialis est spatiũ illud horarum à recedente nocte ad accedentem: Naturalis spatium 24. horarum, quo sol prorsus circumvolvitur circa terram.

Dies anniversarius. In Ecclesia dies facti sunt anniversarii. Sunt autem ii alii legitimi, ut Natalis Domini, Festum circumcisionis, Pentecostes, Trinitatis: vel illegitimi, ut Vigiliae Sanctorum, festi dies Sanctorum, dies passionis Martyrum, festum assumtionis Mariae, festum exaltationis crucis, & similia festa, quorum alia primò fuerunt instituta ad cultũ Dei, sed postea in idololatriam sunt versa: alia sunt planè incerta, aut etiam fabulosa, ut festum assumtionis Mariae, conceptionis Mariae sine peccato, exaltationis crucis &c.

Dies dominicus. Sic appellatur dies primus hebdomadae, à Christo Domino, qui eo die resurrexit à mortuis. Eam enim ob causam ab Ecclesiae Apostolicae initio hic dies religioni est consecratus. *Ignatius epist. ad Trallianum* insignibus elogiis ornat hunc diem: τῇ κυριακῇ ἀναστασίμου βασιλίδι, καὶ ὑπάτῳ πασῶν ἡμερῶν. Dicitur etiam ἡμέρα κυριώνυμος: eadem de causa; quia videlicet in ea resurrectionis Domini nostri gaudium celebratur, ut ait *Isidorus libro sexto, capite decimo octavo.* Porrò dies Dominicus est iuris divini 1. *Cor.* 16. *Apoc.* 1. *Augustin. epist.* 86. *ad Casulan. Isidor. l.* 1. *c.* 24.

DIES

Dies Innocentum. Veteres ſacratum literarum conſulti appellant *innocentes*, illos infantes, quos Herodes jugulavit *Matth.* 2. Nihil enim tale erant meriti: ſed ex mera crudelitate tyranni vita ipſis fuit erepta propter Chriſtum, quem beſtia illa hoc dolo interficere cogitabat. Itaque dies, qui memoriæ iſtorum infantum deſtinatus eſt, *Innocentum* dicitur. Canitur iſto die hymnus Prudentii

Audit tyrannus anxius.

Dies in officia ecclesiastica divisus. *Die Dominico* canebantur hymni 1. ad matutinũ. 2. diluculo ad laudes. 3. ad primam, ſeu orta die. 4. ad tertiam. 5. ad ſextam, ſeu meridie. 6. ad nonam, ſeu poſt meridiem, inclinante die. 7. ad veſperas. *Feria ſecunda*: 1. ad matutinum. 2. ad laudes. 3. ad veſperas. Similiter *feria tertia, quarta, quinta, &* *ſabbato*. Exempla vide in Breviario Chriſtiano Siberi. Sabbato tamen peculiariter etiam canebatur hymnus ad Completorium.

Dies magnus Dei. Significat primò ſupremum mundi diem: deinde diem illum vindictæ, quem Dominus apud Sophoniam *cap.* 3. 8. vocat יום קוםי *diem, quo conſurrecturus ſum*: Atque hoc etiam modo intelligendum eſt illud *Apoc.* 16. *Vt congregent eos in prælium magni illius diei Dei omnipotentis.* Cur verò dies ille appellatur magnus? Reſp. 1. Propter calamitatum magnitudinem, quarum tempeſtas, exſiccato Euphrate, univerſum orbem corripiet. *Apoc.* 19. 17. 18. 2. quia illo ipſo die judicium meretricis illius magnæ, ejuſdemque finalis damnatio, peragetur. Quod opus cùm Deus ſuæ omnipotentiæ extra ordinem reſervavit, dies ejus non immeritò dies ille magnus Dei vocatur. Perficietur autem illud eo tempore, quando mundo univerſo impoſſibile, ipſi verò beſtiæ ridiculum videbitur. *Apoc.* 18. 7.

Digamus. Dicitur etiam *Bigamus*: quod Latinè interpretantur *bimaritum*, & *bivirum*. Sua natura vox eſt generalis, & ſignificat eum, qui vel diverſis temporibus habuit, vel uno tempore habet, duas uxores. De fœmina bigama idem judicium. Itaque digamus eſt ſine crimine, qui diverſis temporibus & ſucceſſivè duas legitimas uxores habuit. Sed alio infami ſignificatu, digamus vocatur, qui eodem tempore duas habet uxores: ſicut in genere *πολύγαμος*, qui eodem tempore plures: atque ita opponitur ei, qui dicitur *μονόγαμος*. Quæritur hîc, utri digami veteribus canonibus arceantur à miniſterio, & quorum etiam nuptiis nolint benedici? Reſp. Illi, qui, vel conſtãte priore matrimonio, vel ejecta priore uxore, alteram ſuperinducunt. 1. *Tim.* 5. *v.* 9. *Canon. apoſt.* 17. *&* 18. VVhitakerus de conciliis quæſt. 6. ſic ait: Per *διγάμους* verò intelligi eos, qui ſecundas nuptias contraxerunt, ex Concilio Nicæno patet, canone 8. ubi Cathari jubentur *κοινωνεῖν τοῖς διγάμοις*, *communionem habere cum bigamis.* Nolebat concilium proculdubio eos communionem habere cum illis, qui vivis adhuc uxoribus ſuis, alias duxerunt.

Διακαινίσιμος ἑβδομὰς. In eccleſia Cõſtantinopolitana ſic appellatur ſeptimana, quæ paſcha ſequitur *Alexand. monachus de invent. S. crucis* de Conſtantino ait: *τρίτον νόμον ἔγραψεν, ἀπράκτους εἶναι, τήν τε σωτηρίου πάθους ἑβδομάδα, καὶ τὴν τῆς διακαινισίμου*, id eſt, *tertiam legem ſcripſit,*

ut immunes essent ab opere faciendo hebdomada salutaris paßionis (id est, antecedens: pascha.) *& hebdomada renovationis*, id est, sequens pascha. Causa appellationis est à renovatione. Διακαινίζειν est renovare. Itaque ἑβδομὰς διακαινισμοῦ est septimana renovationi destinata. Proculdubio veteres respexerunt illud apostoli *Rom. 6. v.4. Quomodo Christus surrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulemus*. Voluerunt itaque hac septimana seipsos excitare ad meditationem & imitationem resurrectionis Christi, quæ est argumentum & exemplar resurrectionis nostræ à peccatis. Hæc etiam causa est, quod eam septimanam *Cantacuzenus lib.1. c.18.* vocat νέαν ἑβδομάδα. Ejus Dominica eandem ob causam dicebatur καινὴ, & νέα: item ἀντιπάσχα.

DIVINA LIBERALITAS. *Tertullianus lib.1. ad uxorem* distinguit inter gratiam & virtutem; inter ea quæ sunt divinæ liberalitatis, & ea quæ sunt nostræ operationis; inter ea quæ à Domino indulgentur ejusque gratia gubernãtur, & ea quæ ab homine captantur, ejusque studio perpetrantur. Sic, inquam, distinguit Tertullianus. Quæ quidem distinctio veri sensus & sanæ interpretationis capax est, & ad utramque partem disceptari, nec non cum distinctione gratiæ gratum facientis & gratiæ gratis datæ comparari potest.

DIVUS. Ethnici suos deos vocabant divos: videl. divos ex hominibus factos. Usitatum etiam est inter Christianos scriptores, ut apostolos & Patres appellent divos, putà divum Paulum, divum Chrysostomum. Sed hæc consuetudo meritò improbatur. Rectè itaque *Bellarminus in Recognitione suorum librorum*: Ego, *inquit*, nunquam probavi vocem, *Divus*, vel *Diva*; cùm de sanctis agitur, tum quòd eam vocem apud Latinos veteres Patres non inveniam, tum quòd apud ethnicos *Divi* nomen diis tantùm tribui soleat. Itaque ubicunque in libris meis lector inveniet, *Divum*, sciat, vel mihi imprudenter excidisse, vel quod sæpiùs accidit, me scripsisse, *Beatum*: sed typographi, ubi legerunt B. quod beatum significat, illud in D. mutarunt, & sic ex Beato Divum effecerunt. *Sic Bellarminus.* Quæ quidem observatio non est de nihilo. Itaque pro D. Augustino, & similibus, dicamus S. aut B. id est, Sanctum aut Beatum.

DOMINICUM. Significat duo. 1. templum; ut in illo *Concilii Neocaes. Can. 5.* Catechumenus ingrediens Dominicum &c. Locum integrum vide infra titul. ECCLESIA, cis finem. *Hieronymus in Esa. 42.* de ecclesia Christi loquens, ait: Nequaquã vocabitur Hierusalem & Sion, sed novum nomen accipiet, quod ei Dominus imposuerit. *Et mox*: Quod vocabulum à nomine Domini derivavit, ut dicatur Dominicum. Sensus est: Ecclesiam N.T. appellandam esse *Dominicum*, tanquam opus manuum Domini. Deinde hæc vox significat sacram cœnam: ut, *dominicum celebrare*, κυριακὸν τελεῖν, est sacram cœnam celebrare. Phrasis hæc sæpe occurrit in Actis Martyrum. Itaque κυριακὸν absolutè dicitur pro κυριακὸν δεῖπνον.

DOMINUS. Hoc nomine appellatur Deus, qui est Dominus noster jure creationis & conservationis: item Christus, qui est Dominus noster jure redemtionis. Qua de re insignis est locus *Dan. 9. 17. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem servi*

servi tui & deprecationes eius, & lucere fac faciem tuam super tuum desolatum sanctuarium: Idque propter Dominum. Hunc locum Rabbini non uno modo pervertunt. Et *primò* quidem R. Saadjah per Dominum intelligit Abrahamum, ridiculè sanè. *Deinde* R. Moses ita vertit: *Propter te, Domine.* Et hæc hodiè est communis opinio scholæ Rabbinicæ, quam post Græcum etiam vulgata versio & Vatablus sequuntur. Sed huic glossæ obstat, quòd propheta statum orationis ita mutat, ut in priori versus membro Deum directè, in secunda nimirum persona, compellet, & hanc deinceps locutionis formulam in ultima clausula in tertiam personam mutet. Quod citra affectatam textus obscurationem facere non potuit, siquidem circa unum idemque objectum perseverabat. Quò pertinet, quòd hæc clausula per accentum Athnach à præcedentis coli complexo quasi resecatur, ut hic Dominus, quem tanquam sequestrum appellat, ab illo Domino distinguatur, ad quem propheta preces suas direxit. *Tertiò* R. Aben Esra clausulam istam sic exponit: Propter hoc ipsum nomen, quo te compellamus, & per quod officii tui admoneris. Sed & hæc glossa vim facit textum. *Quartò* sunt, qui sic interpretantur: Lucere fac faciem tuam super sanctuario tuo, quod desolatum est propter Dominum, h.e. odio nominis Dei. Sed hanc opinionem refutat accentus Athnach: ut nihil dicam de eo, quòd propheta alleget caussam, non propter quam templum est destructum, sed propter quam se exaudiri postulat. Relinquitur itaq; hanc clausulam de Messia esse accipiendam. Confer 2. *Tim.* 1. 18. *Det ei Dominus, ut inveniat misericordiam apud Dominum in die illo.* Qui locus planè geminus est illi apud Danielem, propter reflexam usurpationem vocis *Dominus* inter Patrem & Filium. Vide quoque hanc in sententiam. 1. *Thess.* 3.11.12. Porrò de voce *Dominus* sic adnotat author Concordantiarum Bibl. vulg. edit. Dominus, Jehova, Jehova Elohim, Adonai: *Iehova* essentiam, *Elohim* personas, *Adonai* dominationem Dei respiciens. *Et rursus:* Dominus, Pater, Filius, Spiritus sanctus, frequentissimè *Iehova*, aliquoties *Elohim*, apud vulgatum interpretem, rariùs *Adonai* nomine exprimitur. *Ibidem*: Dominus de personis in Deo etiam distinctè dicitur. Sic Pater appellatur Dominus *Deut.* 18. *vers.* 15. Filius, *Genes.* 18. *vers.* 1. 3. 13. *& sæpiùs in illo capite.* Spiritus sanctus 1. *Cor.* 12. *v.* 5. *Psal.* 94. *v.* 7. Denique hac voce conjunctim denotantur Pater & Filius *Gen.* 1. *v.* 2. *Iudic.* 15. *v.* 14.

Domus. In Concordantiis, quas modò citavimus, sic adnotatur: Domus significat 1. ædes pauperum, divitum, principum. 2. familiam, & quæcunque sunt in domo. 3. populum, ut domus Israel populum Israeliticum denotat. 4. tribum, & partem populi, ut domus Aharon, pro tribu Levitica. 5. varia loca.

Donativum. Est donum, quod ab Imperatore datur militibus. Augustinus sic vocat vitam æternam, his verbis:

Fac consortem donativi
Beatorum civium.

Donec. Hæc particula, ut & *usque*, primò denotat certam loci vel temporis circumscriptionem, ut *Psal.* 110. *v.* 1. Sede ad dextram meam, donec posuero inimicos tuos scabellũ pedum tuorũ: item *Gen.* 49. *v.* 10. *Mat.* 2. *v.* 13. 15. *&* 17. *Gen.* 27. *v.* 44.

Ita

Ita dicimus usque ad dies Noe, usque ad forum Appii. Deinde aliquid indefinitum significat: ut *Gen.* 28. *v.* 15. Non deseram te (*ait Deus Iacobo.*) usque dum perfecero, quæ locutus sum tibi. Ita 2. *Sam.* 6.*v.ult.* Non fuit illi proles in diem usque mortis. Posterior hæc significatio locum habet in illo *Matth.* 1. *v.* 25. *Non cognovit eam, donec peperisset filium suum primogenitum.* Epiphanius tamen aliter hunc locum interpretatur: Non noverat, quòd tali gloria honorandus esset aliquis in terra, maximè mulier. Non igitur cognovit ipsam, donec vidit miraculum: non cognovit miraculum, donec vidit genitum ex ipsa. Et hunc sequitur *Gualtherus homil.* 8. *in Matth.* Verùm congressus mariti cum uxore significatur verbo γινώσκειν, ut ex contextu patet. Nec tamen inde colligetur, quod Antidicomarianitæ volunt: quia particula, donec, sumi debet pro exigentia loci & subjectæ materiæ.

Δῶρα. In liturgiis antiquis & apud Patres τὰ δῶρα, *dona*, & τὰ ἅγια δῶρα, *sacra dona*, appellantur oblationes panis & vini, ante communionem in ecclesia veteri offerri solitæ. Erat enim moris primitùs, Justino teste & aliis, ut ex his oblationibus sumeretur ad consecrationem in usum Eucharistiæ, quantum sufficeret. Appellantur etiam τὰ προκείμενα δῶρα, *proposita dona*. Propterea his nominibus ipsum corpus Christi mysticum significatur, vel propter jam factam consecrationem, vel propter futuram. Nam in Liturgia Chrysostomi nondum facta erat consecratio, cùm ait sacerdos in prece mystica: ἀξίωσον προσενεχθῆναί σοι ὑπ' ἐμοῦ, τοῦ ἁμαρτωλοῦ καὶ ἀναξίου δούλου σου, τὰ δῶρα ταῦτα, *Da ut à me peccatore & indigno servo tuo, hæc dona tibi offerantur.* Et mox: σὺ γὰρ εἶ ὁ προσφέρων, καὶ ὁ προσφερόμενος, *tu enim* (Christe) *idem es qui offers, & qui offerris.* Sic μεταλαμβάνειν τῶν ἁγίων δώρων, *participare sacra dona*, est participare sacræ cœnæ. Hinc *Balsamon* ad canonem 19. concilii Carthaginensis: δίδοται ἡ εὐχαριστία, ἤγουν τὰ ἅγια δῶρα, *datur eucharistia, seu sacra dona.* Hîc observa, Græcos duabus mensis fuisse usos ad celebrationem eucharistiæ: una, in qua primò panis & vinum apponebantur, & præparabantur ad futuram consecrationem: alteram, in qua consecrabantur. Ibi apposita dicebantur δῶρα, & τὰ προκείμενα δῶρα: hîc τὰ ἅγια δῶρα.

Δῶρον. Significat apud Patres vel efficaciam & virtutem sacramenti, vel sacramentum, vel Spiritum sanctum, gratiæ effectorem & datorem in sacramento. Videamus singula. Principiò regeneratio, quæ est baptismi fructus, & quò spectat vis tota illius sacramenti, appellatur ἡ δωρεά, vel τὸ δῶρον, apud *Chrysostomum homil.* 83. *in Matthaeum*: Ἐν τῷ βαπτισμῷ, δι' αἰσθητοῦ μὲν πράγματος γίνεται, τοῦ ὕδατος, τὸ δῶρον. νοητὸν δὲ τὸ ἀποτελούμενον, ἡ ἀναγέννησις, ἤγουν ἀνακαίνισις, *In baptismate per rem sensui obiectam, nempe aquam, donum illud confertur: sed quod efficitur, intellectu percipitur regeneratio, sive renovatio.* Sic Augustinus contra Manichæum lib. 19. cap. 16. de baptismo ait: *Hæc omnia fiunt, & transeunt, virtus tamen, quæ per ista operatur, iugiter manet: & donum spirituale, quod per ista insinuatur, æternum est.* Deinde ipse baptismus appellatur τὸ δῶρον. Sic enim Gregorius *Nazianzenus orat.* 40. *in sanctum baptisma*: Multis, *inquit*, nominibus appellatur τὸ φώτισμα, *illuminatio*, id est baptismus: deinde, δῶρον καλοῦμεν, χάρισμα,

χάρισμα, βάπτισμα, χρῖσμα, vocamus Donum, Gratiam, Baptisma, Chrisma seu Unctionem. Similiter Basilius in sanctum baptisma: Cur, *ait*, differs baptismum, δέον ἐπιτρέχειν τῷ δώρῳ, *cùm oporteat curriculo accedere ad Donum?* iterum ἵνα βέβαιον ἡμῖν μένῃ τὸ δῶρον, *ut firmum nobis permaneat donum.* Ut baptismum, sic etiam eucharistiam appellarunt δῶρον, *donum*, nempe Spiritus sancti, cujus efficacia perficitur nostra communio cum Christo. Sic in Liturgia, quæ habetur in Constitutionibus Clementis lib. 8. c. 13. ὑπὲρ τοῦ δώρου τοῦ προσκομισθέντος Κυρίῳ, τῷ Θεῷ, δεηθῶμεν ὅπως ὁ ἀγαθὸς θεὸς προσδέξηται αὐτὸ, διὰ μεσιτείας τοῦ Χριστοῦ αὐτοῦ, *Oremus pro dono, quod Domino Deo offertur, ut pro sua bonitate illud suscipiat, per intercessionem Christi ipsius.* Aliquando dicitur τὸ σωτήριον δῶρον, *salutare donum*; item τὸ νοερὸν καὶ μυστικὸν δῶρον, *intelligibile & mysticum donum*; item δῶρον καθαρὸν, *donum purum*, ut in Canone 5. Concilii Nicæni: ἵνα πάσης μικροψυχίας ἀναιρουμένης τὸ δῶρον καθαρὸν προσφέρηται, *Ut omni simultate sublata donū purum offeratur Deo.* Quibus verbis Patres alluserunt ad præceptum Domini *Matth. 5. vers. 23.* Aliquando etiam dicitur δῶρον ἐξιτήριον, *donum à discedente datum.* Est enim tanquam pignus præsentiæ Christi postsideribus illatum ipsius corpus. Qua de re loquuntur ista Patrum dicta. *Basilius homil. de charitate* ait, Christum reliquisse ἐξιτήριον δῶρον τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς, μέλλοντα συμπληροῦν τὴν ἐν σαρκὶ οἰκονομίαν, *reliquisse*, inquam, *suis discipulis donum profectitium, cùm inibi esset, ut dispensationem in carne suam impleret.* Hieronymus in 1. Cor. 11. *Christus etiam passurus, ultimam nobis commemorationem sive memoriā dereliquit. Quemadmodum si quis peregrè proficiscens, aliquod pignus ei, quem diligit, derelinquat: ut quotiescunque illud viderit, possit illius beneficia & amicitias memorari: quod ille, si perfectè dilexit, sine ingenti desiderio non potest videre, vel fletu.* Augustinus epist. 118. *Salvator quò vehementiùs commendaret ministerii illius altitudinem, ultimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à qubus ad passionem digressurus erat.* Gaudentius in tractatu 2. *Verè istud est hæreditarium munus Testamenti eius novi, quod nobis ea nocte, qua tradebatur crucifigendus, tanquam pignus suæ præsentiæ dereliquit.* Eusebius Emissenus: *Quia corpus assumtum ablaturus erat ab oculis nostris, & sideribus illaturus, necessarium erat, ut die Cœnæ sacramentum nobis corporis & sangvinis sui consecraret: ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur per pretium.* Postremò Spiritus sanctus, unicus tanti mysterii effector, appellatur *Donum & Munus*, apud Ambrosium in symb. apost. *Æternitas est in Patre, Species in Imagine, Virtus est in Munere*; id est, in Spiritu sancto. Paschasius libro de corpore & sangvine Domini: *Caro & sangvis per eundem Spiritum sanctum consecratur: alioqui malo nec caro est, nec sangvis; quia sine donante Spiritu nullum malè præsumentibus donum ex Deo præstatur. nam idem Spiritus Donum dicitur.* His verbis Paschasius negat malos corpus Christi verè accipere; quia non accipiant Donum, id est, Spiritum sanctum. Ille siquidem est donum Christi.

DORMIRE. Inter alia significat somno quasi oppressum jacere, & opera noctis ac tenebrarum perpetrare: ut in illo hymno Prudentii:

Iesum ciamus vocibus,
Flentes, precantes, sobrii,
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat.

Aliter etiam accipitur pro nihil agere & immotum jacere, ut in hymno Ambrosii:

Dormire mentem ne sinas,
Dormire culpa noverit.

In Concordantiis Latinis sic adnotatur ad hanc vocem: Dormio significat 1. capio somnum, sopitus sum. *Gen.*28.*v.*11. 13. 2. cubo, concumbo *Gen.*19.*v.*32. *Deut.* 27.*v.*20.21.22.23.24. 3. quiesco sepultus. *Gen.*47.*v.*30. *Deut.*31.*v.* 16. 4. peccati caligine premor. *Eph.*5.*v.*14.1.*Thess.*5. *vers.*6.7.

Doxa. Est opinio, dignitas, gloria, apud Græcos & Latinos. Usitata est distinctio inter ea quæ sunt & fiunt κατ' ἀλήθειαν, seu ὄντως, sive ἀληθῶς, & κατὰ δόξαν, seu δοξαςῶς, sive φαινομένως.

Δοχή. Hoc vocabulo denotatur solennioris epuli apparatus *Luc.*14.*v.*13. Patres Eucharistiam aliquando appellant δοχήν. Hinc apud Ignatium epist. ad Smyrnæos, δοχὴν ἐπιτελεῖν, pro *cœnam celebrare*: etsi alii malunt ad Agapas veterum referre. Memineris hîc olim fideles de manu sacerdotis accepisse panẽ. Nam in 21. *Statuarum Chrysostomi* ter ea de re dicitur δέχεσθαι τῇ χειρὶ, *manu accipere.* Sed apud *Eusebium lib.*7. *historiæ cap.* 9. legitur, χεῖρας εἰς ὑποδοχὴν τῆς ἁγίας τροφῆς προτείνειν, *manus porrigere ad susceptionem sanctæ alimoniæ.* Quod melius exprimit morem antiquum. Utramque enim manum porrigebant, & cavo dextræ suppositâ sinistrâ panem suscipiebant, ut est apud *Cyrillum in* 5. *mystagogica.* Postea superstitio consuetudinem invexit conficiendi ex auro vel alia pretiosa materia quædam δοχεῖα, *vascula*, quibus pro manu utebantur. Sed damnatur & tollitur ea consuetudo gravissimo Canone 101. Concilii sexti Oecumenici. Obtinuit tamẽ post illud decretum, etiam in nonnullis Græcæ ecclesiæ locis, ut sacramentum laicis non in manus traderetur, quod præcisè canon ille jubebat, sed in os insereretur. Hujus moris Balsamon meminit in commentario superioris canonis: ἔν τισιν, *inquit*, ἐκκλησίαις μεταδίδοται τοῖς λαικοῖς τὸ ἅγιον σῶμα τοῦ χριςοῦ ἐγχειρίζεται, *in quibusdam ecclesiis sanctum Christi corpus laicis in os ingeritur, non in manus traditur.* Obiter hîc nota, μετάδοσιν propriè dici, cùm manu presbyteri in os sacramentum inditur, ἐγχείρισιν, cùm in manus traditur.

Dubitatio. Alia est totalis & finalis, alia partialis & ad tempus. Sic electi Dei filii interdum dubitant de salute, sed ita ut se recolligãt. Aliter se habet dubitatio impiorum, qui ad finem usq; dubitant de paterno Dei favore. Eleganter hanc in sententiam pronuntiat *Catechismus Romanus ex decreto Concilii Tridentini & Pii V. Pontificis Romani jussu editus, part.*1. *c.*1. *q.*1. Nulla enim fidelibus potest accidere dubitatio, in iis, quorũ Deus author est, qui est ipsa veritas. Et *Bernhardus epist.*190. *ad Innocentium Papam* sic explicat definitionem fidei, quæ est *Heb.*1. *v.*1. Substantia, inquit, rerum sperandarum, non immanium phantasia conjecturarũ. Audis substantiam: non licet tibi in fide putare, vel disputare pro libitu, non hac illacque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certũ fixumq; præfigitur. Certis clauderis finibus, certis limitibus coarctaris. Non est n. fides æstimatio, sed certitudo.

Dulia. Δουλεία est servitus: sicut & λατρεία. In N. T. λατρεύειν Deo leges crebrò

crebrò: δουλεύειν autem & Deo & hominibus. Nam apostolus promiscuè usurpat λατρεύειν καὶ δουλεύειν θεῷ: quando se δοῦλον χριστοῦ vocat *Rom. 1. v. 1.* & *ibid. v. 9.* dicit, se λατρεύειν θεῷ. Sic *Gal. 2. v. 8.* dicit δουλεύειν idolis, pro λατρεύειν. Vana itaque est illa Scholasticorum distinctio: Dulia est honor & servitus debita creaturæ: latria verò est honor & servitus debita soli Deo. Vide *Thom. 2. 2. q. 130. art. 3.* Iidem cultum religiosum distinguunt in λατρείαν, δουλείαν, & ὑπερδουλείαν. Quam distinctionem explicemus illorum verbis. *Hyperdulia*, inquit, *Alex. de Ales in 3. part. Sum. q. 30.* est honor quidam valde magnus, qui exhibetur creaturæ rationali excellenti propter majorem affinitatē & conjunctionem ad Deum, sicut humanitati Christi & beatæ virgini. *Gabriel. dist. 9. q. un lib. 3.* Imagines rerum adorandarum eadem specie adorationis adorandæ sunt, qua res repræsentatæ. *Thomas part. 2. q. 25. art. 1.* Propter diversas causas adorationis, increatas & creatas, eadem persona Christi adoratur adoratione latriæ, propter suam Deitatem, & adoratione duliæ, propter perfectionem humanitatis: humanitas autem adoratione latriæ, non per se, sed propter unionem cum Deitate: adoratione dulias, ratione humanitatis Christi perfectæ omni munerę gratiarum. *Durandus lib. 3. sent. dist. 9. q. 3.* Cùm Christus sit una persona in duplici natura, debetur ipsi duplex honor, ratione duplicis existentiæ, quam habet secundùm duplicem naturam: honor latriæ secundùm excellentiam divinæ naturæ, & honor hyperduliæ secundùm excellentiam humanæ naturæ. *Bonaventura d. 9. q. ult. lib. 3.* Nomen duliæ tripliciter sumitur. Uno modo dicitur dulia secundū quandam analogiam: alio modo secundùm antonomasiam, & tertio modo secūdùm significationem propriam. Cùm autē dicitur secundùm analogiam, tunc importat cultum debitū naturæ superiori, sive creaturæ sive creatori, secundùm aliquam rationem, secundùm q̃ creator communicat creaturæ, utpote secundùm rationē dominii. Et hoc modo accipitur in glossa super illud psalmi: *In ecclesiis benedicam Domino glorioso*: Deo, cui debetur latria; Domino cui debetur dulia. Cùm autem accipitur secundùm antonomasiam, sic dicit debitā reverentiam creaturę unitæ vel assumtæ: per quē modum accipit̃ super illud psalmi, *Adorate scabellum pedum eius*: ubi dicit̃, quòd hyperdulia major debetur solùm humanitati Christi. Cùm a. accipit̃ dulia secundùm significationem ꝓpriam, sic dicitur dulia, honor & reverētia debita creaturæ rationali, & exhibita. Et illo modo dulia cōsuevit accipi secundùm cōmunē usum. Hactenus Scholastici, & quidē dissonis canentes tibiis. Opponamus ipsis hos aphorismos. 1. *Ambrosius lib. 2. de Spiritu S. c. 6.* refellit distinctionem inter latriam & duliam, his verbis: Si igitur creator est Spiritus, non est utique creatura. Creaturā enim Apostolus creatoremq; divisit, dicens: Servierūt creaturæ potiùs quā creatori: simul creatori admonet serviendū, damnando eos qui serviunt creaturæ, cùm creatori servitiū debeamus. *Ecce creatori debemus duliam.* 2. *Brulifer dist. 9. qu. 1.* refutat sententiam Gabrielis Biel de adoratione imaginum, his verbis: Imagines factæ ad repræsentādum Patrē in divinis, vel Spiritū S. quoad deitatē, nullo honore sunt venerādæ, nec adorādę adoratione latrię, sed potiùs destruēdę. Et sanè λατρεία soli Deo debet̃,

juxta illud Damasceni: μίαν βασιλείαν ἐν τρισὶ τελείαις ὑποστάσεσι γνωριζομένην τε καὶ προσκυνουμένην μιᾷ προσκυνήσει, πιστευομένην τε καὶ λατρευομένην ὑπὸ πάσης λογικῆς κτίσεως.

3. *Damascenus* docet carnem Christi adorandam esse in unitate personæ: οὐκ ἀπροσκύνητον τὴν σάρκα λέγοντες (προσκυνεῖται γὰρ ἐν τῇ μιᾷ τοῦ λόγου ὑποστάσει) οὐ τῇ κτίσει λατρεύοντες. Vide infra titulo LATRIA.

EBRIETAS SOBRIA. Elegans est hoc ὀξύμωρον, quo notatur lætitia Spiritus, seu ebrietas spiritualis: de qua in hymno *Iesus autor clementiæ* sic legere est:

Quem tuus amor ebriat,
Novit quid Iesus sapiat.

Ubi *ebriat* est verbum ἀρχαϊκὸν, pro *inebriat*. Eadem phrasis αὐτολεξεὶ occurrit in hymno Gregorii Magni *Splendor paternæ gloriæ*, his verbis:

Christusq; nobis sit cibus,
Potusq; noster sit fides
Læti bibamus sobriam
Ebrietatem Spiritus.

Ratio hujus ὀξυμωρολογίας est: Ut bibentium animi vino, ita credētium mentes Spiritu sancto mutantur.

ECBATANA. Est nomen montosæ regionis Mediæ, ubi fuit metropolis, quam vocant Geographi κατ' ἐξοχὴν Ecbatana. *Vide Tob.* 3. 7. 2. *Maccab* 9. 3. Hæc urbs *Esdr.* 6. 2. appellatur *Achmetha*: quòd reges æstivam stationem illic haberent, ut hibernam Seleuciæ ad Tigrim. *Strabo l.* 11. Est enim Achmetha Chaldaicè quasi locus æstivus.

ECCE. Crebrò occurrit hæc vox in veteri & novo testamento, & adhibetur ad captandam attentionem. Vide concordantias Latinas vulgatæ vers. Hebræi dicunt הן & הנה, Græci ἰδοὺ, & interdum ἴδε. Interdum non ineptè redditur per nostrum Nota benè; pro quo Rabbini dicunt ראה *vide*. Ex Poëta dixeris:

Sensibus hoc imis, res non est parva, reponas.

ECCLESIA. Sic dicitur παρὰ τὸ ἐκκαλεῖν, *ab evocando*, q.d. evocationem: & significat tum separationem, vi particulæ ἐκ: tum collectionem sive congregationem. Id enim notat καλεῖν. Qua ratione etiam dicitur συναγωγὴ *Iacob* 2. 2. & ἐπισυναγωγὴ *Hebr.* 10. 25. Cæterùm ecclesia dicitur *generaliter* quælibet collectio sive congregatio: *specialiter* collectio hominum religionis gratia congregatorum. Quæ ecclesia etsi numero una est, tamen certis quibusdam modis distinguitur. Ac *primò* quidem ecclesia consideratur ut est ἐν κρυπτῷ, in oculis solius Dei: vel ut est ἐν φανερῷ, aspectabilis hominibus. Hanc *visibilem*, illam *invisibilem* appellamus. *Deinde* ecclesia est universalis, vel particularis. Universalis, vel absolutè, vel κατά τι. Ecclesia *absolutè universalis*, sive catholica, est totus ille populus Dei ab origine mundi usque ad finem seculi, sive jam in cœlo triumphet, sive in terris adhuc militet: unde ecclesia in *triumphantem* & *militantem* dividitur. Ecclesia *universalis* κατά τι, est universus cœtus fidelium in his terris ubivis locorum degentium. Ecclesia *particularis* est cœtus aliquis certus, certo loco per divinum sermonem collectus. Et hujusmodi ecclesia rursus est *publica*, ut Corinthiaca, vel *domestica*, qualem Paulus *Rom.* 16. 3. 5. & 1. *Cor.* 16. 19. scribit fuisse in domo Priscillæ & Aquilæ. Denique ecclesia est *veteris vel novi testamenti*. Illa collecta fuit apud Patriarchas,

& postea in populo Judaico ante Messiam exhibitum: hæc per Evangelii prædicationem in toto terrarum orbe colligitur post Christum in cœlos sublatum. Placet hoc loco adscribere laudes Ecclesiæ ex prosâ Victorii.

Quàm dilecta tabernacula
Domini virtutum, & atria.
Quàm electi architecti,
Tuta ædificia!
Quæ non movent, imò fovent
Ventus, flumen, pluvia.
Quàm decora fundamenta
Per concinna sacramenta
Vmbra præcurrentia:
Latus Adæ dormientis
Evam fudit, in manentis
Copulæ primordia.
Arca ligno fabricata:
Noë servat gubernata
Per mundi diluviem.
Prolè serâ tandem fœta:
Anus Sara ridet læta,
Nostrum lactans gaudium.
Servus bibit, qui legatur:
Et camelus adaquatur
Ex Rebeccæ hydriâ.
Hæc inaures, & armillas
Aptat sibi, ut per illas
Viro fiat congrua:
Synagoga supplantatur
A Iacob, dum divagatur
Nimis freta litera.
Lippam Liam latent multa:
Quibus videns Rachel fulta:
Pari nubit fœdere.
In bivio tegens nuda,
Geminos parit ex Iudâ
Thamar diu vidua
Hîc Moses à puellâ,
Dum se lavat, in fiscella
Reperitur scirpeâ.
Hîc mas agnus immolatur,
Quo Israel satiatur,
Tinctus eius sanguine.
Hîc transitur rubens unda,
Ægyptios sub profundâ
Obruens voragine.
Hîc est urna Mannâ plena,
Hîc mandata legis dena,
Sed in arca fœderis.
Hîc sunt ædis ornamenta,
Hîc Aaron indumenta,
Quæ præcedit poderis.
Hîc Urias viduatur
Barsabee sublimatur,
Sedis consors regiæ.
Hæc regi varietate
Vestis adstat deaurata,
Sicut regum filia.
Huc venit Austri regina,
Salomonis quam divina
Condit sapientia.
Hæc est nigra, sed formosa:
Myrrhæ, & thuris fumosa
Virga pigmentaria.
Hæc futura, quæ figura
Obumbravit, reseravit
Nobis dies gratiæ.
Iam in lecto cum dilecto
Quiescamus, & psallamus:
Adsunt enim nuptiæ.
Quarum tonat initium
In tubis epulantium,
Et finis per psalterium.
Sponsum millena millia
Vnâ laudant melodiâ
Sine fine dicentia, Haleluia, Amen.

Paucis illustremus hanc prosam, *Tabernacula*] Psalm. 84. Loquitur author sacrarum literarum more de Ecclesia, ut ædificio: & in lege variis figuris adumbratam

ostendit. *Architecti*] Pastores fidi. *Tuta*] Quia non in arena, sed in petra est constructa Matt.7.& 16. *Ventus*] Spiritus sanctus. *Flumen*] Baptismus. *Pluvia*] Doctrina cœlestis, quæ in modum pluviæ destillat Deut.32. *Sacramenta*] Figuras. *Vmbræ*] Legis. *Latus*] Semel Christus dormivit, ut illi coniux de latere fieret, Augustinus. *Primordia*] Ut esset caro de carne eius Gen.2. 1.Cor.11. *Arca*] Arca Noe figurat ecclesiã. Similiter Sara, Rebecca, Rahel, & Thamar. *Liam*] Lia laboriosa figurat populũ legis. *Poderis*] Est vestis talaris. *Hæc est nigra*] Cant.1. *Millena millia*] Nam ecclesia est cœtus numerosus illorum, qui credunt Evangelio, suntque filii Dei, non naturalis ꝓcreationis, sed spiritualis adoptionis in Christo Jesu, qui est caput, à quo in totum corpus, quasi ex Aharonis capite oleum, vita, iustitia, sapientia, pax, & salus manant. Sed redeamus ad vocem *Ecclesia*. Peculiariter hoc nomine dicitur populus Dei, quem ille verbo suo vocat è miseria per gratiam in gloriam. Est & domus, sive templum, ubi convenitur 1. *Cor*.11.*v*.18.*collato cum vers*.20. Hinc *Augustinus quæst.in Levit.lib*.3.*q*.57.ait: Ecclesia dicitur locus, quò ecclesia congregatur. Nam ecclesia homines sunt, de quibus dicitur, ut exhiberet sibi ecclesiam gloriosam. Hanc tamen vocari etiam ipsam domum orationum, idem Apostolus testis est, ubi ait, Nunquid domos nõ habetis ad manducandum & bibendũ? an ecclesiam Dei contemnitis? Cæterùm Judæorum synagogæ olim serviebãt populi conventui ad cultum Dei; serviebãt, inquam, Judæis & Christianis. *Luc*.7.*v*.5. *Act*.15.*v*.21.*&* 19.*v*. 9.*Iac*.2.*v*.2. Ita *Eusebius* ex Philone ait *de præpar.evang.lib*.10.*ca*.12. Concurrunt ad loca sacra, quæ synagogæ dicuntur, singulis Sabbatis: ubi ordine sub senioribus juniores considere solent. Sic Eusebius. Verùm synagogæ nomẽ de locis Judaicis solis mox usurpari cœpit: Christiana autẽ, ecclesia, *προσευκτήρια*, *oratoria*, & *κυριακά*, *dominica*, sunt vocata. Sic *can*.5.*Concil.Neocæs*.legimus: Catechumenus ingrediens in Dominicum (.*εἰς τὸ κυριακὸν*.) in loco (.*τάξει*.) Catechumenorum subsistat. Vide quoque Hieronymum in Chronico. Plura vide infra ad titul. SYNAGOGA.

ECCLESIA CATHOLICA. Fulbertus Carnotensis in hymno *Chorus nova Ierusalem*, elegantet ecclesiam catholicam his verbis describit:

Soli poliq; patriam
Vnam facit (.Jesus.) *rempublicam*.

Membra huius ecclesiæ sunt partim angeli boni, partim homines electi. Ad angelos ꝙ attinet, tametsi pauca in Scripturis revelata sint de illorum evocatione ex statu mutabilis naturæ ad statum immutabilem gloriosæ gratiæ: tamen quia vocantur filii Dei, & angeli lucis, & angeli gloriæ, & angeli electi, atque ipsum Christum quoque peculiare caput agnoscũt, *Ephes*.1.22. & ipsi se conservos nostros appellant, & conservos fratrum, imò ex fratribus qui habẽt testimonium Jesu *Apoc*. 19.10. necesse est ut illi sint membra totius illius corporis, & in familia Christi conservi nostri, per Spiritus sancti peculiarem operationem sub Christo unico ecclesiæ suæ capite efficaciter in gratia & gloria confirmati. Unde & nos ad myriadas angelorum, per efficacem vocationem accessisse, Apostolus docet *Hebr*.12. 22. Ad homines electos quod attinet, illi omnes & soli pertinent ad ecclesiam catholicam, non verò hypocritæ. Nam ecclesia

clesia catholica est sponsa Christi & eius amica *Cant.*4.7.*Eph.*5.27. est gloriosa, non habens maculam. *Eph.* 5.27. est corpus Christi congruenter coagmentatum *Eph.* 4.16. est sanctum sacerdotium 1. *Petr.* 2.5. Porrò partes ecclesię catholicæ sunt duę: una in cœlis triumphans, altera in terris militans. Pontificii addunt partem tertiam, videl. ecclesiam in purgatorio laborantem. Sed ἀπὲρ γραφῆς. Sæpe etiam ecclesia militans, præsertim illa N.T. appellatur catholica, quia iam certæ regioni non est alligata, sed in omnem terram exivit sonus eorum *Rom.*10.18.

Ecclesia militans. Usitatè hoc nomine appellatur pars illa ecclesiæ catholicæ, quæ in his terris militat bonam illam militiam, de quâ 1.*Tim.*1. Nicolaus de Clemangis, disputatione super materiâ Concilii generalis, appellat *ecclesiam peregrinantem in terrâ*.

Ecclesia triumphans. Ad hanc ecclesiam pertinent angeli sancti, & omnes electi homines, & quidem ita ut fideles sub V.T. in fide defuncti, ad hanc ecclesiæ in cœlo triumphantis partem pertinuerint: ut exemplum Enochi, Eliæ & Mosis probat.

Ecclesia visibilis. *Basilius Magnus in utrâque homiliâ in Psalm.*28. vocat αἰσθητοὺς συνάξεις, *sensibiles conventus*: quod theologi vulgo appellant ecclesiam visibilem, quæ distingui debet ab ecclesia particulari, sicut invisibilis ab universali. Nam ecclesia visibilis potest esse particularis vel universalis: similiter invisibilis.

Ecclesia proselyta. In hymno Mariæ peccatricis inter alia sic legimus: *Hâc Christe proselytam signas ecclesiam, quam ad filiorum mensam vocas alienigenam.* Hîc per ecclesiam proselytam intelligitur ea, quæ ex Gentibus est collecta. Nam proselyti erant, qui ex Gentibus ad Judaismum transibant. In eodem hymno, ut hoc obiter adjiciam, per *lepram hæreticam* intelliguntur dogmata falsa, & opinionum portenta.

Ecclesia pura. Ecclesia visibilis respectu doctrinæ & morum est pura, vel impura: & hæc vel simpliciter errans, vel hæretica, vel schismatica. *Ecclesia simpliciter errans* est, quæ errores quidem aliquos tuetur, sed qui fundamentum fidei non evertunt; quæque parata est cedere meliora docenti. *Ecclesia hæretica* est, quæ errat in fundamento, ut correctionem respuat. Pertinacia enim est de formali ratione hæreseos. *Ecclesia schismatica* est, quæ retinet quidem fundamentum, sed propter ritus indifferentes vel lapsus aliquos in moribus, communionem Christianã abrumpit, & separatos cœtus erigit.

Ecclesiastes. Hoc nomen in genere tribuitur concionatori: in specie Salomoni *Eccles.* 12. & illius libro, qui incipit *Vanitas vanitatum* &c. Sumsit autem sibi Salomo hoc nomen ab ea officii prophetici seu ecclesiastici parte, quâ præco erat pœnitentiæ & contemtus rerum mundanarum, & testis suæ conversionis & reversionis ad ecclesiam. *Hieronymus prolog. in libr. Salom.* ait ecclesiasten appellari Salomonem, quòd loquatur ad populũ, & sermo eius non specialiter ad unum, sed ad universos dirigatur generaliter. Ecclesiastes enim est, qui congregat ecclesiam. Cæterùm tres sunt classes ministrorum ecclesiæ. 1. quidam sunt administri verbi tantùm, ut in Vet. Testam. Prophetæ. 2. quidam sunt administri regiminis tantùm ecclesiastici, ut Levitæ. 3. quidam sunt administri & verbi Dei, & regi-

reginiinis Ecclesiastici, ut sacerdotes & prophetæ.

ECCLESIASTICUS. In genere est idẽ, quod pertinens ad Ecclesiam. In specie *canon Ecclesiasticus* est doctrina libris apocryphis comprehensa, & dicitur *deuterocanon*: cui opponitur *canon divinus*, qui est veritas comprehensa in V. & N. T. unde dividitur hic canon in novum & veterẽ, & appellatur protocanon. Magis specialiter vox *ecclesiasticus* tribuitur libro Sirachi, de quo *Isidorus lib. 6. cap.* 2. ait: Dictus autem ecclesiasticus, eò, quòd de totius Ecclesiæ disciplina, religiosæ conversationis cura & ratione sit editus. Appellatur etiam *Sapientia Iesu filii Sirachi* διαχρίσεως ἕνεκα, ut nempe distinguatur à Sapientia Salomonis: quæ sic dicitur opinione vulgi. Neque enim est liber iste Salomonis, etsi quædam fragmenta fortè à Salomone sunt, ut c. 9. videre est.

ECSTASIS. Barbari scribunt EXTASIS. In genere est dimotio rei à priore statu. In specie est excessus sive dimotio mentis à statu suo naturali. Estque alia præternaturalis, de qua medici: alia diabolica, de qua magi necromantici: alia divina, de qua theologi. Ecstasis præternaturalis est aberratio mentis, quæ fit à flavabile. Ecstasis diabolica est occupatio sensuum, facta à diabolo. Ecstasis divina est perfecta & excellens occupatio sensuum, facta à Spiritu sancto. Huiusmodi ecstasin describit Johannes *Apoc.* 1. *vers* 9. per τὸ ἐν πνεύματι γίνεσθαι, id est, fieri in spiritu, spiritu corripi, sancto enthusiasmo affici, mente quodammodo abducta à corpore, & sensibus eius internis veluti valere iussis, ut anima Deo informatori tota vacare possit, ad res cœlestes, quæ ostenduntur, percipiendas. De hac ecstasi loquitur *Isidorus lib. 7. c.* 8. his verbis: prophetiæ genera sunt septem: primum genus ecstasis, est mentis excessus: sicut vidit Petrus vas illud submissum de cęlo in stupore mentis cũ variis animalibus. 2. visio. 3. somnium. 4. per nubem. 5. vox de cęlo. 6. acceptâ parabolâ. 7. repletio Spiritus sancti. Porrò verbum ἐκστῆναι etiam usurpatur de Domino *Marc.* 3. *vers.* 21: ubi cognati Christi putabant, Christũ non esse apud se; vel quòd premeretur à turba ipsum cingente, ut vix potuerit respirare; vel quòd ab ipsis haberetur pro ecstatico.

ELEMENTA. Hoc nomine appellantur 1. corpora illa & domicilia physica, de quibus 2. *Petr.* 3. 20. 21. 2. ceremoniæ legales post Christi plenam manifestationem. *Gal.* 4. 3. 9 *Coloss.* 2. v. 8. 20. 3 Catechesis religionis Christianæ prima fundamenta *Hebr.* 5. 12.

ELEEMOSYNA. Est misericordia, ipse nimirum affectus. Deinde est donum, sive beneficium ex misericordia, hoc est, ipse effectus. Vox est origine Græca. Veteres mira attulerũt etyma. Eleemosyna, *inquiunt*, mandatum misericordiæ, vel munus datum propter misericordiam: & dicitur ab *elemonia*, quod est misericordia, & *syna*, quod est mandatum: vel ab *Eli*, quod est Deus, & *syna*, mandatum, quasi mandatum Dei. *Item*: Eleemosyna dicitur ab *Elois*, quod est misereri, & *moys*, quod est aqua (*nimirum* מוי *Chaldæis est aqua.*) quasi aqua miserationis. *Item*: Dicitur ab *Eli*, quod est Deus, & *moys*, aqua, qnasi aqua Dei, vel aqua divina. Aqua importat pietatẽ. *Sic illi.* Cæterùm Scholastici tradunt, eleemosynam capi tripliciter; propriè, communiter, & communissimè. Propriè, *inquiunt*, dicitur opus

pieta-

pietatis impensum proximo ad relevandum indigentiam corporalem. Communiter est opus pietatis proximo impensum, sive spirituale, sive corporale. Communissimè dicitur opus misericordiæ, sive proximo sive sibi impensum. Septiformis eleemosyna corporalis, sicut in hoc metro continetur:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

Visito infirmum; poto sitibundum; cibo famelicum; redimo captivum; tego nudum; cōdo defunctum. *Spirituales eleemosynas complectuntur hoc versu:*

Consule, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Consule dubitanti; doce ignorantem; castiga delinquentem; consolare tristem, remitte iniuriam; fer patienter aliorum infirmitates; ora pro omnibus. *Dividunt* etiam eleemosynam in eam, quæ est in corde, ore, & opere.

ELECTIO. Hæc est duplex. Aut enim eliguntur præstantia; & ita dicimus electum aurum: aut eligendo fiunt præstantia. Et hoc posteriori modo Deus alios eligit ad vitam æternam, alios ad munus sive officium speciale. Scholastici dicunt electionem sumi tripliciter: secundùm affectionem dilectionis, gratificationem finalem (.nempe collationem gratiæ finalis.) & prælationem, quæ est collatio alicuius dignitatis & eminentiæ supra alias creaturas rationales.

EMBRIMIA. Apud Cassianum collatione 1. cap. ultim. significat partem istius σκληραγωγίας, *duræ educationis*, quà veteres ascetæ defungebantur. Casaubonus putat ἐμβρίμια dicta παρὰ τὸ βρίζειν, quod significat somnum levem capere. Solebant enim ascetæ sua embrimia fasciculis stipulæ sarta, vel papyro, aut duro tomēto, vel simili materia sibi parare ad somnum breviandum.

EMPYREUM COELUM. Sic usitatè appellatur cœlum beatorum: quasi intus ignem, non ardore, sed splendore, ut est in veteri vocabulario. Appellatur etiam cęlum spirituale & intellectuale: in sensu scil. comparato. Nam est corpus adeo subtile, ut sit quasi spirituale: & cùm non cadat sub sensus, hactenus est intellectuale.

ENACIM. Ita dicti sunt gigantes ab Enac sive Hanac, gigante celeberrimo. Hinc Fr. Junius super *Num.* 13. 22. doctè sic adnotat ad nomen Hanak: Nomen proprium gigantis celeberrimi, quod deinde communiter omnibus gigantibus est attributum. Confer *Deuteron.* 28. *&* 2. 11. 21. *&* 9. 2. *item Ios.* 11. 21. 22. *&* 14. 12. 15.

ENCÆNIA. In genere ἐγκαίνια sunt festivitas dedicationis alicuius rei. Unde Suidas: ἐγκαίνια ἑορτὴ, καθ' ἣν ἐκαινουργήθη τι, *festum, in quo aliquid est renovatum*, vel potiùs dedicatum. Nam ἐγκαινίζειν est dedicare, consecrare, vel rem novam, vel noviter segregatam ab usu profano. Sic *encænia templi* erant festum in memoriam templi dedicati primùm, tum repurgati. Ter autem templum Hierosolymitanum fuit dedicatum: primùm à Salomone 2. *Reg.* 8. deinde à Nehemiâ, *Esd.* 6, *vers.* 15. *& Nehem.* 12. tertiò à Judâ Maccabæo 1. *Maccabæorum* 4. Et hæc ultima encænia intelliguntur *Iohan.* 10. *vers.* 22. Dedicationes templorum citerioris temporis etiam ἀνοίξια & ἐνθρονισμοὶ dicebantur, & fiebant unctione sancti unguenti, & repositis ibi martyrum reliquiis. *Diaconus in Iustiniano.*

Ἕνα ἄρτον κλᾷν, *Unum panem frangere.*

Sic Ignatius epist. ad Ephesios appellat celebrationem communionis in sacra synaxi, ut ipsos hortetur ad unitatem colēdam. ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας, ἀντίδοτος τοῦ μὴ θανεῖν, *unum panem frangentes, quod est medicamentum immortalitatis, remedium quod datur contra mortem.*

Energumenus. In genere est qui agitur. In specie apud theologos est qui agitur à spiritu malo. Et sic ἐνεργεῖσθαι est moveri, agitari, correptum esse à dæmonio.

Enim. Hæc particula non semper est causalis, sed interdum rationalis 1. *Cor.* 10. *v.* 5. Similiter *Matth.* 25. *v.* 35.

Enthusiasmus. Est instinctus, seu afflatus divinus. Nam ἐνθουσιάζω est numine afflor: ab ἔνθους, quod est contractū ex ἔνθεος, in quo Deus est. Itaque hæc vox est per se bona: sed hominum vitio infamata. De sancto enthusiasmo eleganter Hesychius: ἐνθουσιασμός ἐστιν, ait, ὅτε ἡ ψυχὴ ὅλη ἐλλάμπεται ὑπὸ τοῦ θεοῦ. *Budæus annot. prior. in Pand.* hæc habet: Plato lib. 2. de legibus Poetarum genus θεῖον, i. divinum, & ἐνθεαστικὸν, id est, Deo plenum, divinitùs inspiratum, vocat. Quo nomine meritò ac verè vocitari possunt nostri vates, id est, Prophetæ, qui adventum lucis æternæ in mundum prædixerunt. Ii enim demum enthei & entheastici fuerunt, & theophorumeni, id est, divino illo Spiritu pleni, quo ad veritatem proferendam & ducebantur & ferebantur. Quos verò antiqui sic vocabant, dæmonistici dici debēt. Quem enim Deum putabant, dæmon erat, id est, genius depravatus. Cæterùm vox enthusiasmus à quibusdam latè accipitur, & definitur afflatio sive afflatus numinis, sine quo nemo unquam vir magnus, ut ait Cicero. Ita Deus sapientiam indidit Bezaleeli, Davidi opilioni, Salomoni, Prophetis & Apostolis. Qui omnes à viris devotis dicuntur fuisse præditi sapientia enthusiastica. Et hoc quoque sensu accipi debet, quod iidem scribunt, omnes artes inventas esse per viam enthusiasmi, **durch Gottes sonderbare Eingiessung / Unterweisung / und Antreibung.** Nimirum, sine Dei numine & lumine nihil est in homine.

Epha ephi. Hæc vox apud Hebræos est notio vulgaris & usitati modii, à radice אפה *pinsuit*: quòd mensura hæc vel tantum comprehendebat, quātum semel usitatè pinsebatur, vel adhiberetur ad præparandam massam farinariam. Mysticè apud Zachariam *cap.* 5. 8. hæc vox significat impiam doctrinam, domi intritam, intra templi & synagogarum parietes coctam, & in compitis recoctam: quæ à Christo appellatur fermentum *Matth.* 16. *Marc.* 8. Huiusmodi doctrina in veteri populo à falsis Prophetis & Pharisæis, in novo ab Antichristo est excogitata: & est *execratio illa*, de qua Zacharias d. l. ubi *vers.* 6. occurrit vox עינם, quæ significat phantasiam, præconceptam speciem, animi partum. Nam עין, *oculus*, in sacris est indicium occultarum animi passionum: ut oculus malus pro animo, odio, & invidia ardente: oculi repleti adulterio, pro impudico & obscœno homine. Descendit enim à radice עין, quæ in canone non nisi semel verbaliter usurpatur 1. *Samuelis* 18. 9. de Saule, Davidis gressus ex præconcepta maligna opinione observante. Forma Piel עיין apud Rabbinos usitatissima est, & significat, animo volvere, cogitare, considerare: unde Græcorum συνίημι, & Germ. **sinnen / nach-**

nachsinnen. Sed pergamus in explicatione Zachariæ. Dicit duas mulieres egreſſas, quarum alæ ventis fuerint impulſæ, quæque fuerint præditæ alis ſimilibus alis ciconiarum. Per has mulierculas in-intelligitur Mahumediſmus & Papiſmus. Nam per *alas ciconiarum* intelligitur prætextus religionis & ſpecioſus apparatus, quo utraque ſecta utitur. Ciconia enim Hebræis חסידה *pia, ſancta*, vocatur. Per *ventum, quo alæ impelluntur*, ſtupendi negotii illius ſucceſſus indicantur. Porrò Epha illud, in quod fatalis illa maſſa recluſa eſt, operà Papiſmi & Mahumediſmi per terram Sinear traducitur, ut ibidem ſuæ præparatæ baſi inædificetur, id eſt, Fermentum illud, ex veteris ſynagogæ finibus ablatum, in medium ethniciſmum transfertur, ibique cathedram occupat, & duabus urbibus bicornis Imperii Romani, Conſtantinopoli & Romæ, tanquam baſibus imponitur, indeque in terram Sinear, hoc eſt univerſum orbem, qui totus eſt Babylon, hoc eſt, confuſionis plenus, diſſeminatur. Hîc aliquis quærat, quomodo Mahumediſmus & Papiſmus ſuas hypotheſes ex Epha Judæorum depromſerint? Reſp. Mahumediſmus fere totus ex Talmud conflatus eſt, & Papiſmus apparatum ceremoniarum ex veteri ſynagoga hauſit; ut nihil iam dicam de eo, quòd Phariſæorum ἀσκήσεις illi æmulantur. Epiphanius appellat voce elegantiſſima ἐθελοπερισσοθρησκείαν q. d. cultum ex propria libidine excogitatum, ac proinde ſuperfluum: alludens dubio procul ad locum Apoſtoli *Coloſſ.2 verſ.23*. Affinis eſt, quam alibi damnat in ſuperſtitioſis quibuſdam Chriſtianis ἐθελοακρότητα δικαιοσύνης, opinionem iuſtitiæ poſitam in cultu ex humana voluntate excogitato, in Ancyrato p.475.

Ephemeria. Erat ſtatio hebdomadaria ſacerdotum in V.T. Eorum familię erāt XXIV, ex quibus alia poſt aliam per integram hebdomadam operabatur in templo, nempe à Sabbato ad Sabbatum. Vide *Ioſephum lib.7. cap.11.* & confer cum *Luc.1.v.8.*

Ephod. Erat amiculum, quod ſupra aliam veſtem induebatur, ſacerdotibus in V.T. uſitatum, leve & tenue, ex lino, pro ſacerdotibus vulgaribus (quale adhuc Judæis eſt uſitatum) ſed pro ſummo ſacerdote ex aureo filo. Hac de re *Calvinus in Exod.28.* elegāter ait: Ubi etiam obſervare cōvenit, aliud fuiſſe Ephod iſtud unicum ſummi ſacerdotis, ab aliis quorū alibi fit mentio. Omnes enim ex genere ſacerdotali intuebantur Ephod in ſacris peragendis. Imò David cùm ſaltaret coram arca, ſuo Ephod indutus fuit: quem ritum hodiè quoque Iudęi, celebres ſuos conventus agendo, retinent.

Ἐφόδιον. Hæc vox ſignificat viaticum, & apud Patres tribuitur ſacramētis divinitùs inſtitutis. Docent enim illi, & rectè docent, baptiſmum & ſacramentum corporis Chriſti ad ſalutem eſſe neceſſaria; non quidem abſoluta neceſſitate, ſed ex ordinatione Domini. *Auguſtin. lib.1. de peccatorum meritis & remiſſ. pec. c.24.* Propterea hæc ſacramenta vocarunt ἐφόδια, *viatica*, quaſi dicas viæ ſubſidia. Nam hæc vita, ſtilo Scripturarum, via quædā eſt. *Baſil.* ita nominat baptiſmū *homil. in S. baptiſ.* ἀσφάλισαι τὴν νεότητα τῷ τοῦ βαπτίσματος χαλινῷ· παρέδραμεν ἡ ἀκμή, μὴ ζημιωθῇς τὰ ἐφόδια, μὴ ἀπολέσῃς τὸ φυλακτήριον: *Firma juventu-*

tutem frœno baptismi. Præteriit flos ætatis. Cave iacturam viatici facias. Cave amittas præsidium tuum. Gregorio Nazianzeno in eiusdem argumenti orationem, baptista cùm administrat sacramentum, dicitur ἐφοδιάζειν, *viatico instruere.* Cœna quoq; Domini nuncupatur viaticum, & respectu vitæ huius, ad q̃ piè transigendã magnum i. e. instrumẽtum; & respectu mortis, quæ est via ad futuram vitam. *Canon 13. Concilii Niceni* ait: εἴ τις ἐξοδεύοι, τοῦ δεσποτικοῦ ἐφοδίου μὴ ἀποστερείσθω, *Si quis decedat, Dominico viatico ne fraudetur.* In plerisque liturgiis oratur Deus, ut γένηται ἡ μετάληψις τῶν ἁγιασμάτων εἰς ἐφόδιον ζωῆς αἰωνίου, *Participatio rerum sanctificatarum cedat in viaticum vitæ æternæ.* Confer *Thomã p.3.q.33. art.4. Paschasium de corpore & sanguine Domini c.19. & Gaudentium tract.* 2. q̃ loca vide añotata *exerc.16. Casauboni n.52.*

Epiphania. ἡ ἐπιφάνεια est apparitio, illustris adventus. Specialiter Græci scriptores appellant ἐπιφάνειαν, apparitionem numinis, quoquo tandem modo Deus aliquis præsentiæ suæ signum dedisse crederetur. Vide *Diodorum Siculum lib.1. & Dionysium Halicarnass. hinc inde.* Verus quoque Deus dicitur ἐπιφάνειαν ποιεῖν *2. Maccab 3. vers.24.* hoc est, suæ præsentiæ sive auxilii præsentis argumentum dare. Hoc est, quod Hebræi dicunt, רָאָה שְׁכִינָה εἶδεν ἐπιφάνειαν, *vidit divinam maiestatem*; sive, ὁ θεὸς ἐπεφάνη, *Deus illi apparuit.* Dicunt & ראוה pro ἐπιφάνεια, ut cũ de Messia suo loquẽtes dicunt, fore הראותו τὴν ἐπιφάνειαν αὐτοῦ, *adventum eius*, duplicem, priorem & posteriorem. Cæterùm Græci in memoriam fictarum suarum apparitionũ huiusmodi dies festos sæpe instituerunt, quos è re dixerunt τὰ ἐπιφάνια. Quæ appellatio è ritibus paganorum, ut alia multa, pio proposito fuit in ecclesiasticam observationem derivata. Non uno a. modo hæc vox accipitur apud veteres. Nam primitùs solẽnitas nativitatis Christi hoc nomine est appellata: postea celebritas adventus magorum, baptismi Christi in Jordane à Johanne, & mutationis aquæ in vinum in nuptiis in Canâ Galilææ. Prioris nomenclaturæ ratio hæc est. Adventus Christi in terras, tum prior in carnem, tum posterior ad iudicium, appellatur ἐπιφάνεια. De priore vide *Tit. 2. vers. 2. 2. Timoth. 1. vers. 10.* de posteriore *Tit. 2. vers. 13. 2. Timoth. 4. vers. 1. & 8. 2. Thessal. 2. vers. 8.* Jure igit. veteres Christiani, qui primò instituerunt Epiphaniorum solennitatem, diem nativitatis Christi dixerunt τὰ ἐπιφάνια: quia tunc apparuit nascendo Christus; seu, quia Filius Dei assumta humana carne, è Beata Virgine natus, mortalibus conspiciendum se præbuit. Nam ipsa nativitas dicitur illis ἐπιφάνεια: ut ex illo Suidæ videre est: Ἐπιφάνεια, ἡ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἔνσαρκος οἰκονομία, *Epiphania est Servatoris nostri incarnatio.* Intelligit nativitatem, quam sæpe appellant Patres, οἰκονομίαν, *dispensationem. Eusebius libro primo, histor.* ait, se ordiri suam scriptionem ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπιφανείας, hoc est, *à Servatoris nostri in carne apparitione.* Ita *Chrysostomomus tom. 5. homil. de baptismo* annotat è Scripturis duplicem Christi ἐπιφάνειαν, priorem & posteriorem: quâ de re paulò ante. Cæterùm dies hic Epiphaniorum erat sextus Januarii: in quẽ diem plurimæ ecclesiæ olim natalem Domini retulerũt, & baptisma: ut de Ægyptiacis

cis

cis testatur *Caßianus libr.* 10. *collationum cap.*2 de Græcis, Asiaticis, & Syris, *Epiphanius lib.* 3. ubi cis finem de orientalibus ecclesiis ait, illas non jejunare ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῶν Ἐπιφανίων, ὅτε ἐγεννήθη ἐν σαρκὶ ὁ Κύριος, *die Epiphaniorum, quando natus est in carne Dominus.* Idem dies etiam *Theophania* dictus est. *Isidorus Pelusiota libr.* 3. *epist.* 110. τὰ θεοφάνια, ἡ τοῦ Σωτῆρος κατὰ σάρκα γέννησις, h. e. *Theophania, Servatoris secundùm carnem nativitas.* Sic *Eusebius in* 3. *de vita Constantini* speluncam nativitatis Christi appellat antrum mysticum τῆς πρώτης τοῦ Σωτῆρος ἐπιφανείας, *prima Servatoris apparitionis. Gregorius* denique *Nazianzenus orat.* 20. *&* 38. promiscuè appellat *Epiphania, Theophania, & Genethlia.* Ex his patet, ecclesiam Constantinopolitanam hoc nomine appellasse natalem Domini. At non multò pòst illa ipsa ecclesia, edocta à Romana, natalem Christi cœpit celebrare die 25. Decembris. Ab illo tempore remansit quidem appellatio Epiphaniorum diei sextæ Januarii: sed causa appellationis aliter quàm antè reddi cœpit. Nam qui dies priùs colebatur ut natalis Domini, postea cultus est ut baptismum ejus, & Magorum adventum, & denique primum in Cana miraculum repræsentans: quæ tria eadem die, sed annis diversis putabant facta, *Eucherius Lugdunensis homil. in vigilia S. Andreæ, & Petrus Chrysologus serm.* 157. Verùm ex his tribus causis præcipuè celebrata est Magorum historia. Ex his efficitur, quadruplicem Christi ἐπιφάνειαν nomine Epiphaniorum significari. 1. diem nativitatis Christi, qua Christus ἐπιφάνη in carne. Quò pertinet illud Epiphanii, ἡ ἡμέρα τῶν Ἐπιφανίων ἐστὶν ἡμέρα τῆς Χριστοῦ γεννήσεως κατὰ σάρκα. 2. 3. & 4. diem, quo recolitur memoria baptismi Christi, adventus Magorum, & primi miraculi in Cana. Nam in baptismo ἐπεφάνη, h. e. *innotuit*, cœlesti voce, ut docet Chrysostomus, cùm antea quasi lateret omnibus incognitus, atque adeo ipsi ejus prodromo, Johanni Baptistæ: & stella ἐπιφάσει, hoc est, *apparitione*, suâ Christum designavit Magis: & denique Christus ἐπεφάνη, *innotuit*, per primum miraculum in Cana. Hîc incidit quæstio, quomodo intelligendum sit illud *Hieronymi lib.* 1. *comment. in Ezechielem*: Epiphaniorum dies hucusque venerabilis est (non ut quidam putant, natalis in carne; tunc enim absconditus est, & non apparuit) quod huic tempori congruit, quando dictum est: Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui. His verbis negat Hieronymus, Epiphania dici posse nativitatis diem, qnia tum Christus latuerit. Sed errat. Nam in Scripturis, & apud Græcos Patres voces φανῆναι, ἐπιφανῆναι, & ἐπιφάνεια, hoc est, *apparere & apparitio*, passim de nativitate Christi usurpantur, ut paulò antè probavimus. Clarissima sunt verba Nazianzeni, præceptoris Hieronymi, ἐφάνη Θεὸς ἀνθρώποις διὰ γεννήσεως, *Apparuit Deus hominibus per nativitatem.* Siberus in Breviario author est, Nazianzenum Epiphania appellare τῶν φώτων ἡμέραν.

Episcopus. Generali nomine est inspector. Nominatim qui ab Atheniensibus in urbes suo imperio subjectas mittebantur, ut spectarent, quæ apud singulos agerentur, ἐπίσκοποι & φύλακες dicebantur. In ecclesia episcopus dicebatur, qui authoritate presbyteris anteponebatur. Ita Paulus mandans Tito, ut oppidatim constituat presbyteros, ei ve-

rè ἐπισκοπὴν delegat. *Casaubonus exercit. 15. ad annales Baronii, num. 28. sic annotat:* Episcopi in singulis ecclesiis constituti, cum suis presbyteriis, & propriam sibi quisque peculiari cura, & universam omnes in commune curantes, admirabilis cujusdam Aristocratiæ speciem referebant. Nam singulos episcopos cum suis cleris ecclesias, quibus erant præpositi, in solidum curasse, neque ullum aliud supra se in terris caput agnovisse, tam certum est, quàm quod certissimum, vel ex unius B. Cypriani testimonio, ut alia nunc taceam. Hinc adeo est, quòd episcopi aliquando reperiantur *monarchæ* appellati. Et mox. Monarchiam etiam leges pro Episcopatu positam. *Hilarus Papa Rom. ad Leontium episcopum: Dilectissimo fratri Leontio Hilarus. Mirantur fraternitatem tuam ita legis catholicæ immemorem esse, ut quæque iniqua, & contra Patrum nostrorum statuta, in provincia, quæ ad monarchiam tuam pertinet, si ipse, aut non vis, aut non potes, etiam nec nos silentii tui taciturnitate permittas corrigere.* Erant & populo suæ partes, sub cujus assistentis conscientia, ut loquitur B. Cyprianus, ordinationes fiebant: in quo specimen aliquod fuit democraticæ πολιτείας. Porrò inter episcopos primis & beatis illis temporibus, ordinem fuisse, cùm scripta illorum seculorum legimus, facilè animadvertimus: dominationem fuisse, aut regium unius imperium in omnes, nusquam deprehendimus. Et omnino nullum fuisse certum est, ætate sanctissimi martyris Cypriani: qui in epistolis ad Romanos Papas (.fratres ipse appellat séper.) Cornelium & Stephanum, toties illam inculcat sententiam: Habere in ecclesiæ administratione volũtatis suæ arbitrium liberum unumquemque præpositum, sive episcopum, RATIONEM ACTUS SUI DOMINO REDDITURUM. Quin etiam administratio ecclesiarum, temporibus illis usurpata, hoc ipsum evincit planissimè. *Hæc apud Casaubonum.* Hîc non est prætereundum silentio, *in Constitutionibus Clementis lib. 8.* vocem ἀρχιερεὺς, *summus Pontifex*, non nisi de episcopis accipi. Et *libro 6. cap. 14.* verba Clementis sunt: ἐγράψαμεν ὑμῖν τὴν καθολικὴν ταύτην διδασκαλίαν, εἰς ἐπιστηριγμὸν ὑμῶν, τῶν τὴν καθολικὴν ἐπισκοπὴν πεπιστευμένων, *Scripsimus vobis hanc catholicam, sive universalem, doctrinam, ut confirmemini vos, quorum fides episcopatus catholicus, seu universalis, est commissus.* Ex quibus verbis ὀφθαλμοφανῶς colligere est, omnibus episcopis, aliqua saltem ex parte, curam universalis Ecclesiæ convenire.

Ἐπιούσιος. Plerique veterum Patrum, ut *Tertullianus de oratione, Ambrosius lib. 5. de sacramentis, Cyrillus Hierosolymitanus oratione mystagogicâ 5. Augustinus epist. 121. & sæpiùs alibi, Isidorus Hispalensis de offic. eccles. lib. 1. cap. 18.* itemque alii plures, panem ἐπιούσιον, cujus fit mentio in orat. Domin. interpretantur de eucharistia. Et Græci quidem Patres rationem nominis hanc reddiderunt, quòd panis ille mysticus fulciat οὐσίαν, *substantiam animæ & corporis.* Sed interpretatio illa est minùs solida. Nam panis ἐπιούσιος ibi significat τὰ βιωτικὰ, quæ fulciunt οὐσίαν, *substantiam*, corporis. Nisi malis derivare ab οὐσία, quatenus illa vox notat facultates hujus vitæ. *Chrysostomus homil. in orat. Domin.* ἄρτον ἐπιούσιον interpretatur, τὸν ἐπὶ τὴν οὐσίαν τοῦ σώματος διαβαίνοντα καὶ συγκροτῆσαι ταύτην δυνάμενον, *substantiam corporis*

ris permeantem, eamque colligere valentem.

Ἐπιφοίτησις τοῦ πνεύματος. *Accessus Spiritus.* Ita Cyrillus Hierosolymitanus in Mystagogicis appellat illuminationem Spiritus sancti.

Ἐπίλογοι. Hac voce utuntur Justinus & Jurisconsulti. q.d. *superdicta*, id est, verba solennia super symbolis proferri solita. *Iustinus apologia altera* narrat, malos dæmonas in Mithræ mysteriis Sacræ Eucharistiæ æmulationem quandam tradidisse, ὅτι γὰρ, ait, ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ' ἐπιλόγων τινῶν: *Panis & poculum aquæ ponitur, quando initiatur is, qui in sacris eruditur, cum superdictis quibusdam.*

Ἐποψία. Ἐπόπτης. Christianorum epopsia differt à paganica. Nam apud veteres Christianos epoptam esse valet, cognitione rerum divinarum & sacramentorum perceptione esse perfectum: ea scilicet perfectione, quæ in hac vita est parabilis. Quod eleganter Gregor. Nazianz. orat. 10. dixit, αὐτῇ τῇ πηγῇ ἐντυγχάνειν, καθαρῷ νῷ καθαρὰν τὴν ἀλήθειαν ἐποπτεύοντας *ipsum fontem adire, pura mente puram veritatem perfectè intuentes.* Vide tit. EXCOMMUNICATIO.

EQUÆ ÆGYPTI. Ut Theocritus in epithalamio Helenam comparat equo Thessalico: ita Salomon *Cant.* 1. 9. ecclesiam equabus Ægyptiis componit. Nimirum equas Thessalas reliquis omnibus præstitisse, Pythicum oraculum affirmavit. At Salomon equas Ægyptias in comparationem adduxit, quòd inde suo tempore pretiosissimæ à Judæis peterentur, ut constat ex libris Regum. Hic itaque est sensus: *Equitio juncto curribus Pharaonis comparo te, amica mea,* hoc est, similem efficio virtute Spiritus, & verbo assero te longè ampliùs præstare cæteris ornamento atque dignitate, quàm Pharaonis equitatum cæteris. Itaque non solùm ornatus sive pulchritudo ecclesiæ, sed etiam invictum ejus robur his verbis significatur.

EQUUS. In Apocalypsi *cap.* 9. est hieroglyphicum fastus & gloriæ hujus mundi: nominatim dignitatis episcopalis, qua ceu equo episcopi utuntur tanquam equites. Constat sanè equum esse animal superbum, & luxuriosum: unde Hebræis dicitur סוס, quæ vox affinitatem habet cum שיש *exultavit.* Quid itaque mirum, si episcopatus, & similia officia ecclesiastica in Papatu per equos significentur, cùm videamus Prælatos his veluti caballis vectos nihil non posse, sive tyrannis, sive fraus Simoniaca requirantur. Hæc comparatio faciliùs persuadebitur, si meminerimus per hæc equini generis προσκείμενα Centauros istos opponi CHRISTO, ejusque discipulis, qui sunt mites & humiles corde *Matth.* 11. 29. Quæ CHRISTI ejusque cultorum proprietas in tristi, laboriosa & abjecta asinorum conditione expressa fuit, quando CHRISTUS asino vectus intravit urbem *Matth.* 21. Sanè usus est ministerio melancholici hujus animalis, ut omnibus testatum faceret, se hac humili, servili & vili conditione tam delectari, quàm ipsius adversarius superbâ ferociâ, qua hodiè Cardinales, episcopi & reliqui prælati veluti gaudent. Ita nimirũ quæ olim pura puta ministeria erant, hodiè amplissima dominia sunt: quiq; olim in mũdo ꝓ peripsematis & catharmatis habebantur, hodiè abeo-

dem mundo, non aliter quàm ante diluvium הַנְּפִלִים, *terribiles gigantes*, adorantur.

Eremita. Est genus monachorũ, quod ab eremo appellant eremitas, q. d. viventes in solitudine. *Isidorus lib.* 17. *c.*13. Plura sunt genera monachorum. Cœnobitæ, quos in commune viventes possumus appellare. Anachoritæ sunt, qui post cœnobialem vitam deserta petunt, & soli habitant per deserta, & ab eo, quòd procul ab hominibus recesserunt, tali nomine nuncupantur. Sed anachoritæ Heliam & Johannem, cœnobitæ apostolos imitantur. Heremitæ ii sunt, qui & anachoritæ, ab hominum conspectu remoti, eremum & desertas solitudines appetentes. *Sed recta scriptura est anachoreta, & eremita.*

Euphrates. Hebræis & Chaldæis dicitur פרת i.e. umbilicus. Est enim centrum totius orbis habitabilis: idque cùm propter naturalem situm tractus Euphratei, qui nostrum hemisphærium fermè medium secat, & sic orientem ab occidente discriminat; tum propter historiam dispersionis gentium, quæ ex hoc quasi centro versus omnes mundi plagas facta est; tum denique quia ex hoc eodem centro ceu fonte gentilis illa δεισιδαιμονίας opinionumque circa doctrinam de Deo varietas occasionem sumsit, à quo eventu loco illi Babylonis appellatio inter alia obvenit. Atque hæc causa est, quòd Spiritus sanctus in prophetiis, ubi de universali orbis afflictione loquitur, Euphratem fluvium cùm finitima Babylonis regione in medium adducit, originemque rei istius epidemiæ ad Euphratem & Babylonem refert. Confer *Zach.* 5. *Apoc.* 9.14. & 16. Ubi & illud est animadvertendum, Euphratem olim fuisse limitem Romani imperii versus Orientem, sicut Ister versus Occidentem, tempore Augusti. Hinc lucem accipit quod *Apoc.* 16. dicitur, *Euphratis aquam exsiccatum iri*, id est, Orientis & Occidentis interstitium removendum esse per navigationes Lusitanorum, & profectiones Jesuitarum, ut Antichristi virus etiam trans Euphratem se diffundat in Indiam Orientalem, unde bestia hodiè præcipuum suum nervum accipit. Cæterùm *Ambrosius lib. de paradiso* ait, Euphratem dictum putari ἀπὸ τοῦ εὐφραίνεσθαι, à lætando. Schindlerus Græcum εὐφράτης ex illis vocibus הוא פרת *Gen.* 2. *v.* 14. copularis scil. vult esse factum. Quidam putant verisimilius esse, Græcos sic mutasse, præposito εὖ: tanquam vellent fertilem dicere, εὔφορον: quòd Hebræum *Perath* sit à *Parah*, fructum ferre.

Exarchus. In genere est princeps: in specie princeps eximius. Ita exarchi dicti sunt vicarii Imperatorum in Italia. Erat etiam ecclesiastica dignitas. Metropolitanorum ordines duo erant: primi ὑπέρτιμοι καὶ ἔξαρχοι, alteri tãtùm ὑπέρτιμοι scribebantur. Illi exarchi jus dicebant inter metropolitas & episcopos. Postea exarchi quoque dicti sunt chorepiscopi: sed alia ratione, quasi ex aliorũ principatu dependentes.

Erudita inscitia. Hoc ὀξύμωρον est admodum elegans in illo Josephi Scaligeri:

Ne curiosus quære causas omnium,
Quæcunque libris vis prophetarum indidit
Afflata cœlo, plena veraci Deo:
Nec operta sacri supparo silentii
Irrumpere aude, sed pudenter præteri.

Nescire

Nescire velle, quæ magister maximus
Docere non vult, erudita inscitia est.

Rectè igitur *Basilius*: Ita à Scriptura assuefacti esse debemus, ut non progrediamur speculatione ultra metas, quas Deus nobis circumdedit: δεδιδαγμένοι παρὰ τῆς γραφῆς μηδὲν ἐπιτρέπειν ἡμῶν τῷ νῷ πέρα τῶν συγκεχωρημένων φαντασιοῦσθαι. Cæterùm ut erudita inscitia in laude ponitur: sic insaniens sapientia est in vitio. Occurrit ista ὀξυμωλογία apud Buchananum:

Insanientis gens sapientiæ.

Ἔσχατος. Vulgo vertitur ultimus ratione ordinis vel temporis: cùm notet conditionem vilem & abjectam, sitque idem quod ἔφεδρος, subdititius, bestiarius, ad bestias damnatus. Sic *Matt.* 19. primi fiunt ἔσχατοι, id est, rejectitii, nulli. Et 1. *Cor.* 4. 9. dicit apostolus: δοκῶ γὰρ, ὅτι ὁ θεὸς ἡμᾶς τοὺς ἀποστόλους ἐσχάτους ἀπέδειξεν, *puto enim, quòd Deus nos apostolos tanquam abjectos posuit,* seu *bestiarios.* Qui vertunt *apostolos ultimos sive novissimos,* non possunt rationem reddere, quos appellet ultimos apostolos, & cur sic appellet. Nisi fortè per enallagen numeri se appellet *apostolum ultimum,* id est, ultimo loco à Christo vocatum: ita ut hoc nomine à quibusdam fuerit contemtus, quòd cum Christo non fuerit versatus his in terris. Verùm contextus ostendit, sermonem ibi esse de omnibus apostolis.

Esseni. Epiphanius ἰησσαίους παρὰ τὸ ἰάσασθαι putat dictos: quia legit eos ab Eusebio nominatos θεραπευτάς, quòd in nomine Jesu morbos depellerent. Itaque Esseni Epiphanio sunt ἰατροί. Et certè *Philo* author est *lib. de vita theoretica*, ipsos sanatores vel sanatrices ex origine vocis appellatos, quatenus medicinam profitebantur potiorem eâ, quæ passim per urbes exercetur. Hæc enim corpora duntaxat sanat: at ars illorum etiam animas curabat, morbis gravibus & sanatu difficilibus laborantes. Juxta Philonem itaque Esseni, seu Essæi, à sanando nomen habent. At non statim à Græco ἰάσασθαι, ut vult Epiphanius. Fuerunt enim illi secta quædam inter Judæos. Itaque potiùs ab אָסָא *sanare*, nomen sortiti fuerunt. Sed cùm Philo alibi dicat ἐσσαίους esse παρωνύμους τῆς ὁσιότητος, *Scaliger lib. 6. de emend. temp.* illos à Syriaco, patrio scil. idiomate, sic dictos putat. Ibi enim חָסַיָּא est ὅσιος. *Fullerius lib. 1. miscell. c.* 3. hæc ita conciliat, ut dicat Essæos fuisse binomines, & partim à חָסִי, partim ab אָסָא appellationem sortitos: cujus, *inquit*, vim duplicem uno & simplici solius θεραπευτοῦ nomine venustè admodum & eruditè Philo complexus est. Eo nempe loco, quem paulo citavimus ex lib. de vita theoretica. Verba Græca ita sonant: θεραπευταὶ καὶ θεραπευτρίδες ἐτύμως καλοῦνται, παρὰ ὅσον ἰατρικὴν ἐπαγγέλλονται κρείσσονα τῆς κατὰ πόλεις. *Suidas* Essæos vocat ascetas, & putat sic dictos quasi θεωρητικούς: fortè à חָזָה. Alii à עָשָׂה eos appellatos volunt, quòd, cùm viderent remp. assiduis contentionibus ab aliis perturbari, ipsi amantes modestiæ & pacis discesserint à contentiosis illis, & ostenderint, se bonis operibus, non rixis, velle Deo servire.

Essentia. Hoc nomen theologis est usitatissimum: & apud eos in doctrina de Deo significat naturam tribus personis sacrosanctæ Trinitatis communem, ita ut illæ sint ὁμοούσιοι, *coëssentiales.*

De hac voce sic ait *Augustinus de morib. Manichaeor. lib.2. c.2.* Ut nos jam novo nomine ab eo, quod est esse, vocamus essentiam, quam plerumque substantiam etiam nominamus: ita veteres, qui hæc nomina non habebant, pro essentia & substanria naturam vocabant. Cæterùm philosophi & scholastici theologi non contenti nomine essentiæ, etiam dicunt *entitatem*, generaliore sensu. Ita tres relationes divinas personales tres quidem entitates relativas, at non tres essentias relativas dicunt. Nam essentia Dei est ipsa θεότης, θειότης, μορφὴ θεοῦ, & τὸ θεῖον, adeoque est ita una numero, ut simul sit unica sive solitaria. Græci vocant ejusmodi singularia μοναδικά: uti est sol. His opponuntur singularia καθ' ἕκαστα, ut est Socrates. Hîc quæritur, Quomodo res singularis, putà essentia Dei, possit communiter pertinere ad tres singulares personas? Resp. Non statim quod ad multa pertinet, est universale: sed quod ita pertinet ad multa, ut multiplicetur ipsius essentia. Sic v.g. homo est aliquid universale; quia essentia ejus fit alia atque alia numero in Platone, Aristotele &c. Sed cùm divina essentia sit infinita, non potest fieri multiplex.

Et. In Novo testamento hæc particula habet vim copulativam, distributivam, interpretativam seu expositivam, causalem, adversativam seu discretivam, transitivam, illativam: interdum valet τότε, *tunc*, denique, quando, etiam, & quidem, καίπερ, ὥστε, μετὰ ταῦτα, καὶ οὕτως, καὶ μάλιστα, καὶ ταῦτα, ἀλλὰ καὶ, τότε γὰρ, οὕτω γὰρ, καὶ γὰρ: interdum ponitur pro δέ: interdum est nota partis vel majoris: interdum connectit diversas personas: interdum servit annectendo consequenti axiomatis enuntiativi: interdum servit conclusioni. De quibus officiis vide *Indicem* N.T. *Iohan. Piscatoris.* Ex infinitis exemplis adducamus illa, quæ ostendunt hanc conjunctionem interdum poni ἐξηγητικῶς. *Matt.* 3.11. Johannes Baptista de CHRISTO ait: *Ipse vos baptizabit Spiritu sancto & igne.* Hîc nomen ignis est vice epitheti. q.d. baptizabit vos Spiritu sancto, qui sordes animæ non aliter purgat, quàm aurum igni excoquitur. Et ita quidem epitheton metaphoricum sequitur. Præcedit autem, sive præponitur, *Iohan.* 3.5. Nisi quis genitus fuerit ex aqua & Spiritu, id est, ex Spiritu, qui tanquam aqua abluit sordes, refrigerat &c.

Etheca. Aliàs *Hectheca.* Legitur hæc vox in veteri Latina versione *Ezech.* 41. *vers.* 15. & significat deambulationem prominentem in alto extra ædificia. Vulgo appellant Antesolarium. Vox *Etheca* est formata ex Hebr. אתיק *peristylium*, id est, locus columnis clausus & undique septus.

Ethnicus. In divinis literis ethnici peculiariter dicuntur illi, qui divini cultus sunt ignari. Sic Judæi allophylos, qui non erant Judæi religione, vocabant גוים, ἔθνη. Horum descriptio est. 1. *Cor.* 12. *v.* 3. *Eph.* 2. *v.* 11. 12. Ideo ethnicus pro infideli, & irreligioso dicitur *Matth.* 18. *v.* 17.

Evangelismus. Est læta annuntiatio. In historia ecclesiæ *evangelismus* est festus dies, in quo recolitur memoria lætæ annuntiationis. Ita evangelismus Zachariæ

chariæ est, cùm Zachariæ annuntiaretur nativitas Johannis, de qua Luc. 1. Hæc solennitas in ecclesia Constantinopolitana celebratur die 27. Septembris. Postea in 23. Septembris memoria conceptionis Johannis est traducta: unde ad 24. Junii sunt præcisè dies 274. Evangelismus autem Mariæ est, cùm ei conceptio Christi per Gabrielem indicaretur: nempe sexto mense ineunte post conceptionem Johannis. *Vide Scal. g. lib. 3. canon. Isag.* 4.

EVANGELISTÆ. In N. T. fuit peculiaris ordo ministrorū evangelii, quos assumebant apostoli, ut adjutores in propagando evangelio. Talis fuit Philippus *Act.* 8. ubi ex actionibus Philippi apparet, quodnam evangelistæ munus fuerit. Dicuntur etiam peculiariter evangelistæ quatuor illi, qui historiam evangelicam descripserunt. Itaque evangelistarum alii fuerunt scriptores historiæ evangelicæ: alii ab apostolis ad evangelium unà cum ipsis prædicandum vocati, ipsos ut συνεργοὶ comitati fuerunt, nisi cum ab ipsis ad tempus certis quibusdam ecclesiis præficerentur: quales erant Barnabas, Silas, Timotheus & Titus; quibus nonnulli LXX. discipulos adnumerant.

EVANGELIUM. In genere est lætum nuntium. In specie est lætum nuntium de misericordia Dei erga peccatores, in Christo Jesu. Magis specialiter est historia nativitatis, vitæ, mortis, resurrectionis, & ascensionis Christi in cœlum: quo sensu quatuor evangelia dicimus. Ipsa quoque doctrinæ prædicatio hoc nomine intelligitur: ipse nempe εὐαγγελισμὸς, 1. Cor. 9. v. 14.

EVANGELIUM ÆTERNUM. Hac phrasi *Apocal.* 14. 6. significatur. 1. unum à conditu mundi esse evangelium, quod omnibus locis & temporibus, pro εὐδοκίᾳ DEI, sit commune, nullique temporum aut locorum injuria & alterationi obnoxium. 2. illud esse invictum, neque ulla vi labefactari posse. 3. verè antiquum. 4. nullis traditionibus & commentis humanis adulteratum.

EUCHARISTIA. In ecclesia peculiariter sic appellatur cœna Domini: item symbola ipsa, panis & vinum. Sic *Irenæus lib.* 4. *cap.* 34. Quemadmodum, *inquit*, qui est à terra panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrenâ & cœlesti: sic & corpora nostra, percipientia eucharistiam, non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. Priori loco panis vocatur eucharistia, posteriori actio tota. Vox hæc putatur apostolorum temporibus nata. Nam occurrit apud Syrum Paraphrastē, in epistola Ignatii ad Smyrnęos, apud Justinum, & omnes antiquissimos ecclesiæ scriptores. Appellatur autem hoc sacramentum εὐχαριστία, quia Christus in ejus institutione legitur gratias egisse: ubi evangelistæ uno verbo εὐχαριστεῖν plures actiones complexi sunt: videl. DEI laudationem, gratiarum actionem, precationem, & symbolorum consecrationem. Quare etiam Eucharistia omnes illas actiones designat. Non itaque rectè Isidorus, Lōbardus, Thomas, & alii Eucharistiam vertunt bonam gratiam. *Origenes contra Celsum tom.* 8. eleganter ait:

ἔστι δὲ καὶ σύμβολον ἡμῖν τῆς πρὸς τὸν θεὸν εὐχαριστίας, ἄρτος εὐχαριστία καλούμενος.

Eunuchus. Hæc vox significat eviratum. Diversorum eunuchorum fit mētio *Matth.* 19. *v.* 12. ubi agitur de iis, qui abstinent conjugio, sive ex causa naturali, sive per homines castrati, sive libero animi proposito, eò quòd possint cœlibes bona conscientia vivere. Deinde eunuchus est minister regius, nobilis aulicus, cubicularius: quia in Ægypto, Babylonia, & Persia ministri regum erant plerumque castrati, ut de fide continentiæ minùs essent suspecti. Custodiebant enim uxores regis, illisque ministrabant: vel erant pincernæ, dapiferi, cubicularii: Transiit itaque hoc vocabulum, ut fit, tractu temporis in nomen dignitatis, cùm claris muneribus domi & militiæ eunuchi fungerentur: & sic eis tandem quoque est attributum qui integri corpore erant, & conjuges, ut Potiphari *Gen.* 39, *Sic & 2. Reg.* 8. *v.* 6. *& c.* 25. *& 1. Sam.* 22. Erat quidem Judæis lege prohibita castratio: reges tamen Judææ etiam eunuchos habere solebant, aut natura tales, vel morbo & clade aliqua eviratos, vel à gentibus acceptos.

Εὐχὴ προσκομιδῆς, *Oratio oblationis.* Sic in Liturgia Basilii dicitur ista precatio sacerdotis administraturi S. cœnam: εὐδόκησον δὴ Κύριε τοῦ γενέσθαι ἡμᾶς διακόνους τῆς καινῆς σου διαθήκης, *Complaceat tibi Domine, nos fieri ministros novi testamenti.* Quibus verbis appellatione *Testamenti* non intelligitur, ut apud Paulum *2. Cor.* 3. *vers.* 6. pars utraque sacri ministerii, verbum & sacramenta: sed posterior tantùm, & quidem nominatim. S. cœna. Itaque continuò subjicitur, tam in Basiliana, quàm in ea quæ dicitur Jacobi Liturgia, λειτουργοὺς τῶν ἁγίων σου μυστηρίων, *ministros sacrorum mysteriorum*, i.e. panis & vini mystici.

Excommunicatio. In ritibus priscæ ecclesiæ duplex fuit temporum observatio planè diversa: prior circa illos, qui fieri Christiani primò cupiebant; altera circa lapsos, id est eos, qui graviore admisso aliquo peccato, commune jus fidelium amiserant; deinde pœnitentes restitui in priorem locum optabant. Quod ad priores attinet, tempora contractiora illis fuerunt præstituta. Etsi enim quinquennii tempus ordinariè adhibebatur: nulla tamen fuit istius quinquennii necessitas, modò stadium cōsuetæ exercitationis decurreretur. Nā quemadmodum gradus quidam in mysteriis paganicis servabantur: ita Patres, ut faciliùs ad veritatis amorem corruptas superstitione mentes traducerent, & verba sacrorum illorum quàmplurima in suos usus transtulerunt, & ritus etiam nonnullos ejusmodi instituerunt, ut videantur cum Paulo dicere Gentibus voluisse, ἃ ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, ταῦτα καταγγέλλομεν ὑμῖν, *quæ creditis & facitis, ut pii sitis, ea quomodo possint ac debeant verè credi & fieri, ut sitis revera pii, vos docere volumus.* Hinc inter alia est illud, quod *Dionysius cap.* 5. universam τῶν τελετῶν τὴν ἱερουργίαν, *traditionem sacramentorum*, distinguit in tres gradus sive actiones, quæ & ritibus & temporibus erant divisæ. Prima est κάθαρσις, *purgatio*, qua fiebant Catechumeni: secunda, μύησις, *initiatio*, per quam fiebant Competentes: tertia, τελείωσις, *consum-*

consummatio, per quam fiebant Epoptæ, & postea Christiani seu Fideles, quibus licebat ἐποπτεύειν τὴν κοινωνίαν *intueri communionem*, & postea eam celebrare. Rursus in admittendo initiatos quinque gradus fuerunt adhibiti: purgatio communis, purgatio interior, σύστασις, initiatio, & epoptia. Simillimè vetus ecclesia in admittendis lapsis ad sacram communionem quinque gradus servavit, sive, ut loquuntur scriptores ecclesiastici παρὰ τέσσαρας τόπους ἐπιτιμίων ἀνύεσθαι, *quatuor loca pœnæ obiri*, præcepit, antequam pervenirent ad ipsam communionem. Primus locus est, quem vocarunt πρόσκλαυσιν, q. d. *præfletum*. Nimirum in ipso primo aditu ecclesiæ separati non solùm à Fidelibus, sed etiam à Catechumenis aliquot annos (tres ut plurimùm) manebant, pœnitentes in squallore & pædore, *omnibus fidelibus deprecationis legationes injungentes*, ut loquitur Tertullianus libr. de pœnitentiâ. Proximus gradus sive locus dicebatur ἀκρόασις, *auditio*. Ibi utplurimùm ἄλλην τριετίαν εἰς ἀκρόασιν μόνον, *ad alios tres annos admittebantur*, pœnitentes, *tantùm ut audirent verbum Domini*, quando in ecclesia legebatur. His fas non fuit precibus ecclesiæ interesse. Tertius gradus sive locus dicebatur ὑπόπτωσις. Ea fuit quædam interior admissio, ubi tres alios annos stabant pœnitentes, precum ecclesiæ participes, ut & Catechumeni, quibus exeuntibus ipsi quoque exibant. Dictus autem fuit hic locus ὑπόπτωσις q. d. *humiliatio*, à verbo ὑποπίπτω, ut vel sola appellatio pœnitentes officii sui admoneret. Errat itaque Bellarminus, quando ait: *Hic locus dicebatur* ὑπόπτωσις, *quasi contemplatio rerum supernarum*. Quartus gradus sive locus est σύστασις, *statio inter fideles*. Ibi pœnitentes duos persæpe annos agebant: quod ad cætera, eiusdem conditionis cum fidelibus. Neque iam cum Catechumenis exibant, sola participatione mysteriorum cæteris fratribus inferiores. Quintus & ultimus locus erat μέθεξις, id est, ius communicandi, & ut loquitur Basilius aliquoties in descriptione harum pœnarum, ἡ κοινωνία τοῦ ἀγαθοῦ, *communicatio ipsius boni*. Nam *bonum* est ipsa eucharistia. Alii eodem sensu dixerunt ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον, *pervenire ad consummationem*, sive epoptiam. Bellarminus ultimum istũ gradum, malos secutus authores, appellat μέσωσιν *impletionem*, pro μέθεξιν, *communicationem*. Ex his patet, excommunicationem ecclesiasticam propriè opponi communicationi. Hanc enim illi habebant pro τελειώσει, *consummatione*, Christianorum. Deinde generaliùs etiam usurpatur vox ista excommunicationis. Nam quia peccatores, qui graviore aliquo & notorio peccato offenderãt ecclesiam, commune ius fidelium amiserant, ab ipso ecclesiæ visibilis corpore fuerunt separati, ac proinde non admissi ad interiorem templi partem, sed in ipso aditu stare necesse habuerunt. Denique quia impœnitentes quidam gradus illos disciplinæ neglexerunt, supremus excommunicationis gradus, qui dicitur anathema, fuit adhibitus. De omnibus hisce gradibus teneatur illud *Origenis super Leviticum, homil.* 14. *ad cap.* 24. Cùm aliquis exit à veritate, à timore Dei, à fide, à charitate, exit de castris ecclesiæ; etiamsi per Episcopi vocem minimè abjiciatur: sicut è contrario, dum aliquis non recto iudicio foràs mittitur, scilicet si non antè exierit, id est, si non egerit, ut mereretur exire, nihil lęditur. Interdum enim qui foràs mittitur,

titur intus est; & qui foris est, intus retineri videtur. His consentanea sunt quæ *Augustinus tradit serm. de remissione peccatorum:* Sicut is, quem sacerdos tolerat in ecclesia, est tamen extra ecclesiam, & extra corpus, cuius caput est Christus, si ei ostiarius non aperuerit: ita non ideo extra ecclesiam est, & non est de corpore, si quis pastoris præiudicio compellitur foris esse. *Idem ad clerum Hipponensem*: Quid obest homini, quòd ex illa tabula non vult eum recitari humana ignorantia, si de libro vivorum non eum delet iniqua conscientia. Ita *Lombardus libro quarto, sent. distinct.* 18. ait: Aliquando sacerdotes ostendunt solutos vel ligatos, qui ita non sunt apud DEUM: & pœnâ satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel solvunt, & indignos sacramentis admittunt, & dignos admitti curant. Ex his patet, excommunicationem vanam esse atque irritam, si fiat non propter certa ac manifesta & gravia peccata, quæ excommunicationem mereantur, vel propter iniuriam privatã, vel ex præcipiti & indiscreto zelo, vel adversus pios, defunctos, infideles &c.

EXOCATACOELI. Erant secretorum ecclesiasticorum præfecti. ἔξω est extra, κατάκοιλον quasi cavum dicas, secretum, cellam.

EXORCISMUS. Est ritus, quo utitur exorcista, & quidem vel extra baptismum, vel in baptismo. Utrobiq: exorcista imperat malo spiritui. Quando cœperit hic ritus adhiberi in baptismo, non est planum ex historiis. Videtur tamen post Cypriani tempora, labente paulatim magis religionis puritate & sancta simplicitate, invectus esse, eorum doctorum superstitione, qui temporaria & extraordinaria ecclesiæ primitivæ charismatã, saltem per speciem quandam retinenda putarunt; ut, donis miraculorum cessantibus, vmbras quasdam ad sui & ecclesiæ commẽdationem servarent, & baptismi authoritatem adaugerent. Fuit hoc familiare veteribus doctoribus: sed exitu infelici. Nam exorcismus (.ut alia prætereã.) pio proposito adhibitus in administratione baptismi, degeneravit successu temporis in ritum planè inanem, ecclesiæ ignominiosum, mendacem & impiũ. Nam neq; habet ullam vim, neq; ullius est gravitatis, sed infantes ecclesiæ N. T. arguit tanquam arreptitios, & in vana adjuratione abutitur nomine Dei.

EXORCISTA. Est adiurator, de quo *Isidor. lib.* 7. *c.* 12. Invocant (*.exorcistæ.*) super Catechumenos, vel super eos, qui habent spiritum immundum, nomen Domini Jesu, adjurãtes per eum, ut egrediatur ab eis. Cæterùm exorcistarum vocatio & functio fuit extraordinaria, ideoq; perperam commutata est in ordinariam.

EXTUNC. Occurrit hæc vox in vulgatâ versione Latinâ *Psal.* 93. 2. *Esa.* 16. 13. *cap.* 44. 8. *c.* 45. 21. *c.* 48. *v.* 3. 5. 6. 7. 8. Idem verò significat, quod *ab illo tempore.*

FACIES DEI. Sic appellatur majestas Dei. Est autem, ut in Scholis loquimur, facies Dei alia intentissima, alia intenta seu remissa. Illa à nullà creaturà videri potest: hæc secus se habet. Constat enim Deum se præbuisse videndum secundùm varios gradus gloriæ externæ sibi appropriatæ *Exod.* 24. *v.* 16. & 33. *v.* 18. 19. 20. 23. *Num.* 12. *v.* 8. Constat item, nos Deum de facie ad faciem visuros in alterà vità, 1. *Corinth.* 13.

FACIO. Interdum de actu sacrificandi usurpatur apud gentiles scriptores, vulgatum

gatum Bibliotum interpretem, & Patres. Et primò quidē gentiles ita usurpant hoc verbum, ut vel simpliciter ponant, vel cū aliis conjungant. *Simpliciter*: ut apud *Varronem libr. 1. de re rust.* Quoniam Dei facientes adjuvant: priùs invocabo eos: i.e. sacrificantes. *Plautus Rud.* 3. 4. Tune legirupionem hîc nobiscum dîs facere postulas? *Cum aliis conjunctū*: ut apud *Plaut. Stich.* 2.1. Quot agnis fecerat? Illa quidem nullum sacrificavit. Sic Virgil. eclog. 3.

Cùm faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.

Ita passim legere est: *rem divinam facere, sacrificium facere, facere bidentes.* Vulgatus Bibliorum interpres hoc verbo exprimit nomen ipsum sacrificii vel holocausti: ut facere pro peccato *Lev.* 14. *v.* 19. *c.* 15. *v.* 15. *Ezech.* 45. *v.* 17. 20. 22. 23. 24. 25. *&* 46. *v.* 2. 12. 13. 14. 15. Sic & facere Pascha *Exod.* 12. *v.* 48. *Num.* 9. *Matt.* 26. *v.* 18. quod tamen ꝓpriè est ἑτοιμάζειν, *parare*, *Matth.* 18. *v.* 19. Diversę phrases faciendi, immolandi, celebrandi, leguntur *Deut.* 16. *&* 2. *Chron.* 30. Legitur etiam *facere turtures pro peccato, & in holocaustum Levit.* 15. *v.* 15. 30. *Ita Psal.* 66. *v.* 15. *Faciam* (אֶעֱשֶׂה) *boves cum hircis.* Apud Patres in tractatione de eucharistia *facere panem corpus Domini* tribuitur partim Xpo, partim eius ministro. Nam Christus panem eucharistię facit corpus suum benedicendo & sanctificando: ut in Liturgia Chrysostomi, Εὐλόγησον, ὦ δέσποτα, τὸν ἅγιον ἄρτον ποίησον τὸν ἄρτον τοῦτον τὸ τίμιον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου, *Benedicito ô Domine, sanctum panem: facito honorandum hūc panem corpus Christi tui.* Similiter in Liturgia Basilii oratur Deus, ut velit Spiritum suum immittere ἐπὶ τὰ προκείμενα δῶρα ταῦτα, καὶ εὐλογῆσαι αὐτὰ, καὶ ἁγιάσαι, καὶ ἀναδεῖξαι, *ut proposita bona & benedicat, & sansanctificet, & ostendat seu efficiat*, scil. corpus Christi. Deinde minister Christi panem facit corpus Christi pronunciādo verba institutionis in legitimo usu. Unde *Ecbertus contra Catharos serm.* 51. eleganter ait: ꝙ dicitur, sacerdotes corpus Domini facere sive conficere, quod idem sonat in laico sermone: non ita intelligimus, quòd ipsi corpus Domini quasi de novo creent, & ei essentiam dent: sed eorum facere nihil aliud ibi est, nisi quòd super illud visibile sacrificium, ꝙ in altari est, faciunt officiū suum, & dicunt orationes, & benedictiones, & statuta signa faciunt: & tum divina virtute præstatur, ut ibi sit verum corpus Domini, & verus sanguis eius, ubi priùs nihil aliud erat nisi panis & vinum. Illud ergo opus sacerdotum, ꝙ tunc agunt, tali modo loquendi designatur, ut ipsi dicātur facere corpus Domini: & est fortasse sumtus hic modus loquendi ex eo, quod Dominus tunc dicebat, *Hoc facite in meam commemorationem.* Etsi ergo Patribus sacerdos dicitur *conficere corpus Christi*, vel *sacramentum corporis Christi*: propriè tamen loquendo, non sacerdos, sed Christus ipse est, qui totum illud mysterium conficit. Oecumeni⁹ utitur verbo κατασκευάζειν, his verbis, εὐλογοῦντες κατασκευάζομεν. οἶδας ὃ λέγω, *Benedicendo conficimus: scis quid dicā.* Basilius utitur verbo ἀναδεῖξαι: quod quidam exponunt de ostensione, seu elevatione panis consecrati. Sed effectionem potiùs significat, quàm ostensionem: ita ut ἀναδεῖξαι in Liturgia Basilii (.ve. ba paulò antè citavim⁹.) id sit, quod Hieronymus, Augustinus, & alii Patres Latini dicunt, *conficere corpus Christi*, sive *sacramentum corporis Christi.* Non dissimile est verbum in eadem re apud alios Patres ἀναφαίνεσθαι, quasi dicas, repente existere, & conspiciendum se dare.

Docent

Docent enim Patres ad sacerdotis invocationem, per Spiritus sancti operationé, elementa sanctificari, sic ut quæ priùs erant tantùm panis & vinum, iam incipiant dici & esse in mysterio corpus & sanguis Christi. Propterea dicunt iidem, Christum apparere in eucharistiâ & videri, nempe oculis fidei, ut disertè exponit *Chrysostomus lib. 3. de sacerdotio*: ποιοῦσι δὲ τοῦτο πάντες διὰ τῶν ὀφθαλμῶν τῆς πίστεως, *hoc omnes faciunt* (ut videant Christũ) *per oculos fidei*. Hæc ig. est Basilii ἀνάδειξις, hoc aliorum Patrum ἀναφῆναι. *Hippolytus Martyr in libello de consummatione mundi*: τὸ τίμιον σῶμα καὶ αἷμα τοῦ Χριστοῦ ἐν ταῖς ἡμέραις οὐκ ἀναφήσεται, *non existet illis diebus pretiosum corpus & sanguis Christi*, id est, non conficietur sacramentum eucharistiæ, seu, ut ipse statim subjicit, λειτουργία σβεσθήσεται, *sacra functio extinguetur*. Sed concludamus hũc titulum. Εὐλογεῖν, εὐχαριστεῖν, ἁγιάζειν, ποιεῖν, κατασκευάζειν, ἱερουργεῖν τὸ ἅγιον σῶμα, ut in Liturgiis, vel ἱερατεύειν τὸ σῶμα Κυρίου, ut in Asceticis apud Basilium, ἀναδεικνύειν, ἀναφαίνειν, *Benedicere, sanctificare, consecrare, conficere, creare*, vel ut loquitur Augustinus apud Gratianum, de consecratione, *dist. 2. can. 72. in mysterio potentionaliter creare*, i. e, *in usum religionis assumere*, & similia vocabula pro eodem usurparunt veteres; cùm actionem sacerdotis intelligerent, per quam hoc sacramentum paratur, & res sensiles fiunt intelligibiles, vel potiùs πιστά.

Fatum. Propriè est, quod Deus in animo suo fatus est, apud se statuit & decrevit. Unde *Lipsius*: Fatum, *inquit*, est æterna Dei lux, ab æterno in æternum. Itaque hoc sensu vocabulum istud in schola theologica usurpari potest. Sed satius est hoc nomine abstinere iuxta illud *Augustini*: Quòd si quis, cùm fato omnia regi ait, divinum consilium à se fati nomine intelligi dicit, sententiam teneat, linguam corrigat. Et *Gregorius* ait: Absit à fidelium cordibus, ut fatum esse aliquid dicant. Ut à tam impiarum opinionum fœditate abesse, ita omnes voces, quæ illarum suspicionem movere aliquam possint, studiosissimè vitare debemus. Si Christiani sumus, utamur & moribus & vocibus Christianis. Et *Augustinus tract. 37. in Iohan.* ait: ô, si cor tuum fatuum non esset, non crederes fatum. Intelligunt autem illi fatum Chaldaicũ seu Mathematicum, & Stoicum: non Physicum, quod est ipsa natura, neque Theologicum, quod est providentia Dei.

Fera arundinis. *Psal. 68.* ita describitur rex Ægypti: cuius milites & duces appellantur tauri & vituli. Cur verò Ægyptus componitur arundineto? Historia sacra *Exod. 2.* itemque profana testatur, flumen alluisse regiam Pharaonis, in flumine autem illo fuisse arundinetum.

Fere. Est particula latitudinis arithmologicæ, idem valens quod circiter. Confer *Exod. 12. 37. Luc. 8. 42. c. 9. 14. 28. c. 23. 44. Act. 1. 15. c. 19. 7. Rom. 4. 19.* Itaque idem valet, quod ὡς ἐγγιστα.

Feretrum. Occurrit hæc vox in vulgata Latina versione 2. *Reg. 3. v. 31.* Junius quoque vocem istam retinet.

Feria. Feriæ sunt tempus, quo vacamus, otiamur, cessamus ab opere: inprimis dies festus, quo Dei cultui vacamus. Cur verò, inquiat aliquis, doctores ecclesiæ omnes dies hebdomadæ vocant ferias, ut feriam primam diem solis, feriam secundam diem lunæ, & sic consequenter? Adamus *Siberus in Breviario Christiano* hanc

hanc adfert rationem: Secunda feria dicitur, à Dominico altera, quam Latini diem Lunæ appellant: ad imitationem Judæorum, qui dies septidui totius ob dignitatem Sabbati, quem divino cultui consecratum religiosè colebant, communi vocabulo Sabbata & ipsa nuncupabant. In quem sensum Pharisæus apud Lucam, *Jeiuno*, inquit, *bis in Sabbato*. Sed ex *Hieronymo, & aliis veterum*, itemque ex *Iosepho Scaligero libr. 7. de emend. temp.* constat, morem hunc manasse à diebus Paschalis hebdomadis, tanquam primæ & principis in anno sacro: qui dies omnes feriati erant. Lex enim est Cõstantini M. τὰς πασχαλίας δύο ἑβδομάδας ἀπράκτους τελεῖν, τήν τε πρὸ τοῦ πάσχα, καὶ τὴν μετ' αὐτό. Quibus verbis Imperator Christianissimus non solùm hebdomadem post Pascha, sed & antecedentem excipit ab opere faciendo. Sed de posteriore hebdomade usus tantùm obtinuit. Quare cùm sex illi dies post Pascha feriati essent, & ea esset prima anni hebdomas, inde factum, ut oẽs dies septimanæ vocarent *feria*. Porrò de sex diebus feriatis post Pascha, *Cõcilii Trullani canon LXVI.* ita habet; ἀπὸ τῆς ἁγίας ἀναστασίμου χριστοῦ τοῦ θεοῦ ἡμῶν ἡμέρας, μέχρι τῆς καινῆς Κυριακῆς τὴν ὅλην ἑβδομάδα ἐν ταῖς ἁγίαις ἐκκλησίαις σχολάζειν δεῖ ἀδιαλείπτως τοὺς πιστοὺς, ἐν ψαλμοῖς καὶ ὕμνοις καὶ ᾠδαῖς πνευματικαῖς. Etiam hodiè ecclesia Antiochena Pascha vocat novum annum.

Fermentum. In divinis literis dicitur in laude & vituperatione, *Augustinus de doctrin. Christ. libr. 3 cap. 25.* nimirum propter vim augendi & corrumpendi. Etenim, licet exiguum sit, magnam etiam massam facilè calore & acrimonia sua penetrat, & eam diffundit, ac multò majorem, quàm initiò erat, efficit. Propterea *Matth. 13. vers. 33. & Luc. 13. vers. 21.* regnum Dei, id est, verbum Evangelii confertur ferměto, quoniam prædicatione immissum in unum locum, adiunctæ divinę benedictionis vigore, eum ita afficit, ut non tantùm illic ecclesia colligatur, sed ea rursus alios fœcunditate confessionis & pietatis plures alliciẽtis ex se propaget. Nimirum à parvis initiis res Christiana exorsa, paulatim in totum orbem est provecta. Sed & *Matth. 16. v. 6.* cavere nobis jubemur à fermento Pharisæorum & Scribarum, hoc est, ab eorum doctrina, quę dulcedinem veritatis acore suo corrumpit & eam putrefacit: quomodo videmus massam fermentatam, si non vi ignis edometur, in putredine perire & nulli usui esse. Quæ etiam causa est, quòd Deus in sacrificiis fermenti usum interdixit. Itaque eo significatur corruptio doctrinæ, vitæ & disciplinæ Christianæ 1. *Cor.* 11. Audiam[9] *Ambrosium in Lucam*: Sed aliud est fermentum zizaniæ, aliud tritici. Ecclesia renatũ hominem, qui est in corpore & anima & spiritu, fermento sanctificat spiritali. Sanctificatur enim corpus atque anima per gratiam spiritalem, & accipit sanctificationis augmentum, cùm per ecclesiæ velut quoddam fermentantis officium, scripturarumq; doctrinam, quę velut cęlestium collatione sermonum & ubertate concrescit, infusus toti homini atque permixtus usus inolevit, ut fiant unum etiam ipsa fermětum. *Idem*: Fit unum fermentum, quando facta carnis mortificamus. *Idem serm.* 5. fermentum dicit totam Domini passionem, & salutis nostræ symbolum. *Ibid.* Fermentum cùm sit magnitudine parvum, specie simplex, naturâ commune, tantam fortitudinem intrin-

ſecùs gerit, ut cùm reconditum fuerit in farina, ſuccus hoc totum maſſam faciat eſſe, quod ipſe eſt &c.

FESTUM. Feſta in honorem ſolius Dei ſunt inſtituenda & celebranda, & quidem ita ut ſint 1. feſta *διδακτικὰ*, quæ nos doceant & inſtituant de natura & beneficiis Dei ſingularibus. 2. ἀναμνηστικὰ, ut ad memoriam revocemus illa Dei beneficia. 3. εὐχαριστικὰ, ut omnipotenti & immortali Deo gratias, quantas maximas animus noſter capere poteſt, agamus & perſolvamus: 4. εὐκτικὰ, ut Deum ardentibus precibus invocemus & exoremus.

FIDELIS. Deus fidelis dicitur, id eſt, verax, benigniſſimè & firmiſſimè ſtans promiſſis gratuitis erga ſuos. *Deuter.* 7.9. *Pſalm.* 145.13. 1. *Theſſal.* 5.24. Deinde hæc vox tribuitur Chriſto Servatori noſtro *Hebr.* 2.17. *Apoc.* 1.5. *c.* 3.14. *cap.* 19. 11. Tertiò verbum Dei dicitur fidele, id eſt, certum, immotum, & verum. *Pſalm.* 19.8. 1. *Timoth.* 1.12. *Apocal.* 21.5. Quartò filii Dei in Chriſto dicuntur fideles, id eſt, fide promiſſam ſalutem amplectentes, & ſincero corde Deo obedientes *Nehem.* 9.8. *Ioh.* 20. 27. *Act.* 10.45. *c.* 16.1.15. 2. *Cor.* 6.15. Quintò ſervi Dei dicuntur fideles, i.e. fidi, conſtantes in veritatis & pietatis profeſſione. *Num.* 12.7. *Matth.* 25.21.23. 25. *Hebr.* 3.6. Sextò mulieres piæ dicuntur fideles in omnibus, adeoque etiam reſpectu fidei conjugalis 1. *Tim.* 3.11. Septimò res ipſæ & actiones dicuntur fideles, id eſt, firmæ, certæ, Deo addictæ &c. ut 1. *Sam* 2.35. *Pſ.* 89.38. *Eſa.* 1.21. *c.* 33.16. *cap.* 55.3. Sic itaque hæc vox uſurpatur de perſonis, rebus, & actionibus.

FIDELES. In eccleſia hæc vox ſignificat tria. 1. Chriſtianos, qui opponuntur paganis & infidelibus. 2. Electos Dei filios, qui præditi ſunt fide ſalvifica. 3. Sacramentis initiatos. Hic enim mos erat in priſca eccleſia, ut ex *Catechumenis* fierent *Competentes*, & ex his *Fideles*. Vide titul. INITIATI.

FIDES. Frequens eſt diſtinctio fidei in hiſtoricam, temporariam, miraculoſam, & ſalvificam. *Hiſtorica* eſt aſſenſum præbere hiſtoriæ ſacræ, & omninò verbo Dei, quòd ſit verum. Ea aliquando in hominibus conjuncta eſt cum aliqua cordis lætitia & morum mutatione: & tum dicitur *temporaria*, πρόσκαιρος. Vide *Matth.* 13. *v.* 21. *Luc.* 18. *v.* 13. *Marc.* 6. *v.* 30. *Hebr.* 6. *v.* 4.5. Fides *miraculorum* eſt, qua quis ex peculiari promiſſione certus eſt de miraculoſo quodam evẽtu per miniſterium ſuũ edendo. Fides *ſalvifica* eſt, aſſentiri evangelicis promiſſionibus, factis in Chriſto, & eius merita ſpecialiter amplecti. Ea eſt prima virtutum theologicarũ, quas vocant, quæq; jungũtur 1. *Cor.* 13. *v.* 3 0. 1. *Theſſ.* 1. *v.* 3. *&* 5. *v.* 8. de quibus Auguſtinus ſuũ ad Laurentium enchiridion cõfecit. Cæterùm fides ſalvifica facit ut recipiamus teſtimonium Chriſti, atque ita obſignemus, ꝙ Deus ſit verax *Ioh.* 3 *v.* 33. ad quem locum Auguſtinus: *Accipe, & ſignas, præſumenter intelligis, definienter intelligis, quia Deus eſt verax.* Nempe qui ad *Amen* Dei docentis addit ſuum *Amen* diſcendo, is Dei veritatem obſignat: & affirmat, quod dignũ eſt: 1. *Tim.* 1. *v.* 15. & ſibi applicat beneficia Chriſti cum Apoſtolo *Gal.* 2. *v.* 20. Ut incredulitas fuit initium defectionis & averſionis à Deo: ita hæc fides origo eſt reverſionis ad eundem, juxta illud *Siracidæ* *c.* 25. *v.* 16 φόβος κυρίου ἀρχὴ ἀγαπήσεως αὐτοῦ. πίστις δὲ ἀρχὴ κολλήσεως αὐτοῦ. *Timor Domini eſt initium dilectionis eius: fides autem*

est initium agglutinationis cum eo. Hæc porrò fides donum est Dei, juxta illud *August. lib. de spiritu & literà c.* 34. Quando Deus agit cum anima rationali, ut ei credat (. neq; n. credere pōt quolibet libero arbitrio, si nulla sit suasio vel vocatio, cui credat.) profectò & ipsum velle credere Deus operatur in homine, & in omnib. eius misericordia prævenit nos. Sed paulò altiùs repetamus significationes hujus tituli. In Concordantiis Latinis vulgatæ versionis cōmemorantur duo & viginti significata, hoc ordine. 1. Fides Dei primū constantiam & veritatem Dei in dictis & factis significat. 2. Fides Dei, certitudo judiciorū eius. 3. Certitudo potentiæ Dei. 4. Certa & immota Dei de suorū salute volūtas & constitutio. 5. Præsentiæ Dei nota. Secūdò fides Christianæ religionis axiomata & prima capita significat. Tertiò Evangelii doctrinam. 4. pro Evangelii & justitiæ annunciatæ per Evangelium patefactione. 5. pro Dei in Christo seu mysteriorū fidei cognitione. 6. plena manifestatio eorum, q̄ olim sub ceremoniarum obscuritate latebant. 7. Evangelicæ doctrinæ constans & sincera professio. 8. fides, Christum Salvatorē amplectens, salutaris & justificans. 9. promissionis gratiosæ & divinæ virtutis in Christo ante & post manifestationē in carne patefactæ, apprehēsio. 10. declaratio omnibus facta de Christo. 11. fides historica. 12. fides miraculorum. 13. pietatis studium. 14. sapiētiæ veræ, seu doctrinæ Evangelicæ, certa & exacta cognitio. 15. Christianæ libertatis cognitio. 16. Conscientia per Evangelii doctrinā confirmata. 17. Professio mysterii circa pauperes & ægrotos curādos. 18. Cōstantia & veritas in dictis & factis; probitas, fidelitas, vitæ integritas. Loca Scripturæ vide in ipsis Concordantiis. Porrò fides alia est, quæ creditur; alia, quà creditur. Illa est ipsum Dei verbum, eiusque professio: hæc est habitus, isque vel acquisitus, vel infusus. Deinde fides miraculorum est activa, vel passiva. Illa est peculiare Dei donum, quo quis credit se divinà potentià aliquid miraculosè operaturum: hæc, quà quis statuit se participem fore beneficiorum singulariū, quę per miracula promissione Dei contingunt. Exemplum prioris est 1. *Corint.* 13. 2. posterioris, *Act.* 14. 9.

FIDUCIA. Est actus fidentis, & vulgo describitur quòd sit *spes roborata ex aliquâ firmâ opinione seu notitiâ.* Ita ergo fiducia ex fide oritur. *Eph.* 3. *v.* 12. A fiduciâ vetus Bibliorum interpres formavit ad verbum *fiducialiter. Prover* 3. *v.* 23. *Esa.* 12. *v.* 2. & 14. *v.* 30. *Hos.* 2. *v.* 18. *Act.* 9. *v.* 29. & 14. *v.* 3. & 18. *vers.* 26.

FILIUS. Hæc vox accipitur physicè, hyperphysicè & politicè. *Physicè* significat 1. eū, qui ex viro & muliere, aut in legitimo conjugio, aut extra conjugium, natus est. 2. pullum vel fœtū bestiæ: ut *Prov* 30. 17. filii aquilæ *Ps.* 29. 1. filii arietum. *Hiperphysicè* significat 1. filium Dei æternū, Jesum Christum. 2. filium hominis, sive Mariæ, i.e. eundem Jesum Christum, quatenus cōceptus est ex Spiritu S. & natus ex Maria virgine. 3. angelos & homines, quatenus sunt filii Dei jure creationis. 4. angelos bonos & hōes electos, q̨ sunt filii Dei jure adoptionis. *Politicè* sive civiliter filii prophetarum dicūtur pro discipulis illorū: filii sponsi, pro amicis spōsi: item filius pro eo, qui est loco filii &c. Exēpla harū significationū & similiū vide in Cōcordantiis Latinis vulgatæ versionis. Alii sic digerūt significationes huius vocis. Filius

 signi-

ſignificat 1. homines mortales corruptos. 2. res inanimatas. 3. Filium Dei naturalem & unigenitũ. 4. Vera eccleſiæ membra. 5. Varia accidentia hominum: ut filius captivitatis, perditionis, mortis &c.

Filialis. Eſt vox theologis crebra: ut cùm timor Dei dicitur eſſe filialis, vel ſervilis; fiducia filialis &c. Notatur autẽ hac voce affectus tenerrim⁹, quo electi complectuntur Deum Patrem in Chriſto per Spiritum ſanctum.

Filii hominis. Hebr. *Benè adám.* Sunt plebeji, *οἱ πολλοὶ*, der gemeine Hauff Filii viri, *Benè Iſch*, ſunt *οἱ ἐν ἀξιώματι*, qui ſupra vulgus eminent.

Filii olei. Sic appellantur duæ oleæ, quæ lychnuchum ſanctuarii ab utroque latere cingũt. *Zach.* 4. Per duas illas oleas ſecundùm primam literæ intentionem intelliguntur Jehoſua ſacerdos, & Zorobabel dux: allegoricè, omnes pii, qua de re vide titul. Templum. Hîc illud ſolùm obſerva, oleum apud Hebræos appellationem habere à limpitudine & ſplendoris tralucentis claritate. Unde iidem tempus meridianum צהרים vocant, q. d. duplicatum ſplendorem. Ex quo intelligere eſt, cur oleum in ſacris doctrinæ Evangelii typum gerat: non ſolùm, quia vim habet mitigandi, quam ob cauſam legi opponitur, ſed etiam quia clarum eſt, perſpicuum, incontaminatum, & à fœcibus humanarum traditionum liberum. Qua ratione fit, ut teſtes veritatis omne ſuum officium ex hoc elegantiſſimo typo diſcere poſſint: quod in eo primùm eſt poſitum, ut coram lychnucho ſanctuarii (qui eſt Dei verbum) fideliter excubent, operã dantes ſedulò, ne cãdela ei⁹ extinguat, ſed affuſo jugiter oleo intra ſacrariũ luceat. Deinde ipſorum partes ſunt, conſcientias à diabolo & Antichriſto ſauciatas oleo lætitiæ perfundere atque erigere. Author Concordantiarum Lat. vulg. verſ. ait: Filii oleæ *Zach* 4.14. ſunt arbores myſticæ, dona Spiritus ſancti repræſentantes.

Filia. Hâc voce ſignificantur varia: ut 1. homines fœminei ſexus. 2. oppidula, pagi & villæ. 3. varia accidentia: ut filia regis eſt uxor Salomonis, filia Pharaonis, eccleſiæ typus: filiæ regum, ſunt heroinæ, pediſſequæ uxoris Salomonis, typi membrorum eccleſiæ: filia Jeruſalem, eſt urbs ipſa: filiæ Jeruſalem & Sion, ſunt virgines Hieroſolymitanæ, typi fidelium & ſanctarum animarum: filiæ Dei & eccleſiæ, ſunt ſancti homines: filia Juda, eſt ipſa Judæa: filia Sion, literaliter eſt Jeruſalem, allegoricè eccleſia militans, anagogicè eccleſia triumphans.

Filius hominis. Hæc phraſis nos terrenæ & pudendæ originis, ſi præſertim cum illis cœleſtibus ſpiritibus cõferamur, admonet. Unde Chriſtus appellatione hâc de ſeipſo in ſtatu exinanitionis frequenter vtitur, ut teſtetur, ſe revera, non angeli aut cœleſtis alicuius creaturæ, ſed hominis de humo oriundi, & quidem virorum contemtiſſimi contemtam & deſpicabilem formam aſſumſiſſe. Sic *Dan.* 8.17. angelus Danielem hoc titulo compellat.

Finis legis. *Rom.* 10. *verſ.* 4. ait Apoſtolus: *Finis legis eſt Chriſtus ad ſalutem cuivis credenti*: hoc eſt, Deus legem ſuam homini lapſo tulit, ut per eam adigatur & adducatur ad Christum, & in eum credens impleat legem. Rectè itaque Hieronymus ad illa verba adnotat: *Talis eſt ille, qui in Chriſtum credidit,*

dic,

die, qua credidit, qualis ille, qui universam legem implevit, Haymo sic ait: Christus dicitur esse finis legis, non consumtio, sed completio & consummatio legis & prophetarum ad justitiam omni credenti. Completio legis & prophetarum ipse est, quia omnia, quæ lex & prophetæ, verbis & mysteriis de ipso prædixerant, per seipsum complevit: unde pendens in cruce ait, Consummatum est. Quod qui credit & confitetur, justificatur, si tamen opera digna fide fecerit. Potest etiam huc referri illud *Augustini tract.* 10. *in epist.* 1. *Iohan.* Nolite putare consumtionem, sed consummationem. Nimirum est finis consumens, & est finis consummans.

FIRMAMENTUM. Hæc vox inter alia in vulgata versione Latina significat cœlum. Hebraica vox est רָקִיעַ, expansum. LXX. verterunt στερέωμα: quos secutus est vulgatus interpres. *Gen.* 1. *v.* 6. 7. 8. 14. 17. 20. *Psal.* 19. 2. *&* 150. 1. *Ezech.* 1. *v.* 22. 23. 25. 26. *c.* 10. 1. *Dan.* 12. 3.

FOCARIA. Hæc vox occurrit in vulgata versione 1. *Sam.* 8. 13. pro coqua.

FOEDUS. Antiquissima pangendorum fœderum ratio hæc fuit. Victimæ cædebantur, & cæsæ sacrificabantur, ut indicarent, se pangendi fœderis Deum testem invocare, & optare, ut iis, qui primus illud frangat, ad eundem modum divinitùs excindatur. Hoc enim sibi vult Hebraicum בָּרַת, utpote quod significat *excindere, eradicare*, & usitatè adhibetur de fœderum percussione. Ad quem ritum David *Psal.* 50. 5. respicit, quando dicit: *Congregate mihi sanctos meos, qui fœdus meum percutiunt super sacrificio.* Et huc etiam spectat Mosis illud *Exod.* 24. 5. 6. 7. 8. Cæterùm Hebræi fœdus appellant בְּרִית: quæ vox à clavigatione videtur nomen habere. Nam descendit à radice בָּרַר *purus & clarus fuit*, sive à בָּרָה, quod significatione sua ad illam priorem accedit. Judæi vulgo Germanicè hanc vocem interpretantur verſicherung/ *Assecuratio.* Augustissima ejus significatio est, indicare pactũ illud, quod Deus inde à conditu rerum cum genere humano post lapsum interventu promissi seminis mulieris pepigit. Aliâs eadem vox generaliter & synecdochicè pro ipsa religione, externoque ejus cultu usurpatur, *Dan.* 11. 28. *&* 30. LXX. Interpretes vocem בְּרִית vertunt διαθήκην, quæ vox propriè est testamentum. Ratio versionis proculdubio est; quia oeconomia fœderis gratuiti inter Deum & hominem est testamentaria. Habemus enim hîc testatorem, institutionem hæredis, & bonum legatum. Aliâs fœdus Græcis propriè est συνθήκη.

FORIS ESSE. In divinis est esse extra domum Dei, quæ est ecclesia, *Marc.* 4. *v.* 11. 1. *Cor.* 5. *v.* 12. 2. *Cor.* 5. *v.* 13. *Col.* 4. *v.* 5. 1. *Thess.* 4. *v.* 12. οἱ ἔξω, qui foris sunt. Opponuntur illis οἱ ἔσω, qui intus sunt. 1. *Timoth.* 3. *v.* 7.

FORMA DEI. Hæc nihil est aliud quàm ipsa deitas, sicut forma servi est humanitas seu natura humana. *Phil.* 2. Hâc de re notentur illa Patrum dicta. *Basilius Magnus lib.* 1. *adversus Eunomium* ait: Ego in forma Dei esse, idem valere sentio, atque in essentia Dei esse. Sicut enim formam servi assumsisse, in essentia humanæ naturæ Dominum nostrum natum esse significat: sic cùm dicit, iu forma Dei esse, divinæ essentiæ proprietatem penitùs declarat. *Chrysostomus in epistolam ad Philippenses, homilia* 6. ait: Forma servi, estne energia servi, an natura servi? Omninò

certè natura servi. Igitur & forma Dei natura Dei est: non ergò energia. Et *paulò post*: Dic mihi, quid est quòd formam servi accepit? Homo factus est, inquis. Igitur & cùm in forma Dei esset, Deus erat. Nam & hîc & illîc nomen formæ ponitur. Si hoc verum, certè & illud: Forma servi est naturà homo: ergo etiam forma Dei, naturà est Deus. *Ambrosius libro 7. epist.* 47. ita scribit: Quid est in forma Dei? In natura Dei. Sunt enim, ait apostolus, qui non sunt naturà dii. Quæro, quid sit, formam servi accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ & conditionis, ut dixi, humanæ, ut esset in hominum similitudine. Audiamus etiam *Augustinum tomo* 10. *sermone* 58. *de verbis Domini*: Hæc est enim forma servi, in qua Filius Dei minor est non Patre solo, sed etiam Spiritu sancto. Neque id tantùm, sed etiam seipso, quia ipse in forma Dei major est seipso. Sed alii hæc tria μορφὴν, ὁμοίωμα, καὶ σχῆμα *formam, similitudinem, & figuram*, eodem sensu accipi volunt: tanquam illic conditio & status, non verò natura, per formam intelligatur; veruntamen ita, ut cum statu ipsa divina essentia & humana sit conjuncta. Et sanè Syrus pro μορφὴ habet דְמוּתָא *similitudo*. Athanasius in Ps. 67. ita exponit: καὶ ὁ τῆς δικαιοσύνης ἥλιος μορφὴν δούλου λαβὼν, καὶ τὰς ἀκτῖνας τῆς αὐτοῦ ὥσπερ συστείλας θεότητος, καὶ καταδὺς ἐν τῷ σώματι ἢ καὶ ἐν αὐτῷ τῷ θανάτῳ τὸ κατακεχυμένον τῶν ἀνθρωπείων ψυχῶν σκότος ἀπήλασε. πλὴν εἰ καὶ τῆς ἡμετέρας ἐπέβη πτωχείας καὶ τὴν οἰκείαν οἰκονομικῶς συνεσκίασε δόξαν, τὴν εἰς ἀνθρώπους ποιησάμενος πάροδον καὶ τὴν ἔνσαρκον ἐνδημίαν. ἀλλ' οὖν κύριος ὄνομα αὐτῷ. καὶ γὰρ ἄνθρωπος γεγονὼς οὐκ ἀπέβαλε τὸ εἶναι θεός: *Et sol quoque ille justitiæ formam servi suscipiens, ac radios deitatis suæ quasi subducens, deque cœlo descendens, in corpore, imò verò etiam in ipsa morte, sustulit tenebras hominum animis offusas. Et licet in nostram venerit paupertatem, propriamque gloriam dispensativè umbra quodammodo obscurarit, cùm ad homines descenderet, ac carnem inhabitare cœpisset: nihilominus tamen Dominus est nomen ipsi. Nam etiam homo factus non desiit esse Deus.*

FORNICATIO. Vox est in veteri Bibliorũ interprete & ecclesiasticis scriptoribus frequẽs, tum de corporali scortatione, tum de spirituali, hoc est, idololatria & omninò defectione à Deo, cum quo ecclesia habet spirituale quoddam conjugium in fœdere. Cùm alibi tum creberrimè legitur in Ezechiele *cap.* 16. 20. 23. & Hosea *c.* 1. 2. 3. 4. & 1. Cor. 5. *Vetus Dictionarium* hæc habet: Ponitur etiã fornicari pro negotiari, quòd multotiens negotiatores spiritualiter fornicantur: quia ex cupiditate lucrandi fraudem & usuram committunt, & sic anima à suo vero sponso Jesu Christo separatur per mortale peccatum. Et sic sumitur *Esa.* 23. Post septuaginta annos visitabit Dominus Tyrum, & reducet eam ad merces suas, & rursum fornicabitur cum regnis universæ terræ. *Glos.* Fornicabitur, id est, negotiabitur, sicut antè. Alii tamen hunc locum accipiunt de reditu Tyri ad peccata sua.

FORTUNA. Primò significat rem nempe eventum fortuitum seu inopinatum, aliàs felicem, aliàs infelicem: deinde bona, quæ hominibus occulta ratione sæpe obveniunt: postremò deam, quæ fingebatur hujusmodi eventus gubernare. Atque hinc factum, quòd hæc vox Christianis dicatur esse inter eas, quæ potiùs fugiendæ

giendæ ſunt, quàm uſurpandæ: licet idolum gentile nullũ intelligamus. Hinc *Auguſtinus initio Retractionum* ita ſcribit: In eiſdem tribus libris non mihi placet, toties me appellaſſe *fortunam:* quamvis non aliquã deam voluerim hoc nomine intelligi, ſed fortuitum rerum eventũ, vel in corporis noſtri vel in externis bonis aut malis. Unde & illa verba, q̃ nulla religio dicere ꝓhibet, *fortè forſan, forſitã, fortaſſe fortuitò*: quod totum tamen ad divinam revocandũ eſt providentiã. Hoc etiam ibi nõ tacui dicens: Etenim fortaſſe, quę vulgo Fortuna nominat̃, occulto quodã ordine regitur, nihilq; aliud in rebus caſum vocamus, niſi cujus ratio & cauſa ſecreta eſt. Dixi quidem hoc: veruntamẽ pœnitet me ſic illic nominaſſe fortunam, cùm videam homines habere in peſſima conſuetudine, & ubi dici debet, *Hoc Deus voluit*, dicere, *Hoc voluit Fortuna.*

FRACTIO PANIS. Frangere eſt continuitatẽ corporis ſolvere, ꝙ uno verbo dicunt diſcontinuare: id ꝙ fit diſcerpendo manibus, ſecando, ſcindẽdo, diffindẽdo, collidendo, conterendo. Hinc *Ariſt.* 4. *meteor.* 9. Κάταξις μὲν ἐστιν εἰς μεγάλα μέρη διαίρεσις ἢ χωρισμός: *Fractio quidem eſt in magnas partes diviſio & ſeparatio*, h. e. nõ adeo minutas, quales fiunt in friatione, q̃ ibi opponit fractioni. Ex his patet, corpus Chriſti revera fuiſſe fractum, i. e. diſcontinuatũ. Unde & apoſtolus 1. *Cor.* 11. diſertis verbis ait, corpus Chriſti fractum eſſe. Nimirũ non ſolùm anima fracta eſt doloribus, & tandem à corpore defracta: ſed etiã corpus ejus eſt vulneratum, adeoq; diſcontinuatum, & proinde fractũ. Hujus fractionis ſymbolum eſt κλάσις ἄρτου, *fractio panis*, q̃ Chriſtus adhibuit in S. cœna: quamq; Paulus, ut circumſtãtiam apprimè ad rem facientem, iiſdem, quibus Matthæus, Marcus, & Lucas, verbis expreſſit. Inde apud Patres κλᾶν ἄρτον, & κλάσις ἄρτου, *frangere panem, & fractio panis*, de celebratione Euchariſtiæ. Et ſunt tam è veteribus quàm è recentioribus, qui de ſacramẽto hoc interpretent̃ verba Lucæ, & in evangelio *c.* 24. *v.* 35 & in Actis *c.* 2. *v.* 42. & 20. *v.* 7. Syrus quidem interpres in utroque Actorum loco, ipſam vocem Græcam *Euchariſtia* in paraphraſi uſurpavit. Cur verò tota Euchariſtia nomẽ ſortita eſt à fractione panis? Hebræi uſitatiſſima locutione de cibum ſumentibus dicunt *frangere panem*; & *frangere panem cum aliquo* eſt συνδειπνεῖν. Nimirum ut Græci à parte altera, potu nempe, totam actionem appellarunt συμπόσιον: ſic Hebræi ab eſu & fractione panis totũ convivium denotarunt. Quare ut vulgare conviviũ, ita ſacrum illud à Chriſto inſtitutũ, rectè appellatur fractio panis. *Ignatius in epiſtola ad Epheſios*: ἕνα ἄρτον κλῶντες, ὅ ἐστι φάρμακον ἀθανασίας ἀντίδοτος τοῦ μὴ θανεῖν, *Unum panem frangentes, quod eſt medicamentum immortalitatis, remedium, quod datur contra mortem.* Hîc *frangere panem*, eſt celebrare communionem. *Idem epiſt. ad Philadelph.* εἷς ἄρτος τοῖς πᾶσιν ἐθρύφθη, *Unus panis* (ſcil. in Euchariſtia.) *omnibus comminutus* eſt. Nam θρύπτεσθαι propriè de iis uſurpatur, quæ in partes minutas franguntur. Ex quo videtur intelligi, partes, quæ ſingulis fidelibus præbebant̃, fuiſſe valde parvas: quare etiam ſunt, qui micas vocent. *Auguſtinus* quoq; in eam rem uſus eſt verbo *comminuendi*: epiſt. 59. ad Paulinum: Cùm illud quod eſt in Domini menſa, benedicitur, & ſanctificatur, & ad diſtribuendum cõminuitur. Dicit ad *diſtribuendum.* ex quo intelligere habemus fractionem

quâ

quâ hodiè sacerdos panem frangit, non ad distribuendum (.solus enim ut plurimùm communicat.) non esse fractionem veteris ecclesiæ; neque ipsius Christi; qui fregit panem, non solùm ut passionis suæ symbolum, sed etiam ut *τὰ κλάσματα, partes fractas*, discipulis daret, tanquam symbolum mutuæ charitatis: quoniam unus panis multi sumus, ut ait apostolus. Porrò ecclesia Romana hostiam frangit in tres partes: at Gothicæ ecclesiæ, quæ Hispanias diu insederunt, morem servarunt diversum, & in partes novem hostiam diviserunt; quas certo ordine in patinâ imponebant; & cum Domini nostri in terris agentis historiam essent novem hisce nominibus complexi, *Corporatio, Nativitas, Circumcisio, Apparitio, Passio, Mors, Resurrectio, Gloria, Regnum*; fractione panis usi sunt, ad commemorandam & memoriæ altiùs imprimendam Christi historiam: novem enim partibus fractæ hostię hęc novem nomina imposuerunt: ut legitur in Liturgia, quã vocant Mosarabicam. Postremò qui phrasi *fractio panis* abutuntur ad defensionem communionis sub una specie; nõ minùs pueriliter errant, quàm si dicerent conviviis Hebræorum defuisse potum, quòd illi cibum sumentes dixerint se frangere panem: aut conviviis Græcorum defuisse panem, quòd illi convivia sua vocaverint symposia.

FRUI. UTI. Magister seutentiarum lib.1. in ipso limine, ex Augustino distinguit res in eas quibus fruendum est, & eas quibus utendum, & eas quibus utẽdum fruendum est. Sic v. g. Deus fruitur seipso, nullà verò creaturà fruitur, sed illis utitur. Nos Deo frui debemus, non uti: at aliis creaturis uti frui possumus & debemus.

FUR. Hæc vox eleganti metaphora significat avaros sacerdotes, & illorum Simoniam *Zach.* 5. 4. *Producam illud* (.execrandum volumen.) *dicit Dominus exercituum: & veniet in domum furis, & in domum pejerantis in nomine meo, & pernoctabit in illa, conficietque illam cum lignis & lapidibus suis.* Ubi per *pejerantem in nomine Dei* zelosus ille falsæ religionis zelus, quem hujusmodi hypocritæ præ se ferunt, indicatur. Porrò apud Cyprianum *furtum spirituale* dicitur, quando mutilatur cœna Domini. e. g. fractione panis, vel poculo sacro.

FUROR. Hoc nomen significat iram vehementem, sive excandescentiam, & Deo tribuitur *κατ' ἀνθρωποπάθειαν*. Ubi tenenda est regula: Affectus in Deo sunt modi supereminentes, significantes sanctum & evidentem effectum voluntatis ejus.

GABBATHA. *Ioh.* 19. *v.* 13. exponitur *λιθόστρωτον*, i. e. locus lapidibus stratus, & quidem editus, quasi dorsum habens. Nam גב Hebræis est dorsum: nisi malis derivare à גָּבַהּ elevare. Erat enim locus editior, ubi erat tribunal judicùm. Johannes dicit vocem Hebræam esse: scilicet quæ Hebræis seu Judæis illo tempore usitata erat. Post captivitatem autem Babylonicam non ampliús purè Hebraicè, sed Syriacè loquebantur. Itaque lato significatu Hebræus sermo comprehendit quoq; Syram dialectum. Hinc Nonnus ita transtulit:

——— ἐν δαπέδῳ δὲ
Γαββαθὰ παφλάζοντι Σύρῳ κικλήσκετο μύθῳ.

GABALUS.

GABALUS. Hæc vox crucem significat. Eam Nonius ex Varrone citat. *Lipsius in notis ad lib. 1. de cruce* ait: Exoticam vocem esse per me suspicabar: didici & Hebræam origine à Mart. Antonio Delrio, doctissimo & amicissimo viro. nam illis *Gab* excelsum: *Gabal*, terminus, aut rectus stipes in agris. Quid nisi tale crux, quæ erecta, & in excelso.

GABRIEL. Est nomen angeli, & significat virtutem sive robur Dei. Ratio hujus nominis inditi colligitur ex *Dan.* 8. *&* 9. item ex *Luc.* 1. ubi Deus adhibuit ministerium hujus angeli in annuntiandis ejusmodi operibus, in quibus omnipotentia, justitia & misericordia ejus præcipuè elucent. Quòd si loca ista inter se conferantur, patebit angelum istum quater fuisse à Deo adhibitum, bis in veteri, & toties in novo testamento, ad annuntiandum ea, quæ Christum & Christianos concernunt. Unde colligere licet, angelos Christo æquè & Christianis inservire. Confer *Matth.* 4. *&* *Heb.* 1.

GAZOPHYLACIUM. Erat 1. ærarium templi, in quod conjiciebantur æra ad cultus divini conservationem. 2. *Reg* 12. *v.* 10. *Marc.* 12. *v.* 41. 2. locus, in quo donaria deponi solebant. Atque ita intelligendum est illud Johan. 7. v. 20. *Hæc verba locutus est Iesus in gazophylacio.*

GEHENNA. Erat vallis prope Hierosolymam, amœna quidem illa, & Cedronis aquis rigua: sic dicta à possessore Hinnomo. *Ios.* 15. *v.* 18. *Neh.* 11. *v.* 30. In ista valle fuit locus nomine *Topheth*, ubi Judæi filios & filias suas Molocho sacrificabant, ut gentiles Saturno. Eum locum Josias polluit, & constituit, ut illuc cadavera & omninò res immundæ projicerentur, quæ ibi perpetuo igne cremabantur, ne ampliùs ad immanem crudelitatem & idololatriam adhiberetur. 2. *Reg.* 23. *v.* 10. Hinc factum est, ut *gehenna* de loco supplicii post hanc vitam sumatur. Audiamus hac de re *Hieronymum in Matth.* 10. Nomen gehennæ in veteribus libris non invenitur: sed primùm à Salvatore ponitur. Quæramus ergo, quæ sit sermonis hujus occasio. Idolũ Baal fuisse juxta Hierusalem ad radices montis Moria, in quibus Siloa fluit, non semel legimus. Hæc vallis, & parva campi planities, irrigua erat & nemorosa, plenaque deliciis, lucusque in eâ idolo consecratus erat. In tantam autẽ dementiam populus Israëliticus venerat, ut desertâ tẽpli viciniâ, ibi hostias immolaret: & rigorem religionis deliciæ vincerent; filiosq; suos dæmoniis incenderent, vel initiarent. Et appellabatur locus ille Gehennom, id est, vallis filiorũ Hennom. Hoc Regum volumen, & Paralipomenon, & Hieremias scribunt planissimè. Et comminatur Deus, se locum ipsum impleturum cadaveribus mortuorum: ut nequaquam vocetur Topheth & Baal, sed vocetur Polyandrium, id est, tumulus mortuorum. Futura ergò supplicia & pœnæ perpetuæ, quibus peccatores cruciandi sunt, hujus loci vocabulo denotantur. Duplicem autem esse gehennam, nimii ignis & frigoris, in Job planissimè legimus. *Sic Hieronymus.* In Paraphrasi Chaldaica V.T. vox גֵּיהִנָּם legitur *Psal.* 49. *v.* 11. 16. *&* 50. *v.* 21.

GENITIVUS. Omnia ferè loca inventionis Logicę notare potest in oratione. Est enim genitivus materiæ, formæ, finis, effecti, subjecti, adjuncti, totius, partis, generis, speciei &c. Vide passim in sacris: ut *aves cœli* est genitivus subjecti:

ſignum circumciſionis, eſt genitivus ſpeciei.

Gentes. Sic appellantur partim infideles (.vide ſuprà Ethnicus.) partim converſi ad fidem Chriſti: qui quidem ſic dicuntur, non ex eo, quod jam erant, ſed quod fuerant: ut *Gal.2.v.11.* de Petro, *μετὰ τῶν ἐθνῶν συνήσθιε.* Cum gentibus comedebat.

Gethsemane. Eſt locus, in quo Chriſtus ante paſſionem oravit: ſitus ad montem olivarum; in quo etiamnũ preces peragere ſtudent, ut author eſt *Euſebius*, itemq; *Hieron. de locis Hebraicis.* Nomen habet à גת, *torcular*, & שמן, *oleum*: ſic dictus à fertilitate, tanquam ubi exprimeretur pingvedo. Quæ appellatio in rem ſpiritualem optimè convenit. Sanè enim *Gethſemane* locus ille fuit, in quo ira Dei contra noſtra peccata ſponſori noſtro, tanquam in torculari poſito, expresſit grumos ſangvinis, quibus per fidem noſtram ſuſceptis nos pingveſcimus, illâ pingvedine gratiæ, de qua *Pſal.36.* Uberrimè explentur pingvedine domus tuæ, & de torrente deliciarum tuarum bibendum das eis.

Gigas Geminæ Substantiæ. In hymno Ambroſii, *Veni redemtor gentium*, hoc nomine inſignitur Chriſtus *θεάνθρωπος*, invictus Deus, & homo ſanctiſſimus,

In deitate Patri æqualis, ſed corpore matri.

Simpliciter etiam Chriſtus appellatur gigas ob robur invictum. Sic enim eſt in veteri hymno:

Genus ſuperni luminis
Proceſſit aulâ virginis,
Sponſus, redemtor, conditor,
Sua gigas eccleſiæ.

Γινώσκω, *Cognoſco.* Inter alia per ſynecdochen *σεμνολογίας* ſignificat rem habere cum muliere: Quo tropo verecundo paſſim utitur Scriptura. Ejuſdem generis ſunt *συνελθεῖν*, *congredi*; apud Evangeliſtam: & *εὔνοια ὀφειλεμένη*, *benevolentia debita*, apud Paulum. Vox *γινώσκω* eodem ſenſu occurrit apud Plutarchum in Romulo: & *notitiam habere*, apud Cæſarem lib.6. belli Gallici.

Gloria Patri. *Chronic. Reicherſp. an.368.* ſic annotat de hac formula: Damaſus p. p. clarus habetur. Hic conſtituit *Credo in unum Deum* ad miſſam cantari; & in fine cujuſque pſalmi *Gloria Patri* cantari primus invenit & conſtituit.

Glorifico. Eſt aliâs glorioſum facio ex inglorio, vel minùs glorioſo: aliâs autem eum, qui in ſe glorioſus eſt, & cauſam gloriæ habet, glorioſum agnoſco, confiteor, celebro, talem in corde & ore porto, ut eſt *1.Cor.6.v.20.* Pro verbo *glorificare* frequens eſt etiam apud Patres *clarificare.* Ita Cyprianus lib.3. ad Quirin. c.11. *Clarificate & portate Deum in corpore veſtro*: ſcil. tanquam in templo quodam ſancto, ubi habitare gaudeat.

Golgotha. *Hieronymus ex Euſebio* ſic annotat: Golgotha calvariæ locus, ubi Chriſtus crucifixus eſt: qui etiam monſtratur in Æliâ ad partem Aquilonarem montis Sion. *Nonnus* ſic tranſtulit:

Εἰσόκε χῶρον ἵκανε φαλιζομένοιο κρανίου
Ἀδὰμ πρωτογόνοιο φερώνυμον ἄντυγι κόρσης,
Γολγοθᾶ τὸν καλέεσκε Σύρων στόμα —
Donec in locum venit nominati cranii
Adam primigeni nomen ferentem ab ambitu capitis:
Golgotha quem vocabat Syrorum os.

Nempe multi veterum opinati ſunt, Adamum protoplaſtum ibi ſepultum, & ejus calvariam effluxu ſangvinis Chriſti aſperſam

aspersam esse. Sed verisimilius est, nomen fuisse ei loco ex craniis hominum, qui ibi supplicio affecti essent. Unde nata sit prior opinio vide supra ad titulum ADAM.

Γονυκλισία, seu γονυθεσία. Est genuflexio, quæ in primitiva ecclesia erat usitata in solennitatibus sacris, exceptis diebus Dominicis,& toto intervallo, quod pentecoste dicebatur. Cujus consuetudinis pleni sunt veterum libri: de geniculis adorare, præterquam die Dominica, & tota quinquagesima. *Tertullianus*: Die Dominico nefas ducimus vel de geniculis adorare. Eadem immunitate à die Paschę ad Pentecosten usque gaudemus: *Hieronymus*: Die Dominico,& per omnẽ Pentecosten nec de geniculis adorare, & jejunium solvere, multaq; quæ scripta non sunt,rationabilis sibi observatio vindicavit. *Concilium Aurelianense*: Quoniam sunt quidam in die Dominico genua flectentes, & in diebus Pentecostes, ut omnia in diversis locis consonanter observentur, placuit sancto Concilio, à Pascha usque in octavas Pentecostes stantes Domino vota persolvere. Idem docet *Epiphanius sermone catholico,& Ambrosius serm.61.* Causam hujus rei indicat *Germanus episcopus Constantinopolitanus*: τὸ μὴ κλίνειν γόνυ τῇ ἀναστασίμῳ ἡμέρᾳ τῆς ἁγίας κυριακῆς, σημαίνει τὴν τῆς καταπτώσεως ἡμῶν ἀνόρθωσιν, γενομένην διὰ τῆς τριημέρου τοῦ Χριστοῦ ἀναστάσεως. τὸ δὲ μέχρι τῆς πεντηκοστῆς μὴ κλίνειν γόνυ ἐστι, τὰς ἑπτὰ ἡμέρας μετὰ τὸ ἅγιον πάσχα, ἑπταπλουμένας κρατεῖν τῇ διακαινισίμῳ.


GRADUS REI. Gradus rei est ipsius modus,qui non variat rem ipsam. Sic lux matutina, meridiana & vespertina est eadem τῷ πράγματι, sed alia & alia τῷ τρόπῳ. Similiter V. & N. T. differunt gradu lucis & œconomiæ. Porrò *perfectio graduum* est, quando res est talis vel talis in gradu excellenti. Huic opponitur *perfectio partium*, quâ res habet partes essentiales & integrales.

GRADUS IN VITA ÆTERNA. Rectè canit Fort.

Quò labor est potior,gloria major erit.

Nimirum diversi gradus erunt in vita æterna ex sola Dei gratiæ diversa communicatione,non verò ex meritorum varietate. Erunt, inquam, isti gradus propter pulcherrimã istam varietatẽ, quam Deus in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ vult resultare ex proportione geometrica.

GRATIA. Est gratia, quæ gratis dat omnes gratias: & est gratia, quæ gratis datur. Illa est propriè χάρις, nempe misericordia Dei: hæc χάρισμα. Hac generali divisione præmissa, ita porrò partimur gratiam Dei.



Hîc diligenter oportet observare, gratiam illam Dei, quæ dicitur, gratis dans & gratum faciens, esse unam & eandem, verùm ita ut distinguatur ratione decreti & executionis. Nam eadem Dei benevolentia ab æterno & in tempore nos facit gratos, id est, acceptos Deo.

GRATIA & GRATIA SALUTARIS. Græcis Patribus nomen χάρις, & Latinis *Gratia*, ponuntur sæpe pro baptismo aut eucharistia. Sic apud Cyrillum Alexandrinum τῆς θείας χάριτος μεταλαμβάνειν *divinam gratiam participare*, & προσιέναι πρὸς τὴν οὐράνιον χάριν, *accedere ad cœlestem gratiam*: apud Optatum *venire ad gratiam*, de participatione eucharistiæ usurpantur. Sic *gratia salutaris* apud Cyprianũ; *gratia cõmunionis*, *& gratia sancta communionis*, apud Gratianum; ἡ θεία καὶ θεοποιὸς χάρις, *divina & deum efficiens gratia*, apud Simeonem Metaphrastem, sunt periphrasis S. Cœnæ. Nec minus sæpe de baptismo usurpatur. Gregorius Nazianz. orat. 40, & Chrysostomus non semel: Unum illorum, id est baptismus, est χάρισμα, *donum gratuitum*. In quarta mystagogica Cyrilli, προσέρχεσθαι τῇ χάριτι, est accedere ad baptismum. Hæ, & similes locutiones de sacramentis, Patribus usitatæ, tribus modis sunt explicandæ. Et primò quidem familiaris est Scripturæ & Patribus locutio metonymica, quæ nomina signorum & rerum significatarum invicem permutat. Nam propriè aliud sunt sacramenta, aliud gratia, *quæ sacramentorum virtus est*, ut ait Augustinus in Psal. 77. Sacramentum igitur cœnæ Domini ore accipimus & manducamus: *at gratia non consumitur morsibus*, ut ait idem tract. 27. in Johan. de sacramento Eucharistiæ disserens. Ita cùm ait Cyprianus in historia, quam narrat in libello de lapsis, *nec immerentibus ad salutem prodest, quod sumitur, quando gratia salutaris in cinerem, sanctitate fugiente, mutetur*: sacramentalis est locutio. Deinde ipsa virtus sacramenti, seu res significata, non verò symbola gratiæ, his nominibus intelligi

telligi possunt. Denique quando sacramentum ὅλως consideratur, uti constat ex signo & signato, utique respectu unionis sacramentalis hæc omnia sunt intelligenda: quatenus videl. gratia Dei vi promissionis Dei & fidei nostræ conjungitur cum ipsis symbolis.

GRATIA PRIMA & SECUNDA. Scholastici nomine gratiæ intelligunt ferè qualitatem animæ infusam, ideoque primam gratiam appellant potentiam credendi, sese cõvertendi ad Deum, & habendi justitiam, si homo velit: secundæ verò gratiæ nomine intelligunt auxilium alterius gratiæ, potentiam illam in actum educentis, sic ut homo jam actu credat, se ad Deum convertat, justitiam habeat, benè vivat & operetur. Iidem statuunt, legitimum primæ gratiæ usum mereri gratias subsequentes. Contra utrumq; errorem teneantur ista. Principiò gratia prima dicitur ambiguè. Aut enim est absolutè & simpliciter prima, quæ dicitur gratia gratum faciens, & est favor Dei paternus, quo nos in Christo complectitur: aut est prima secundùm quid & certo respectu, ita nempe, ut inter gratias gratis datas certus sit ordo, sicut una sit prima, quæ etiam dicitur præcedens, item operans; alia secunda, quæ appellatur etiam subsequens & cooperans. Deinde prima gratia apud Augustinum est vocatio ad Christum, secunda gratia est donum rectè vivendi. Sic enim ait *tom.7 libro de prædestinatione & gratia cap.*10. & 11. Prima misericordia vocatione hominibus prærogatur, eaque sola ad rectè vivendum non sufficit, si deserat, qui vocavit: secunda verò gratia est rectè vivendi donum. *Et libro de correptione & gratia* ait: Prima gratia est, quâ fit, ut habeat homo justitiam, si velit: secunda plus potest, quâ fit ut etiam velit, tantoq; ardore diligat, ut carnis voluptatem contraria concupiscentem, voluntate spiritus vincat. Porrò etsi libenter fatemur, Dominum, dum nos indies locupletat, & novis suæ gratiæ dotibus cumulat, occasionem sumere ex prioribus gratiis: tamen nequaquam concedimus, quòd legitimus usus gratiæ primæ mereatur gratiam secundam: quia & usus ille legitimus primæ gratiæ est à Deo, & accessio gratiarum à gratuita Dei benevolentia provenit. Qui prima gratia rectè utuntur, pluribus gratiis adaugentur: sed utrumque ex una & eadem paterna Dei benevolentia habent. Is enim fidelibus suis hanc benedictionem largitur, secundùm dicta: *Habenti dabitur*: item, *Euge serve bone, quia in paucis fuisti fidelis, super multa te constituam*: item, *Ex plenitudine ipsius omnes accepimus, & gratiam pro gratia.* Qui postremus locus est *Iohan.* 1. *vers.*16. & tribus modis exponitur, ita quidem, ut tres istæ expositiones possint conjungi. Verba Græca sic habent: χάριν ἀντὶ χάριτος. Particula ἀντὶ potest vert *pro, supra, & propter.* Si vertatur *pro*, hic est sensus: Accepimus à Deo gratiam pro gratia, id est, Deus compensat quasi usum gratiæ primæ seu antecedentis, donatione gratiæ secundæ sive consequentis. Deinde si vertatur *supra*, hic est sensus: Accipimus gratiam supra gratiam, ita ut gratiis Dei cumulemur. Huic simile est illud *Ro.* 1. *v.* 17. ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Denique si vertatur *propter*, hic est sensus: Accipimus gratiam propter gratiam, id est, gratiam consequentem propter rectum usum gratiæ antecedentis. Etsi enim recto usu gratiæ primæ non meremur gratiam secundam: nihilomi-

nus tamen rectus ille usus est causa impulsiva προκαταρκτικὴ, quæ Deum impellit ut augeat sua dona fidelibus. Itaque vocula *propter* hîc notat causam impulsivam, non meritoriam. Etsi verò propriè loquendo Deum ad augendum fidelibus sua dona non impellit ipsorum pietas, id est, quòd donis sibi jam datis rectè utuntur: sed omnia ipsius dona sunt merè gratuita: tamen quin istud per ἀνθρωποπάθειαν Scripturæ usitatam de Deo dicatur, nihil vetat.

Gratiarum actio. Est species precationis ad Deũ 1. *Tim.* 2. *v.* 1. ubi apostolus quatuor genera precationis recenset: δεήσεις προσευχὰς, ἐντεύξεις, εὐχαριστίας. Δέησις est petitio eorum, quibus adhuc opus est. Nam δεῖν est egere. Itaque hac oratione petimus succurri nostræ indigẽtiæ. προσευχὴ est apprecatio, qua petimus bonum, quod jam habemus, conservari, vel augeri. Ἔντευξις est intercessio pro aliis, tum ut eorum egestati Deus subveniat, tum ut eis bona sua adaugeat. Εὐχαριστία est gratiarũ actio, cùm & pro nobis, & pro aliis nos Deo εὐχαρίστους, id est, beneficiorum datorum memores exhibemus. Posset tamen ἔντευξις etiã verti supplicatio, qua ἐν τυγχάνομεν τῷ θεῷ, colloquimur cum Deo, & illi supplices simus, tum pro nobis, tum pro aliis. *Augustinus ep.* 59. *q.* 5. hunc locum apostoli accommodat ad S. Cœnam, & δέησιν, *precationem* intelligit, quæ recitatur antequam illud, quod est in mensa Domini incipiat benedici: προσευχὴν, *orationem*, cùm benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur: ἔντευξιν, *interpellationem*, cùm populus benedicitur: εὐχαριστίαν, cùm peracto sacramento gratiarum actio omnia concludit. Sed doctrina apostoli est generalis. *Bernhardus serm. de quatuor modis orandi* vocat obsecrationes, orationes, postulationes, & gratiarum actiones. *Obsecrationes* vult ejus esse, qui timens per seipsum accedere, studet quasi per alios supplicare: nondum scil. accepta virtute resistendi peccato. *Oratione* uti eum ait, qui jam continendi virtute accepta securus accedit, & pro delictis veniam quærens, jam suo ore loquitur cum Deo suo. Dehinc, *inquit*, postquam in lamentis pœnitentiæ aliquamdiu perseverans hilaritatem quandam & fiduciam conceperis indulgentiæ, accede jam ad postulationes, ut securè tanquam receptus in gratiam Domini tibi & conservis tuis audeas petere quod oportet. Quartum genus orationis, quod est gratiarum actio, perpaucos attingere credo; & quò rarius, eò pretiosius est. *Idem in sententiis*: Sicut æger ad medicum, sic esse debet peccator ad creatorem suum. Qui ergo peccator est, debet orare Deum, sicut æger medicum. Duobus autem modis impeditur oratio peccatoris: vel nullâ, vel nimia luce. Nulla luce illustratur, qui peccata sua nec videt, nec confitetur. E contrario nimia luce obruitur, qui ea tanta videt, ut de indulgentia desperet. Horum neuter orat. Quid ergò? Temperanda est lux, ut peccata sua videat peccator, & confiteatur, ac pro ipsis oret, ut remittantur. Primò ergo ejus oratio debet fieri verecundo affectu. Hoc autẽ fit, cùm necdum peccator audet per seipsum accedere ad Deum, sed quærit aliquem sanctum virum, aliquem sanctum pauperem spiritu, qui sit in orâ vestimenti Domini tanquam fimbria, per quem habeat accessum. Hujus orationis tenet typum illa evangelica mulier, quæ fluxum sangvinis

nis patiebatur, cupiensque sanari accessit, & intra se cogitavit dicens: Si tetigero fimbriam vestimenti ejus, salva ero. Secunda oratio fit duro affectu: & hoc fit, quando scil. peccator jam per seipsum accedit, & ore proprio confitetur. Talis orationis reliquit nobis exemplum illa peccatrix, quæ lachrymis rigavit pedes Domini &c. *Ex mox*: Tertia oratio effunditur amplo affectu: & hoc fit, quando is, qui pro se oraverat, orat jam pro aliis. Sic oraverunt apostoli pro muliere Cananæa, pro filia sua rogante. Quarta oratio emittitur devoto affectu, quæ de cordis puritate, sine ulla hæsitatione, cum gratiarum actione depromitur. Talem orationem fecit ipse Dominus, quando quatriduanũ de monuméto Lazarum resuscitavit, & ait: Pater gratias ago tibi, quia audisti me. Tales orationes docuit nos apostolus facere frequenter, dicens: Sine intermissione orate, in omnibus gratias agite. Has, quæ dictæ sunt quatuor orationum species, id est, verecundam, puram, amplam, devotam, nuncupat apostolus aliis nominibus, & ad eas nos hortatur dicens: Obsecro primò omniũ fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones. Nam obsecrationes verecundo, orationes puro, postulationes amplo, gratiarum actiones fiunt affectu devoto. Et hæc quidem Bernhardus piè: sed non appositè ad locum apostoli.

GRATIFICO. Hæc vox occurrit in Latina vulgata versione *Eph.* I. 6. pro *gratis acceptos mihi efficio.*

GRESSUS. Est I. corporis, ut *Iudic.* 16.26. 2. animi, ut *Psal.* 17.5. & tum significat cogitationes, affectus, opera. 3. mysticus. *Cant.* 7.1. 4. Subsidium, *Esa.* 26. 6.

GREX. Accipitur propriè pro multitudine ovium, & aliarum bestiarum minorum: vel impropriè pro ecclesia *Luc.* 12.32. item pro turba hominum *Ier.* 25. *v.* 34.35.36.

HABITO. Variis modis usurpatur in *S.* literis. I. Est idem, quod incolo domum *Gen.* 4.20. 2. Est idem, quod commoror *Psal.* 5.5. 3. Significat considere 2.*Sam.* 6.11. 4. Est idem, quod subsistere *Esa.* 33.24. 5. Est in conjugio permanere I. *Corinth.* 7.12.13. 6. Est idem quod latere *Psal.* 17.12. 7. Significat præsidere *Psal.* 29.10. 8. Est idem, quod sedere cum authoritate *Genes.* 23.10. 11. Dicitur de Deo, quatenus ecclesiæ suæ gratiosam & gloriosam præsentiam in terris variè testatur. *Exod* 24.16. 12. Usurpatur de Deo, quatenus gloriosam sedem sibi in cœlis delegit *Psal.* 2.4. 13. Dicitur de Christo in carne manifestato *Col.* 2.14. Usurpatur de ecclesia militante & triumphante. *Cant.* 8.13. *Esa.* 23.18. *Apoc.* 13.6. 15. Usurpatur de variis animalibus *Esa.* 13.21. *Psal.* 104.12. 16. Dicitur de peccato in regenitis reliquo. *Roman.* 7 *aliquoties.* 17. Dicitur de diabolo *Apoc.* 2.13. 18. Est idem, quod pacificè & commodè vivo. *Psal.* 113.9.

HABITUS. Latiori significatu est qualitas, & status qui habetur. Et ita habitus est ἔμφυτος, ἐπίκτητος, vel θεόσδοτος. Ille est vis innata, & radicatur in natura: iste acquiritur crebris actionibus: hic divinitùs datur, & radicatur in singulari gratia. Vox ista occurrit *Hebr.* 5. *vers.* 14. διὰ τὴν ἕξιν, *propter habitum*, id est, quia confirmati sunt, & soliditatem doctrinæ cœlestis in animo habẽt. Hinc patet, πολυθρύλητον illud philosophorum:

Actio sæpe iterata facit habitum: accipiendum esse de habitu acquisito. Nam unica actio divina est instar omnium actionum, quas homines diligentissimi adhibere queant. Itaque habitus supernaturales divinitùs imprimuntur, una actione vicem plurimarum supplente.

HÆRESIS & HÆRETICUS. *Hæresis* est vox media, seu indifferens: quia significat electionem, seu dogma certum, quod eligimus. Plerumque tamen in malam partem accipitur: & apud theologos specialiter significat dogma, quod adversatur fundamentis sive articulis fidei, & pertinaciter defenditur. Itaque *hæreticus* est, qui eligit sibi & sectatur doctrinam non traditam à Christo, & quidem ita ut errorem doctrinæ propheticæ & apostolicæ adversantem pertinaciter & obstinatè, contemtis omnibus admonitionibus, teneat & tueatur. Hinc *Augustinus* (*ut citatur in Iure Canonico, causa* 24. *qu.* 3. *capitulo* 31.) sic ait: Qui in ecclesia Christi morbidum aliquid pravumque sapiunt, si correpti, ut sanum rectumque sapiant, resistunt contumaciter, suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare persistunt, hæretici fiunt. Ex his Augustini verbis constat, pertinaciam esse de formali ratione hæreseos. Itaque quod dicitur *lib.*1. *Cod. tit.*5. *de hæreticis, & Manichæis, & Samaritanis*, Hæreticorum autem vocabulo continentur, & latis adversus eos sanctionibus succumbere debent, qui vel levi argumento à judicio catholicæ religionis & tramite detecti fuerint deviare: hoc, inquam, dictum de pertinaci deviatione intelligendum est: ut & illud *l.* 12. *C. de hæreticis & Manichæis*: Hæreticus est omnis non orthodoxus. Idem repetitur *lib.*18. *tit. d.* Sic *Novellâ Imperat. Iustiniani* 115. *cap.* 3. §. *Si quis*: Planum est, hæreticum esse, qui non est catholicæ fidei, nec in sacrosancta ecclesia communicat, in qua omnes beatissimi patriarchæ una conspiratione & cōcordia fidem rectissimam prædicant, & sanctas quatuor Synodos, Nicenā, Constantinopolitanam, Ephesinam primam, & Chalcedonensem amplecti noscuntur.

HAGIOGRAPHA. Ita Græci vocant libros sacros, quos Hebræi כְּתוּבִים appellant, voce generaliore speciatim accepta. Appellantur autem ita libri, qui non scripti sunt per prophetiam, sed per excitationem divini spiritus, animo, linguæ & calamo suggerentis verba confessionis & laudis. Unde à Josepho appellātur hymni & ὑποθῆκαι, id est, præceptiones vitæ *libr. contra Appionem.* Quinam porrò sint libri hagiographi, docet *Hieronymus præfat. in lib. reg.* his verbis: Fiunt pariter V.T. libri XXII. i.e. Moysi quinque, Prophetarum octo, hagiographorum novem, quanquam nonnulli Ruth & Cinoth inter hagiographa scriptitent. Hagiographa ibi dicit librum Jobi, Psalmos, Proverbia, Ecclesiasten, Canticum canticorum, Danielem, Verba dierum, id est, Paralipomenon primum & secundum, Esdrā (sub quo Nehemias intelligitur.) & Estherem. Cæterùm hi libri etiam dicuntur γραφεῖα; quæ vox propiùs exprimit Hebræam כְּתוּבִים. Quidam libros Apocryphos etiam vocāt hagiographos. Vide tit. APOCRYPHUS.

HALELUIAH. Sunt duæ voces Hebræis per ὑφ' ἕν, *unionem*, conjunctæ. Significant, *Laudate Dominum.* In principio sermonis exhortationem, in fine acclamationem notant. Occurrit hæc vox bis

& decies in Scriptura sacra. *Psal.* 104. 35. *&* 106. 1. *&* 111. 1. *&* 112. 1. *&* 113. 1. *&* 114. 1. 18. *&* 150. 5. *Apoc.* 19. 1. 3. 4. 6. Semel legitur in libris Apocryphis *Tob.* 13. 22. De hac voce Cotterius in Apoc. 19. sic adnotat: *Vox Hebraica* (. Alleluja.) *notæ significationis; quæ cùm ad laudes Dei hortetur, ipsa in laudis parte est. Dicere enim* Alleluja, *est dicere Deum laude dignum: quod qui effatur, hoc Deum laudat.* Porrò Alleluja est duplex; unum ecclesiæ militantis, de quo in Psalmis hinc inde, locis modò citatis: alterum ecclesiæ triumphantis, de quo *Apocal.* 19.

Harmageddon. Hæc vox occurrit *Apoc.* 16. pro qua Beza legit *Har-Megiddo*, quam Junius hoc scholio confirmat: Reges mysticè perhiberi in loco hoc cōgregari, ut indicetur, cladis Josiæ memoriam illorum clade quasi abolitum iri. 1. *Reg.* 9. 15. 2. *Paral.* 35. Sed non est probabile, locum esse corruptum, ita ut in omnibus exemplaribus pro *Harmageddon* positum sit *Har-Megiddo*. Deinde neque illud est probabile, Spiritum sanctum horum bestiæ patronorum interitum cum Josiæ fidelissimi Dei servi pœnitendo casu conferre, aut ecclesiæ Israeliticæ acerbum luctum cum synagogæ antichristianæ dolore & fremitu comparare voluisse. Denique locus iste in V. T. non appellatur *Har-Megiddo*, i. e. mons Megiddo, sed planities sive campus Megiddo. Alii ordine inverso legunt *Geddon-Harma*, illudque de destructa veteri Roma interpretantur, & confirmant ex *Apoc.* 18. 2. ubi Babylon dicitur facta domicilium dæmoniorum, & custodia immūdorum spirituum. Alii amplectuntur sententiam Lutheri, qui censet Hebraicè legendum esse חרמא גדון i. e. *infausta divinoque anathemati subiecta confœderatio.* q. d. sacrum bellum, **einen vnglückseligen vnd verfluchten Pfaffen Krieg.** Rationes pro hac sententia adferuntur istæ. 1. Deus hostes ecclesiæ suæ vocat עם חרמי *populum anathematis mei Esa.* 34. 5. quasi dicat, subjectū furoris mei, cōtra quod acuam gladium meum. Hinc sine dubio Johannes exsculpsit suum חרמא גדון. 2. Vox גדון est à גָּדַד, quæ vox usurpatur de instructione & dispositione exercitus in suas turmas, itemq; de excursione militari, quæ turmatim fit ex dispositis præsidiis: unde גדורים *turmæ militares*, & אגדה *fasciculus, colligatio.* Unde verisimile est, Spiritum sanctum hac voce significare Ligas & Uniones infaustas. 3. Græci ab initio solent omittere Chet & Ajin Hebræorum, ut *Actor.* 1. 19. videre est in ἀκελ δαμά. Nihil itaque mirū est, quòd idem est factum in *Harma-Geddon*. Atque hæc est sententia tertia. Quarto loco sunt, qui putant vocem hanc esse compositam ex ערמה & גדון. Significat autem ערמה *astutiam, calliditatem.* Itaque illi legunt ערמה גדון *callida & insidiosa militia seu confœderatio.* Quintò sunt, qui ad magnas Astrologorū conjunctiones hæc referunt: quia Rabbini Martem appellant גַּד, & Capricornum, Martiale signū, גַּדִּי, à גדד. Ad extremum alii גדון derivāt à גָּדַע excîdit. q. d. execrationem excisam. Ex his sententiis secunda cum ultima, & tertia cum quarta coincidit. Nos tertiam & quartam probamus, hoc ducti argumento. Sextæ phialæ catastrophe significatur hac voce Harmageddon. Ea verò posita est, non in locali aliqua congregatione quæ fiat in certo loco, sed in confœderatione, quæ fit ex multis locis, ad quam multi reges sua veluti symbola cōferent.

ferent. Hoc erit præludium septimæ & ultimæ phialæ. Nam confœderationem illam infelicem, sequetur ruina Babylonis. Hoc autem priusquam fiat, horribilis & generalis persecutio ecclesiæ excitabitur per Harmageddon, sive confœderationem sacram, quæ principes ita implicabit, ut certatim quisque suum symbolum sit collaturus ad hoc infaustum epulum. Quæ res efficiet, ut plerique sint existimaturi ruinam Babylonis esse rem impossibilem, ob arctissima fœdera & auxilia principum. Sed hîc cogitandum est illud Jeremiæ *cap. 51. vers. 53. Si Babylon ipsum cœlum conscendat, communiatque in sublimi robur suum: ex me tamen ipso venient vastatores ejus, dicit Dominus*: item istud *Apocal.* 18. 8. *Vno die hæc omnia, viduitas nēpe, luctus* &c. Nimirum idem accidet Romanensibus, quod Pharaoni *Exod.* 14. 3. Is enim, cum videret fluctuantem perturbationem Israelitarum, cōclusorum inter currus militares & præsidia sua, desertum, & mare rubrum, dicebat: *Ecce confusi & perturbati hærent in terrâ, desertumque conclusit eos.* Quę verba hodiè usurpant Romanenses de nobis ad incitas redactis.

HASIDÆI, sive ASIDÆI. Hi vulgo Pharisæis, Sadducæis, & Essenis adjunguntur, adeoque inter hæreticos & sectarios Judęorum nominantur. Sed insulsè, ut monet *Casaubonus ad annales Baronii.* Nā חֲסִידִים pii omnes, sancti, & benigni appellantur. Nominatim verò in historiâ Maccabæorum 1. *Maccab.* 7. *vers.* 13. & 14. *vers.* 6. sic dicuntur viri pii, religionis veræ retinentes. Nam cum reges vicini vexarent Judæos, & cuperent eorum religionem ipse extinctum; factæ sunt duæ populi eius partes: unam constituebant *οἱ ἀγαθοὶ καὶ ὅσιοι τοῦ ἔθνους, boni & sancti è gente*, ut eos appellat *Iosephus lib.* 12. *cap.* 17. viri pii, veræ religionis assertores: qui in libris Judæorum passim חֲסִידִים appellantur. Eam vocem author librorum Maccabaicorum retinuit, & Ἀσιδαίους dixit, propria quadam appellatione. Alteram partem populi constituebant *οἱ ἀποστήσαντες ἀπὸ τοῦ Ἰσραὴλ, qui defecerunt ab Israel*, apostatæ & legis proditores, Gorionidæ & aliis dicti פּוֹשְׁעִים מִיִּשְׂרָאֵל. Similes his sunt in antiquis Christianorum persecutionibus *Traditores & Libellatici*, apud Cyprianum, & Augustinum. At חֲסִידִים sive Asidæis proportione respondent Catholici. *Drusius præfat. libelli de Hasidæis* ita scribit: Pharisæorum appellatio recentior est. Hi antiquitùs dicebantur sapientes Israel & Hasidæi. Ex his orti Hesseni, quos autor libri Juchasin Naziræos, Gorionides compositor historiæ Ebraicæ, etiam Hasidæos vocat. Idem accidit nomini Nazaræorum. Nam primùm omnes in genere Christiani sic vocabantur. Pòst usurpatum est peculiariter de Ebionitis. Quæ secta erat Christianorum unà cum Evangelio legem observantium. Hæc Drusius.

HARMONIA EVANGELISTARUM. Vetustissima res est in ecclesia genus illud scriptionis & piæ meditationis, quæ multorum occupavit industriam, in redigendis quatuor Evangelistarum libris ad formam unius, qui omnia contineat suis locis digesta. Duæ ejus propositi sunt utilitates præcipuæ. Nam & consensus Evangelistarum hoc pacto meliùs intelligitur, & memoriæ consulitur mirificè. Primi omnium memorantur in hoc studio operam posuisse Theophilus, sextus Antio-

Antiochiæ episcopus, & Tatianus Justini æqualis & familiaris. Theophili diligentiam obscuravit Ammonius Alexandrinus, author numeralis harmoniæ è quatuor Evangeliis concinnatæ, & in 10. canones digestæ. Primus hic putatur suam lucubrationem vocasse harmoniam, utpote quæ quatuor Evangeliorum tanquam phthongorum concentum ostenderet. Qua in re imitatus est Tatianum, qui opus à se contextum appellaverat τὸ Διὰ τεσσάρων & Diapanton.

HEBDOMAS, HEBDOMADA. Est ordinaria, vel Prophetica. Illa est intervallum septem dierum: hæc, septem annorum, cuiusmodi sunt LXX. septimanæ Danielis. *Hebdomas magna*, μεγάλη ἑβδομὰς, ea dicta est apud veteres, quæ Pascha antecedebat. Ejus etiam hebdomadis quintus dies ἡ μεγάλη πεντὰς, *feria quinta magna*, dicta. Bernhardus illam hebdomadã vocat *pœnosam*: ut & nos Germani **die Marterwoch**: in qua recordamur passionum Christi, quibus redemti sumus. Ea verè magna, ut in qua mundi renovatio est acquisita. Ejus hebdomadæ ritus vide apud *Eusebium hist. eccles. l. 2. 17. & Chrysost. homil. 30. in Genes.*

HEBRAICE. In N.T. hæc vox significat linguam Hebræam tempore Christi usitatam; quæ non erat pura, sed corrupta, quippe ad Syram dialectum accedens. Confer *Iohan. 5. 2. capite 19. vers. 13. 17. 20.*


HELLENISTA. Peculiariter Hellenistæ dicebantur illi Judæi, qui Græcis Bibliis in synagogis utebantur: id quod fiebat olim per Ægyptum, Græciam, & Italiam: ut vix in mille Judæis unus reperiretur, qui Hebraicè legeret: Ægrè autem ferebant Judæi Ἑβραΐζοντες, Biblia in Græcum sermonum conversa fuisse: Propter eam interpretationem nunquam inter Hebræos & Hellenistas benè convenit: adeò ut cùm etiam ex utroque Judæorum genere Christo nomen dedissent, tamen secundùm priscam consuetudinem dissensiones inter eos orirentur. *Actor. 6. vers. 1.* Hîc ὡς ἐν παρόδῳ observa, propter interpretationem Bibliorũ Græcam inter Judæorum angarias & jejunia esse VIII. diem Tebeth. Facta est autem ista interpretatio sub Ptolemæo Philadelpho.

HENOCH. Quatuor occurrunt hoc nomine. 1. Est Henoch, filius Cain, Adami nepos, *Gen. 4. v. 17. 18.* 2. Est Henoch, filius Jared, pater Mathusalæ. *Gen. 5. v. 18. 21. 22.* 3. Est Henoch, filius Madian *1. Chron 1. 33.* 4. Est Henoch, filius Ruben *Gen. 46. 9. Num. 26. 5 1. Chron. 5. 3.*

HEPTATEUCHUS. Est volumen septem habens libros: ut si quinque libros Mosis, & duos Josuæ, ac Judicum (sub quo continetur Ruth.) jungas, erit heptateuch⁹. Occurrit hæc vox apud *Sidon. lib 5. epist. 15.*

HEPTAZONUS. Septem zonas habẽs. Quam vocamus septimanam Christiani, gentiles vocabant τὴν ἑπτάζωνον, præsertim Ægyptii. Græci autem vocant τὴν ἑπτάζωνον τῆς σαββατικῆς ἡμέρας, ut distinguant ab ea, quæ dicitur ἡ ἑπτάζωνος τῶν ἀστέρων. Illius series hæc est Sol, Luna, Mars, Mercurius, Jupiter, Venus, Saturnus: huius ista, Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna. Apud Bedam lib. de embolismorum ratione est *Septizodius* pro *Septizonius*: quod perperam excusum esse ait Scaliger, etsi planetæ à veteribus etiam appellati sunt ζώδια.

Herodes. Est nomen Græcum, ab ἥρα, tanquam ἥρως, seu Junonis plenus. Genealogia Herodum est ejusmodi. Antipas Idumæus fuit vir acer & militaris, quem propter usum multarum rerum, Alexander Judæorum rex, cognomine Jannæus, & Alexādra ejus uxor, Idumææ præfecerunt, ut Arabum vicinorum & Gazensium animos Judæis conciliaret, eosque in amicitia Alexandri & Alexandræ contineret. Hujus viri honorati & fortissimi filius fuit cognominis patri, qui postea maluit dici Ἀντίπατρος: cùm tamen idem sit Ἀντίπατρος & Ἀντίπας. Hic quoque fuit vir insignis, dynastarum ac regum amicus, manu strenuus, rei bellicæ, & artium illarum, quæ homines ad rerum fastigia promovent, peritissimus. Huic filius fuit Herodes Ascalonita, qui postea rex Judææ à Senatu Romano declaratus est. Itaque Herodi clarum fuit genus ab avo usque. Neque verò alienigena fuit. Nam erat Idumæus, & Idumæis natus proselytis. Idumæi enim jamdudum pro veris Judęis habebantur, ex quo tempore Johannes Hyrcanus iis debellatis permisit, accepta religione & ritibus Judaicis, Judæorum numero esse, & pacatis in suis sedibus manere. Itaque Herodes non fuit alienigena, sed Judæus: latè scil. accepta voce ista. Nam Judæi sunt appellati, & qui verè nascebantur è semine Davidis, & qui fiebant Judæi, quos Judæi Hellenistæ appellabant Proselytos. Genealogia Herodiadarum hæc est.



Obiter observa, Herodem posse dici *ἀλλόφυλον, alienigenam*, sive *proselytum*, quo sensu Christiani à gentilismo conversi dicuntur Gentes *Gal. 2.v.12.*

Hero-

Herodiani. Syrus interpretatur domesticos Herodis. Sed rectè Tertullianus, Epiphanius, Scaliger & Casaubonus tradunt, pro Messia Herodem ab illis esse habitum & cultum: ita ut Herodiani fuerint hæresis quędam hominum. Multa enim ut in gratiam vivi, sic in honorem defuncti faciebant, & quotãnis ejus natalem sacrificiis & divinis honoribus prosequebantur. Durabat adhuc sub Nerone hoc genus. Unde Persius:

Herodis venêre dies ———

De hac hæresi Dominus ait: *Cavete vobis à fermento Herodis.* Cæterùm quæri solet, cùm tres fuerint Herodes in Judæa, reges aut ethnarchæ, à quonam ex illis Herodiani nomen invenerint? Verisimile autem est, vel potiùs certum, ab Herode Magno & nomen & originem ipsos habuisse. Ille siquidem erat vir magni nominis. Qui referunt ad Herodem Antipatri superioris filium, hominem nulli rei, & ne in minimis quidem cum patre conferendi, non leviter peccant, atque tam falluntur, quàm paraphrastes Syrus, qui Herodianos Herodis domesticos interpretatur, nimirum hujus vulpeculæ, ut eum vocat Dominus. Porrò Herodiani non solùm fuerunt hæresis quædam hominum, sed & corpus instar earum societatum, quæ vulgo Confratriæ vocantur. Non dissimiles fuerunt apud Romanos sodales Augustales, Flavii, Hadrianales, Æliani, Antonini, quorum in Tacito, & totâ historia Augusta, & saxorum inscriptionibus frequens mentio. Hoc differebant, quòd isti post mortem Imperatorum, de quorum nominibus cognominabantur, instituebantur; Herodiani vivo Herode ceperunt.

Ἑσπεροπρωΐον. Hebræi τὸ νυχθήμερον appellant ערב בקר, quasi ad verbum ἑσπεροπρωΐον. Itaque secũdùm Hebræos, Samaritas & alias nationes κυριολόγως, νυχθήμερον dicitur, quia diem à Sole occaso incipiunt. Unde ἡμερονύκτιον propriè diceretur ab eis, qui à Sole orto diem incipiunt. Ergo astrologis τὸ νυχθήμερον καταχρηστικῶς dicitur spatium horarum 24. undecunque initium habuerint.

Hexaemerum. Est in genere spatium sex dierum: in specie, tempus, quo mundus est conditus: item liber de operibus sex dierum. Sic Ambrosius scripsit Hexaemerum sex libris. Vulgo Exameron.

Hexaplum. Est idem quod sextuplex. Hexapla Biblia Origenis erant sex columnis cõposita, ubi textus Hebræus in una cum diversis versionibus quinq; conferebatur. Si plures versiones accederent, dicebantur *heptapla*, aut *octapla*. Illîc sex, hîc septem versiones post textum originalem & authenticum opponebantur.

Hexapsalmus, vel Hexapsalmum. Erat senio psalmorum, quos canebant in matutinis.

Hierarchia. Propriè est in sacris rebus imperium, sive sacer principatus. Ita ἱεράρχης, *hierarcha*, est sacer princeps, tanquam ἱερῶν ἀρχὸς, qui præest sacris ordinibus & actionibus. Cæterùm voce *hierarchia* etiam Latini quidam Patres utuntur: extatq; ea dictio in iis, quæ Cypriano tribuuntur, *de cardinalibus operibus*. *Dionysius* aliter id nomen usurpat in libro de hierarchia cœlesti, aliter in libro de ecclesiastica. Ibi ordinem & dispositionem virtutũm intellectualium, id est, angelorum, superiorum atque inferiorum significat: hîc doctrinam de sacramentis, & aliis ceremoniis ecclesiæ; quæ sunt in potestate

testate episcopi, quem ille appellat ἱεράρχην, non ἀρχιερέα, more cæterorum Patrum. Hanc igitur hierarchiam ait esse, τῆς ἐνθέου, καὶ θείας; καὶ θεουργικῆς ἐπιστήμης, καὶ ἐνεργείας, καὶ τελειώσεως, *Deo plenæ, divinæ, deum efficientis scientiæ, & operationis, & initiationis*, hoc est, pertinere ad scientiam & functionem sacerdotalem, vel episcopalem. Hoc enim tot verbis voluit dicere. Ait, se hoc demonstrare velle ἐκ τῶν ὑπερκοσμίων καὶ ἱερωτάτων λογίων, *è supermundanis & sanctissimis oraculis*. Est periphrasis Scripturæ, elegantissima sanè. Porrò *hierarchia legalis* est principatus Israeliticæ plebis sub lege. Vide Dionysium Carthusianum in cap. 3. eccles. hierarch. *Hierarchia angelica* est ordo inter sanctos angelos: de quo multa apud Dionysium extra Scripturæ canonem dicuntur. *Hierarchia ecclesiastica* est ordo inter personas ecclesiasticas, eaque non una. Nam 1. est hierarchia Levitica, de qua 1. *Paral.* 23. 24. 25. 26. *capp.* 2. est hierarchia temporaria apostolorum & discipulorum CHRISTI, de qua *Matth.* 10. *& Luc.* 10. 3. est hierarchia N. T. perpetua. *Eph.* 4. 10. 4. est hierarchia ecclesiæ Romanæ. Delineemus singulas. *Hierarchia legalis plebis Israeliticæ* describitur 1. *Chron.* 27. ubi legiones ordinariæ cum suis ducibus, tribuni populi, & regis officiales recensentur. *Hierarchia angelica* est alia apud Rabbinos, alia apud Christianos. Utrique numerant novem ordines, & tres classes angelorum. Et Rabbini quidem hoc modo.

1. חיות הקודש *animalia sanctitatis.*
2. אופנים *Ophanim.*
3. אראלים *Aralim.*
4. השמלים *Haschemalim.*
5. שרפים *Seraphim.*
6. מלכים *Melachim.*
7. אלהים *Elohim.*
8. בני אלהים *Bene Elohim.*
9. כרובים *Cerubim.*

Christiani autem ex Dionysio Areopagita hunc in modum.

I. Classis. ὑπεραρχία.

1. *Seraphim.*
2. *Cerubim.*
3. *Throni.*

II. Classis. μεσαρχία.

4. *Dominationes.*
5. *Principatus.*
6. *Potestates.*

III. Classis. ὑπαρχία

7. *Virtutes.*
8. *Archangeli.*
9. *Angeli.*

Hierarchia Levitica complectitur Levitas & sacerdotes. Levitarum classes erant quatuor. Nam alii præerant operi domui Jehovæ, alii erant moderatores & judices, alii janitores, alii denique musici. Quæ distributio occurrit 1. *Chron.* 23. *ver.* 3. 4. & deinceps illustratur. Sacerdotes divisi erant in 24. classes sive familias 1. *Chron.* 24. *& Luc.* 1. quibus ministrabant Kehathitæ & Meraritæ 1. *Chron.* 24. Sequitur *hierarchia temporaria* tēpore Christi, & paulò post ejus tempora. Ut itaque initia veteris & novæ ecclesiæ congruerent, Christus primò elegit XII. apostolos, futuros patriarchas & primos authores novi populi, quem ex gētibus sibi colligere

colligere Deus constituerat: & cùm major esset messis quàm operarii, quemadmodum Mosi LXX. Seniores Dominus in V.T. adjunxerat, qui ei essent auxilio in populi regimine, sic Servator noster pari ratione, alios LXX. addidit XII. apostolis. Atque ita in illis ecclesiæ incunabulis duos ordines ministrorum evangelii constituit. Et apostoli quidem fuerunt primarii præcones evangelii. LXX. autem discipuli fuerunt secundarii ordinis quidam apostoli, seu evangelistæ. Audiamus hac de re Johan. Calvinum. Is in harmonia trium evangelistarum scribit in hanc sententiam. *Quod* LXX. numerum attinet, ordinem Dominus secutus est, cui jam olim populus adsueverat. Et meminisse nos oportet ejus, quod diximus de XII. apostolis: nempe quot fuerant *tribus, dum floruit illius populi status, tot creatos fuisse apostolos, qui essent veluti patriarchæ, qui discerpta illius corporis membra colligerent, unde integra ecclesiæ restitutio emanaret. Eadem ferè ratio fuit horum septuaginta. Scimus enim cùm Moses tanto non sufficeret oneri, adjunctos ei LXX. judices, qui populum regerent.* Et hi quidem sunt duo primi ordines hierarchiæ temporariæ N. T. Postquam autem cœlos ascendit Dominus, excitavit in ecclesia sua *prophetas*, qui non tantùm varietate lingvarum, sed divina sapientia, & rerum futurarum cognitione erant cōspicui. Tres itaque fuerunt ordines hierarchiæ temporariæ N. T. ita ut primum dignitatis gradum tenuerint apostoli, secundum evangelistæ, tertium prophetæ. Apostoli fuerunt bis missi: & primò quidem ante passionem CHRISTI ad solos Judæos, deinde paulò ante ipsius ascensionem ad omnes gentes: ut ita posterior missio priorem fecerit ampliorem. Deinde evangelistæ dignitate minores erant apostolis, sed officio proximi; adeoque vices eorum gerebant. Quales fuerunt LXX. discipuli, item Lucas, Timotheus, & alii. Vide *Calvinum Instit. lib.* 4. *ca.* 3. *d.* 4. Itaque evangelistæ nihil aliud fuerunt, quàm secundi ordinis quidam apostoli: Unde *Calvinus in* 7. *vers.* 1. *Corinth.* 15. per omnes apostolos intelligit non solos XII. sed etiam LXX. discipulos, quibus evangelii prædicandi munus Dominus injunxerat. Et rectè Epiphanius ait, Christum, postquam sedit ad dextram Patris, misisse præcones εἰς ὅλην τὴν οἰκουμένην, Simonem Petrum, Andream fratrem ipsius &c. & emisisse alios LXXII ad prædicandum, ex quorum numero fuerint septem illi, qui viduis fuere præfecti. Tertius gradus assignatur prophetis: quoniam illi post evangelistas constituti sunt. Neque etiam illa ætate omnes prophetæ fuerunt præfecti ecclesiis, ut eas cum authoritate regerent; quandoquidem prophetiæ donum tunc dabatur, sicut linguarum donum, multis ex plebe hominibus. Etenim ut scribit Paulus Corinthiis, omnes prophetare poterant; ut ne quidem prophetiæ donum fœminis fuerit negatum. Nam Philippo evangelistæ quatuor erant filiæ prophetissæ. Sequitur *hierarchia ecclesiastica* N.T. *perpetua.* Ea complectitur pastores & doctores. Pastores in primitiva ecclesia citra discrimen episcopi & presbyteri vocati sunt. His adjunguntur diaconi, quibus cura pauperum fuit demandata. Plena itaq; hierarchia N. T. inde à tempore apostolorum usque ad finem seculi

hæc

hæc eſt. 1. Apoſtoli. 2. Evangeliſtæ. 3. Prophetæ. 4. Paſtores. 5. Doctores. 6. Presbyteri, qui præſunt regimini. 7. Diaconi. De quibus ordinibus aliquid dicendum eſt in genere, & in ſpecie. In genere hæc ſummatim tenenda ſunt. 1. Hi gradus miniſtrorum evangelii ſic fuerunt diſtincti, ut majores includerent inferiorum miniſteria. Itaque apoſtoli fuerunt evangeliſtæ, prophetæ, paſtores & doctores: ſimiliter evangeliſtæ fuerunt prophetæ, paſtores, & doctores: denique paſtores fuerunt doctores: ſed non contrà. Nō enim omnes doctores fuerunt paſtores, prophetæ, evangeliſtæ, & apoſtoli. 2. In recenſendis hiſce gradibus duplex ſervari poteſt ordo, putà dignitatis vel temporis quo inſtituti fuerunt. Ordinem dignitatis exprimit apoſtolus *Eph.* 4. 10. hoc modo: apoſtoli, prophetæ, evangeliſtæ, paſtores, doctores. Ex his apoſtoli, prophetæ & evangeliſtæ ſunt extraordinarii, reliqui ordinarii & perpetui. Cur verò apoſtolus prętermittit diaconos? Reſp. Quia voluit eos tantùm ordines recenſere, qui præſunt evangelii prædicationi, ſacramētorum adminiſtrationi, & gubernationi eccleſiæ ſimul: non verò eos, qui ſoli gubernationi præficiuntur. Temporis ordo hic eſt. 1. apoſtoli. 2. evangeliſtæ. 3. prophetæ. 4. diaconi. 5. paſtores. 6. doctores. 7. presbyteri illi, qui præſunt regimini. Qua de re vide paulò pòſt. 3. Nomina quorōdam graduum promiſcuè uſurpantur. Nam apoſtolorum, evangeliſtarum, & prophetarum nomina etiam aliis eccleſiarum paſtoribus & doctoribus tribuuntur. Sic *Rom.* 16 Andronicus & Junia inter inſignes apoſtolos nominantur: & 2. *Cor.* 8. Titus, & qui cum eo erāt fratres, apoſtoli vocantur eccleſiarum: & Epaphroditus in epiſtola ad Philippenſes dicitur eorum apoſtolus. Chriſtus quoque in epiſtola ad Hebræos appellatur apoſtolus, i.e. legatus. Itaque nomen hoc *apoſtolus* in N. T. tres habet ſignificationes. Nam ſignificat principem apoſtolorum, qui eſt Chriſtus: & duodecim apoſtolos: quos Paulus 2. *Cor.* 11. vocat ſummos apoſtolos: denique ſecundarios apoſtolos, qui vel à Chriſto immediatè legationis munus acceperant, ut LXX. diſcipuli; aut ab ipſis apoſtolis cooperatores in munere apoſtolico erant aſſumti; aut ab eccleſia Hieroſolymitana, quæ mater erat eccleſiarum, miſſi. Idem de evangeliſtæ nomine judicium: fuiſſe datum multis aliis præter LXX. diſcipulos. Prophetæ denique in S. literis vocantur non tantùm ii, quibus Deus res futuras revelat, ſed quotquot divinorum myſteriorum fidi ſunt interpretes, & norunt veteres prophetias locis, temporibus, ac perſonis accommodare. Quo ſenſu omnes evangelii doctores & S. literarum interpretes dici poſſunt prophetæ. Jam in ſpecie perſequamur ſingulos hoſce gradus. 1. *Duodecim apoſtolis* peculiariter & κατ᾽ ἐξοχὴν ſic appellatis, quibus poſtea decimus tertius, Paulus, eſt additus, non ſolùm ordinis, ſed etiam poteſtatis primatus in eccleſia Chriſtiana competit. Etſi enim alii quidam hoc habuerunt cum apoſtolis commune, quod & ipſi immediatè à Domino fuerunt vocati, & indefinitè ad gentes legati: tamen hæc duo fuerunt propria muneri apoſtolico, quòd ipſorum doctrina ſit canon & regula totius religionis Chriſtianæ uſque ad conſummationem ſæculi; & quòd ſibi apoſtoli in primordiis eccleſiæ per impoſitionem manuum, ſigno viſibili conferrent Spiritum

sanctum. Porrò Apostolorum una & eadem omnium fuit authoritas & par Apostolatus: discrimen nullum inter eos fuit, nisi quod ætas aut virtutũ maior cumulus adferebat. Et quamvis primus ubique legatur Petrus, ordinis fuit & vocationis ille primatus, non præcipuæ potestatis.

2. LXX *discipuli* semper separati legũtur à XII. Apostolis: quibus inferiores fuerunt hoc uno, quòd non tam familiari convictu cum Domino vixerint, sicut XII. Apostoli. Septuaginta igitur illi discipuli fuerũt Evangelistæ Apostolis XII. inferiores; quòd tanquam legati summis ducibus dati fuerint, qui eorum vices eadem authoritate obirent. Multos sibi præterea assumsêre Apostoli cooperatores: sed in quibus tanta non erat fidei soliditas, sicut in eis quos Dominus ipse vocaverat, & eodem spiritu quo Apostolos dirigebat. Itaque Evangelistæ propriè & strictè fuerunt LXX. discipuli. Alioquin etiam Timotheus, Titus, & alii quidam appellantur Evangelistæ. Denique qui Evangelicam historicam scripserunt, appellantur Evangelistæ: è quibus Matthæus & Johannes etiam fuerunt Apostoli, Marcus fuit interpres Petri, ut Eusebius loquitur, & Lucas non Apostolus, sed Apostolicus fuit, ut appellatur à Tertulliano. Interim Evangelia Marci & Lucæ authoritate æquantur Evangeliis Matthæi & Johannis; quia Evangelicis narrationibus commodarunt suam operam Apostolis & Evangelistis κυρίως dictis. Hinc patet Evangelistæ nomen accipi quatuor modis. 1. κυρίως pro LXX. discipulis, qui fuerunt immediatè vocati à Domino. 2. pro cooperatoribus Apostolorum, qui non immediatè à Domino, sed ab Apostolis fuerunt constituti. 3. pro Evangelistis, qui scripserunt historiam Evangelicam, & simul fuerunt Apostoli: quales sunt Matthæus & Johannes. 4. pro Evangelistis, qui scripserunt historiã Evangelicam, & non fuerunt Apostoli, sed Apostolici: quales sunt Marcus & Lucas.

3. *Prophetæ* peculiariter appellati fuerunt, quos Dominus Apostolis, licet hoc modo quoque spiritu prophetico præditis, adiunxit, ut hoc etiam supernaturali charismate Apostolicam prædicationem confirmaret. Primi huiusmodi Prophetę in N.T. fuerunt triginta octo illi viri, qui nec collegio XII. Apostolorũ, nec LXX. discipulorum adscribuntur *Act.* 1.15. Nam ibi de numero 120. virorum supersunt 38, quos cùm nec 12. Apostolis, nec 70. Evangelistis adnumerare liceat, Prophetas meritò dicemus. Ex quorum numero Ananias & Agabus proculdubio fuerũt. Dicti autem hi sunt Prophetæ eo sensu, quo Propheta distinguitur à pastore & doctore. Itaque 38. illi appellati sunt Prophetæ, quòd spiritu Dei futura præviderint, & quid opus esset facto, ecclesiam præmonuerint, & recondita mysteria eodem spiritu docuerint. Porrò tria sunt Prophetarum genera in N.T. 1. qui futura prædixerunt, sed non consignarunt, ut Agabus. 2. qui futura prædixerunt & cõsignarunt, ut Petrus, Paulus, Judas, & Johannes Evangelista. 3. qui S. literas interpretantur. Nam omnis Scripturarum interpretatio est quædam prophetia. Et hactenus quidem habemus tria doctorũ genera, quos infallibili suo spiritu sancto Deus regebat in primitiva ecclesia; Apostolos, Evangelistas, & Prophetas. Et hi fuerunt primi ecclesiæ Hierosolymitanæ presbyteri & episcopi.

4. *Diaconi* priùs creati leguntur quàm paſtores & doctores. Et primò quidem Apoſtoli curam pauperum ad ſuum munus pertinere arbitrati ſunt, quòd Evangelii miniſterium ex inſtitutione Domini curam iſtam conjunctam habeat. Sed poſtea murmur Græcorum adverſus Hebræos electioni diaconorum cauſam dedit. Fuere enim initio diſtributores communis pecuniæ, quam fideles divenditis poſſeſſionibus ſuis conferebant. Agente in terris adhuc Domino, Judas illud munus obivit. Sed creſcente eccleſia Apoſtoli munus utrumque exercere non potuerunt. Itaque delegerunt diaconos, veruntamẽ ita, ut ad ſe quoque curam pauperum pertinere ſtatuerent. Unde Paulus & Barnabas pauperum curam ſuſcepiſſe leguntur. Cæterùm primi ſeptem diaconi non tantùm colligendæ diſtribuendæque pecuniæ operam dederunt, ſed etiam docendi, imò & baptizandi partes aſſumſerunt, ut in hiſtoria Stephani & Philippi videre eſt. Hoc exemplum ſecuti ſunt veteres, & diaconis unà cum pauperum cura aliquid maius pro ratione donorum crediderunt: videl. poteſtatem legendi populo Evangelii, & diſtribuendi calicis in euchariſtia. Tandem eò crevit eorum authoritas, ut nuſquam epiſcopus iret, aut quidquam ageret ſine diacono, ut citiùs caruerit epiſcopus presbytero, quàm diacono. Atque hic eſt quartus miniſtrorum eccleſiæ ordo, ſecundùm temporis ſeriem; & primus qui ab hominibus fuit inſtitutus, nullis adhuc creatis presbyteris, præter eos quos ipſe Dominus dederat eccleſiæ.

5. *Presbyteri* peculiariter dicuntur, qui ab Apoſtolis conſtituti ſunt, ut præeſſent eccleſiis. Et hi *Ephes.* 4.10. appellantur paſtores. Hic ordo licet diaconis poſterior ſit tempore, prior tamen eſt dignitate. Presbyteri illi etiam appellantur epiſcopi. Et ita quidem ſtrictè ſumuntur hæc nomina. Aliàs presbyterorum & epiſcoporum nomine, imò & paſtorum, comprehenduntur ipſi quoque Apoſtoli. Nam Nam Petrus ſe vocat συμπρεσβύτερον 1. *Petr* 5. 1. & Apoſtolatus ipſe dicitur ἐπισκοπὴ *Actor*. 1. 10. Denique paſtorum appellatio, inter quos Chriſtus ἀρχιποίμην dicitur, generaliſſima eſt. Porrò presbyterorum, id eſt, paſtorum ſpeciatim ita dictorum ordo, eſt duplex. Nam alii pluribus eccleſiis fuerunt præfecti, ut Timotheus & Titus: alii ſingulis. Nomen epiſcopi poſt Apoſtolorum tempora proprium primo presbyterorum ordini manſit. Ad extremum presbyteri N.T. ſunt duplices 1. *Timoth*. 5.17. Nam alii ſunt paſtores, alii gubernatores tantùm; qui reſpondent ſenioribus in ſynedrio Iſraëlico, ſicut paſtores reſpondent ſacerdotibus. Itaque quintus ordo eſt presbyterorum, qui laborant in ſermone. Ex his patet hanc vocem *presbyter* tribui 1. latiſſima ſignificatione Apoſtolis, Evangeliſtis & Prophetis: qui fuerunt primi presbyteri & epiſcopi immediatè à Domino inſtituti. 2. ſtricta ſignificatione paſtoribus. 3. ſtrictiſſima ſignificatione gubernatoribus eccleſiarum, prout à paſtoribus & doctoribus diſtinguuntur, quique adeo non docent, ſed tantùm cenſuræ morum præſunt.

6. *Doctores* peculiariter à Paulo dicuntur, qui ſacras literas interpretantur, neque tamen præſunt eccleſiis. Poteſt enim quis eſſe doctor, qui paſtor non ſit: & nemo poteſt eſſe paſtor, qui non ſit etiam doctor.

Super-

Supereſt *hierarchia eccleſiæ Romanæ*: quā Bellarminus lib.1.de clericis.cap.11. & libro de ſacramento ordinis cap.5. his verbis definit: *Septem duntaxat ordines* (. nempe propriè dicti.) *numerantur, videl. Sacerdos, Diaconus, Subdiaconus, Acoluthus, Lector, Exorciſta,& Oſtiarius. Ex quibus ordo ſacerdotum duplex eſt: ſunt enim alii maiores ſacerdotes,id eſt, epiſcopi, alii minores,id eſt, presbyteri.* Quod attinet ad ſummum Pontificem, ille eſt ſacerdos: putà epiſcopus. Cardinales habent officium aut epiſcopale, aut presbyterale, aut diaconale. Et hæc quidem eſt hierarchia Romanæ eccleſię: in qua gradus humanitùs excogitati diſtinguendi ſunt ab illis, qui inſtituti ſunt à Domino; itemque ab iſtis, qui degenerarunt in diabolicos.

Sed concludamus illud de hierarchiâ eccleſiæ hoc ſyllogiſmo. In eccleſia permanere debet ea regiminis forma, quæ ab ipſo Domino fuit inſtituta, & ab Apoſtolis tradita. Illa verò habuit inferiores & ſuperiores paſtores. Ergo id in eccleſia eſt retinendum. Aſſumtio probatur: quia Apoſtoli ſuperiores fuerunt reliquis, & inter epiſcopos ſive paſtores ſtrictè dictos quidam pluribus, quidam paucioribus eccleſiis gubernandis fuerunt præfecti. e.g. Titus fuit epiſcopus, vel ut Lyranus, Pellicanus, & Eraſmus loquuntur, archiepiſcopus Cretæ. Sic Timotheo credita fuit tota ferè gens Aſiatica. Hinc Illyricus narrat Titum & Timotheum multarum eccleſiarum fuiſſe epiſcopos. Verum eſt, omnes paſtores ſive epiſcopi ſunt æquales ratione miniſterii. Sed & hoc verum eſt: æqualitas miniſterii inæqualitatem in gubernatione non impedit.

Hithpael. Eſt coniugatio reciproca, de qua Conradus Graſerus præclarè annotat hoc modo: Ad formam *Hithpael* quod attinet, ea in canone non uſque adeò uſitata eſt, ut de ea, ſi quando occurrit, non immeritò nobis peculiarem aliquam ſignificationis ἔμφασιν imaginemur. Ratio autem communiter ſignificandi hæc eſt: vim ſignificationis tranſitivæ habet, idque ex ſecunda forma Piel, ex qua non citra myſterium derivatur. Ejus tamen actio non propriè extra ſubjectum agentis procedit, ſed in illud potiùs reflectitur, ut vis notionis ejus reciproca ſit. Unde formæ hujus uſus præcipuus conſpicitur, quoties nempe de homine uſurpatur, in explicando interiore animi motu, quo aliquis à ſeipſo & intra ſeipſum afficitur. v. g. quando aliquis ſeipſum gravioribus curis affligit, hoc Hebræi הִתְעַנָּה vocant: aut ſi quis intra ſeipſum orat, illi hoc per eandem formam הִתְפַּלֵּל indigetant. Quæ ultima vox internum illum animi motum ſignificat, quo peccator ſeipſum examinat, & coram Dei tribunali ſe ſiſtit, diſciſſoque corde reatum ſuum ab una parte agnoſcit, eundemque vel ἐνδιαθέτως, vel etiam προφορικῶς coram Deo fatetur: ab altera ſeveram Dei juſtitiam intuetur, ejuſdemque juſtiſſimam executionem deprecatur. Idem judicium eſt de verbo אֶתְוַדֶּה *Confitebor*, ſive, *confeſſus ſum Dan.*9.4. quam vocem Confeſſionarii perperam ad confeſſionem auricularem traducunt ex *Lev.*5.5.& 26.40.& *Num.*5.7.

Hiphil. Verbum *Hiphil* actionis ſuæ vim actricem ſive influxum in illud ſubjectum transfundit, in quod agit.

Hodie. Notat ſępè cōtinuitatē: ut *Heb.*3.*v.*13. Donec hodie cognominatū, i.e. q̃diu

diu ita est & durat, quoad hodiernus dies appellatur. In illo *Psalm.* 2. Ego hodiè genui te, multi *hodie* accipiunt, tanquam idem sit, quod ab æterno: alii autem in tempore, cùm scil. Deus Filium suum introduxit in mundum *Hebr.* 1. *v.* 5. & maximè, cùm eum suscitando ex mortuis certo documento ostēdit, ipsum esse Filium suum ab æterno genitum *Actor.* 13. *v.* 33. & 17. *v.* 31. *Rom.* 1. *v.* 4. Etenim illa resuscitatione ceu signaculo Deus comprobavit totam doctrinam Jesu Christi, cuius & hæc pars erat, quòd ipse verus Dei Filius esset.

HOC EST CORPUS MEUM. Quomodo hæc enuntiatio eucharistica intelligenda sit, docet subiecta materia. Nimirū phrasis sacramentalis intelligi debet sacramētaliter, ita nempe, ut panis eucharisticus dicatur esse sacramentum, mysteriū, symbolum, typus, antitypum, figura, signum, imago, similitudo, memoria & recordatio corporis Christi: seu, quod eodem redit, ut dicatur significare, designare, ostēdere, & repræsentare corp⁹ Christi. Quæ quidem expositiones omnes & singulæ occurrunt apud Patres, hoc modo.

1. *Sacramentum.* Ambrosius 4. to. libro de iis, qui mysteriis initiantur, c. 9. *Verè ergo carnis illius sacramentum est. Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum.* Cyprianus de cœna Domini sect. 4. *Hoc sacramentum aliquando corpus suum, aliquando carnem & sanguinem, aliquando panem Christus appellat.* Augustinus in sententiis à Prospero collectis: *Cœlestis panis, qui est Christi caro, suo modo nominatur corpus Christi, cùm revera sit sacramentum corporis Christi.* Idem tom. 2. epist. 23. *Secundùm quendam modum sacramētum corporis Christi corpus Christi est, sacramētum sanguinis Christi, sanguis Christi est.*

2. *Mysterium.* Augustinus sermone ad infantes. *Si ergo vos estis corpus Christi & mēbra, mysterium vestrum in mensa positum est: mysterium Domini accipitis, id quod estis.* Idem in Psal. 89. *Non hoc corpus, quod videtis, manducabitis, nec bibituri estis illum sanguinē, quem fusuri sunt, qui me crucifigent: mysterium vobis commendo: spiritualiter intellectum vivificabit vos.* Chrysostomus homil 11. in S. Matth. operis imperfecti: *Si vasa sanctificata transferre ad privatos usus periculum est, in quib. non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis eius continetur: quantò magis vasa corporis nostri, quæ sibi Deus ad habitaculum præparavit, non debemus locū dare diabolo agendi in iis quod vult.* Eusebius Emissen⁹, ut citatur distinctione 2. de consecrat. Necessarium erat, ut nobis in hoc die sacramentum corporis & sanguinis sui consecraret, ut coleretur iugiter per mysterium, quod semel offerebatur per pretium.

3. *Symbolum.* Dionysius in hierarchia ecclesiastica: *Sunt symbola, quibus ii, qui iis initiantur, sacratiùs in Deum transeunt.* Clemens Romanus διαταγῶν lib. 6. c. 23. *Instituit sacrificium, quod in mortem Domini per symbola corporis & sanguinis sui celebratur.* Eusebius Cæsariensis demonstrat. evangel. lib. 1. c. 10. *Cùm illius sacrosancti sacrificii memoriam in mensa Dominica peragendam per symbola corporis salutarisq; sanguinis ipsius, iuxta N. T. institutū acceperimus* &c. Theodoret. tom. 2. dialog. 1. *Symbola & signa, quæ videntur, appellatione corporis & sanguinis honoravit.* Ibid. *Dominus cùm accepisset symbolum seu signum, non dixit, Hoc est deitas mea, sed, Hoc est corpus meum.* Idem dialogo 2. *Dic ergo, mystica symbola, quæ Deo à Dei sacerdotibus offeruntur, quorum-nam dicis esse symbola? Corporis & sanguinis Domini.*

4. *Typus.* Ambrosius in 1. Cor. 11. *Testamentum*

mentum ergo sangvine constitutum est, in cujus typum nos calicem sangvinis mysticum ad corporis & animæ nostræ nutritionem percipimus. Procopius Gazæus in Gen. 49. *Dedit enim sui corporis imaginem, vel effigiem, aut typum, discipulis, haud ampliùs admittens cruenta legis sacrificia.*

5. *Antitypum.* Clemens Romanus lib. 5. Διαταξεων: *Cùm verò antitypa mysteria pretiosi corporis & sangvinis sui nobis tradidisset* &c. Basilius in liturgia: *Postquam apposuimus antitypa sancti corporis & sangvinis tui, te precamur & oramus sancte sanctorum* &c. Nazianzenus in epitaphio sermone Gorgoniæ sororis, *panem & vinum appellat antitypa pretiosi corporis & sangvinis Domini.* Theodoretus dialog. 2. *Si igitur divina mysteria sunt antitypa veri corporis, utique corpus Domini etiam nunc corpus est.* Macarius homil. 27. *Offertur in ecclesia panis & vinum* ἀντίτυπον *carnis ejus & sangvinis.*

6. *Figura.* Tertullianus lib. 4. adversus Marcionem, cap. 40. *Acceptum panem & distributum discipulis, corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, figura corporis mei.* Hilarius, ut citatur in jure canonico, distinct. 2. de consecratione. cap. 79. *Corpus Christi, quod sumitur de altari, figura est, dum panis & vinum extra videtur: veritas autem, dum corpus & sangvis Christi in veritate interiùs creditur.* Ambrosius de sacramentis lib. 4. cap. 5. *Dicit sacerdos, Fac nobis hanc oblationem adscriptam, rationabilem, acceptabilem, quod est figura corporis & sangvinis Domini nostri Iesu Christi.* Idem docent Augustinus in psalm. 3. Ephrem Syrus ad eos qui Filii Dei naturam scrutari volunt cap. 4. Carolus Magnus in epistola ad Alcuinum de ratione Septuagesimæ, libro de divinis officiis: denique Bertramus de Cœna Domini.

7. *Signum.* Dionysius in hierarchia ecclesiastica: *Positis in divino altari veneratione dignis signis per qua Christus & significatur, & percipitur* &c. Origenes contra Marcionitas dialog. 3. *Si, uti obloquuntur isti* (.Marcionitæ.) *carne destitutus erat, & exsangvis: cujusmodi carnis, cujus corporis, & qualis tandem sangvinis signa & imagines, & panem & poculum ministravit, jussitq; per illa discipulos memoriam sui renovare?* Chrysostomus homil. 83. in Matth. *Si Iesus mortuus non est, cujus symbolum & signum hoc sacrificium est?* Augustinus contra Adimantum: *Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui.* Bernhardus serm. de cœna Domini: *Appropians passioni Dominus de gratia sua curavit investire nos, ut invisibilis gratia signo aliquo visibili præstaretur. Ad hæc instituta sunt omnia sacramenta: ad hæc eucharistiæ participatio.*

8. *Imago.* Vide num. præced. Origenem, & num. 4. Procopium. His adde Gelasium contra Eutychem: *Non desinit substantia vel natura panis & vini. Et certè imago & similitudo corporis & sangvinis Christi in actione mysteriorum celebratur. Satis ergo nobis evidenter ostenditur, hoc nobis in ipso Domino Christo sentiendum, quod in eius imagine profitemur, celebramus, sumimus.* Gregorius Neocæsariensis in definitione synodi Constantinopolitanæ 7. tom. 3. concil. de eucharistia sic loquitur: *Ecce vivificantis corporis illius imaginem; quæ honorificè & gloriosè exhibita est.* Et postea: *Ita & imaginem totam electam, videl. panis substantiam mandavit apponi.* Et mox: *Similiter etiam panem eucharistiæ, veluti veram imaginem naturalis carnis, per sancti Spiritus aggressionem sanctificatam, divinum corpus esse voluit.* Ibidem: *Eodem modo & à Deo tradita imago carnis eius, panis scil. divinus.*

9. *Similitudo.* Vide num. præced. Gelasium. Adde etiam sequentes. Chrysost. in psalm. 22. *Istam mensam præparavit servis & ancillis in conspectu eorum, ut quotidie in similitudinem corporis & sangvinis Christi, panem & vinum secundùm ordinem Melchisedec nobis ostenderet in sacramento.* Ambros. tom. 4. lib. 4. de sacramentis cap. 4. *Fortè dicis, speciem sangvinis non video. Sed habet similitudinem. Sicut mortis similitudinem sumsisti: ita etiam similitudinem pretiosi sangvinis bibis, ut nullus horror cruoris sit, & pretium tamen operetur redemtionis.* Idem lib. 6. de sacram. c. 1. *In similitudine quidē accipis sacramentum, sed veræ naturæ gratiam virtutemq; consequeris.*

10. *Memoria, seu recordatio.* Justinus Martyr. dialog. cum Tryphone Judæo: *Similæ oblatio pro illis, qui à lepra purgabātur, ut offerretur tradita, typus fuit panis Eucharistiæ, quem in memoriam passionis &c. tradidit, ut gratias ageremus Deo* &c. Ambros⁹ tom. 4. super 1. Cor. 11. *Memoria enim redemtionis nostræ est, ut redemtoris memores, maiora ab eo mereamur.* Augustinus tom. 6. lib. 20. contra Faustum Manichæum cap. 21. *Hujus sacrificii caro & sangvis ante adventum Christi per victimas similitudinum promittebatur: in passione Christi per ipsam veritatē reddebatur: post ascensum Christi per sacramentum memoriæ celebratur.* Eusebius Cæsariensis lib. 1. de demonstrat. evangelica: *Cùm ergo hujus sacrificii memoriam signis quibusdam in mensa celebrandam* &c. *acceperimus.*

10. *Significat.* Ambrosius tom. 4. libro de iis, qui mysteriis initiantur: *Ipse clamat Dominus Iesus: Hoc est corpus meum. Ante benedictionem verborum cœlestium alia species nominatur, post consecrationem corpus Christi significatur.* Eodem tom. commentar. in 1. Cor. 11. *Quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores, in edendo & potando, carnem & sangvinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus.* Augustinus tom. 3. lib. 2. de doctrina Christiana cap. 3. *Sacramento corporis & sangvinis sui prægustato significavit, quod voluit.* Idem sermone ad infantes: *Qui antequam panem illum comedat, calicemq; bibat, de hoc seculo migraverit, in unitate corporis Christi constitutus, sacramenti illius participatione & beneficio non privatur, quando in se habet, quod sacramentum illud significat.* Idem tom. 6. lib. 3. contra Maximinum Arianorum episcopum cap. 22. *Hæc enim sacramenta sunt, in quibus non quid sint, sed quid ostendant semper attenditur: quoniam signa sunt rerum, aliud existentia, & aliud significantia.* Vide quoque num. 7. Dionysii dictum. Glossa quoque juris canonici de consecratione distinct. 2. can. Hoc est, quod dicimus, sic habet: *Panis dicitur corpus Christi, sed impropriè: ut sit sensus, vocatur Christi corpus, id est, significat.*

12. *Ostendit.* Cyprianus epist. 63. ad Cæcilium: *Nec potest videri sangvis eius, quo redemti & vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sangvis ostēditur.* Eandem sententiam repetit & approbat Augustinus tom. 3. lib. 4. de doctrina Christiana cap. 21.

13. *Repræsentat.* Tertullianus lib. 1. contra Marcionem cap. 14. *Nec panem* (.scil. Christus reprobavit.) *quo ipsum corpus suum repræsentat.* Hieronymus tom. 8. lib. 4. super 26. Matth. *Assumit panem, qui confortat cor hominis* &c. *ut veritatē sui corporis & sangvinis repræsentaret.* Theodoretus tom. 2. dialog. 2. *Si ergo divina mysteria corpus, quod verè est, repræsentant: ergo corpus Domini etiam nunc quoque corpus est, non in naturam divinitatis mutatum, sed impletū gloria divina.* Idem docet glossa juris canonici de cōsecratione distinct. 2. canone, Hoc est quod dicimus.

Homo Judicatus denuò Judex. Est epitheton Christi in hymno *Vita sanctorum:*

Nunc in excelsis Dominus refulgens,
Et supra cœlos Deus elevatus,
Inde venturus homo judicatus,
Denuò judex.

Homousius. Est coessentialis, eandem habens essentiam, ὁμὴν ὐσίαν, i.e. τὴν αὐτήν. Sed ὁμοιούσιος est habens ὁμοίαν, similem essentiam, etsi diversam. Itaque ὁμοιούσιοι possunt esse ἑτερούσιοι. *Hieronymus ad Damasum* eleganter dicit, Obtestor beatitudinem tuam per Christum crucifixum, mundi salutem, per *homousiam Trinitatem.* Sed ὁμοιούσιον ἀπαρραλλάκτως, id est, habens similem essentiam sine variatione seu indiscretè, eodem sensu aliquãdo usurpabant, quo ὁμούσιον.

Homilia. Est concio sacra. Hinc *homiliaticum dicendi genus* dixit Hieronymus, pro eo, quod pertinet ad homilias q. d. populare & ecclesiasticum.

Homo. 1. In genere & communiter sumitur pro mare & fœmina, *Gen.* 1. 26. 2. Significat virum, *Gen.* 2. 18. 3. Sumitur pro Christo 1. *Cor.* 15. 21. 4. Significat qualitates hominis regeniti vel non regeniti. Et hoc sensu dicitur homo exterior, 2. *Cor.* 4. 16. homo interior, *Rom.* 7. 22. *Eph.* 3. 16. homo novus *Eph.* 2. 15. *c.* 4. 14. homo vetus *Rom.* 6. 6. *Eph.* 4. 22.

Homo Dei. Est eximius Dei servus, propheta, ecclesiæ minister. *Deut.* 33. 1. 1. *Sam.* 9. *v.* 7. 8. 2. *Reg.* 1. *aliquoties* 2. *Chron.* 8. 14. *Psal.* 90. 1. *Ier.* 35. 4. 1. *Tim.* 2. 11. 2. *Tim.* 3. 16. 2. *Petr.* 1. 21. Etsi ergo generatim quivis homo electus, Deo deditus, hoc elogio est dignus: tamen speciatim & κατ᾽ ἐξοχὴν sic appellatur, qui totus deditus est rebus divinis.

Hora. In N.T. est pro statâ diei parte. Ita Servator ait *Ioh.* 11. Nonne duodecim sunt horæ diei? scil. sicut & noctis. illic autẽ intelligunt horæ tẽporales, quæ inæquales erãt, æstate lõgiores, hyeme breviores. Primã diei horam, cùm primùm dilesceret, vocabant: sextam, meridianum tempus: duodecimã, extremum diei tempus. Par horarũ noctis ratio. Quo numero cùm dies & nox circumscriberẽtur, ꝑ quoquo anni tẽpore, ac dierũ noctiumq; productione atq; contractione, longiores quoque ac breviores horas, diversis quidem anni tẽporibus, fuisse necesse est. Et hæ quidẽ fuerunt horæ, Judæis appellatæ minores: quibus opponuntur horæ majores. Qua de re Schindlerus in Lexico: Tam nox q̃ dies distribuebatur in tres partes. Noctis dicebãtur vigiliæ: diei horæ, prima, secunda, tertia; complectentes singulæ horas quatuor בקר אהרים ערב Et tunc prima diei pars seu hora cõplectiť horas primã, secundam, tertiam, & quartam: secũda, quintã, sextam, septimam & octavam: tertia, nonam, decimã, undecimam, & duodecimã. Et tẽpore æquinoctiali horæ ita cõveniunt. Judæorum prima est Christianis sexta matutina, tertia est nona, sexta est duodecima seu meridies, undecima est quinta, duodecima est sexta vespertina. Et ita nonnulli conciliant *Matt.* 27. *A sexta hora tenebræ factæ sunt:* cum *Marc.* 15. *Erat hora tertia, & crucifixerũt eum.* Priori loco intelligitur hora minor, posteriori major, tertia scil. diei pars. Sanè tollitur ita omnis difficultas per tributionem horarum diei in quatuor quadrantes ternarum horarum; qui ab ultima cujusq; quadrantis hora denominarentur. Sed *Casaubonus exercit.* 16. hãc conciliationem fundamẽto carere putat *Hieronymus*

in ps. 77. putat errore scriptorum in Marco episemum Græcum ϛ habitum fuisse pro Γ. Sed *Theophylactus* contrà disputat Γ in ϛ mutatum esse, aliud agente librario: Et sic Nonnus habet.

Ἦν δὲ πεπαινομένη τριτάτη θανατηφό-
ρος ὥρη.

Petrus Alexandrinus in disputatione de paschate author est, autographum manu propria Johannis evangelistæ descriptũ, quod in ecclesia Ephesiorum asservabatur, habuisse, *hora tertia*, non *sexta*. Cæterùm in Concordantiis Latinis vulgatæ vers. hæc summatim leguntur. Hora est 1. diei civilis vicesima quarta particula, *Exod.* 9. 18. 2. Breve temporis momentum, sed indefinitum, *Iob.* 20. 14. 2. *Cor.* 7. 8. 3. Tempus cum quadam occasione agendi, vel patiendi aliquid *Matth.* 26. 45. *Luc.* 12. 12. *c.* 22. 53. *Iohan.* 2. 4. 4. Periculum; quod aliquo temporis momento accidit *Marc.* 14. 35. *Ioh.* 12. 27. 5. Seculum. 1. *Iohan.* 2. 18. 6. Momentum & tempus mortis *Marc.* 13. 41. *Iohan.* 5. 28. *c.* 7. 30. *c.* 8. 20.

HORA PLACATIONIS. Duæ in veteri testamento fuerunt observatæ horæ placationis: altera antemeridiana, circa horam nempe octavam nostri horologii, cujus mentio fit 2. *Reg.* 3. 20. alteram pomeridianam, inter mediam tertiam & quartam nostri horologii, de qua *Dan.* 9. 21. quando nimirum efferebatur juge sacrificium. Hac de re R. Salomon super *Esa.* 1. 21. sic commentatur: Per juge sacrificium effectum esse, ut per ejus matutinam oblationem noctis præteritæ peccata, per vespertinam verò diurnæ transgressiones expiatæ fuerint. Quæ glossa refert hunc effectum ad opus operatum, & proinde est explodenda. Nos verò hoc sacrificium fuisse typicum scimus, & per Dei gratiam novimus, Christum sub vespertinam placationis horam mortuum esse in arca crucis, atque ita eodem momento juge illud sacrificium typicum realiter implesse & consummasse.

HOSANNA. Author est Elias in Thisbi הוֹשַׁעְנָא compendio sermonis dici solitum pro הוֹשִׁיעָה־נָּא, Ναὶ σῶζον, *Serva obsecro*. Et sanè usitatum est in omnibus linguis, ut in ejusmodi acclamationibus, sicut & statuarum inscriptionibus, sententiæ semiplenæ persæpe efferantur, atque audientibus relinquantur verba supplenda ad sensum perficiendum necessaria. Sic in illo *Matth.* 21. ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ, *Hosanna filio David*: hic est sensus: *Serva quæso*, ô Deus: *Filio David*, hoc precamur. Votum namque hoc esse populi Judaici, regi Messiæ læta precantis, petentisque à Deo, ut illi benediceret, res ipsa arguit. Simile est illud *Psalm.* 86. *vers.* 16. הוֹשִׁיעָרי לְבֶן־אֲמָתֶךָ quod possis vertere, ὡσαννὰ τῷ υἱῷ τῆς παιδίσκης σου, *Osanna filio ancillæ tuæ*. Potest etiam esse hic sensus: ὡσαννὰ τῷ υἱῷ Δαβὶδ, id est, σῶζον τὸν υἱὸν Δαβὶδ. Nam ita LXX. verterunt locum *Psal.* 86. Σῶζον τὸν υἱὸν τῆς παιδίσκης σου. Nimirum הוֹשִׁיעַ construitur cum ל & את, hoc est, cum dativo & accusativo. Casus dativi exempla sunt *Iud.* 7. *v.* 2. 2. *Sam.* 10. *v.* 11. Sed potest hæc dictio etiam aliter accipi, hoc nempe modo: *Osanna filio David*: scil. hæc βαΐα (.quod nomen usurpat Johannes in ea historia.) id est, hi termites, palmæ, oleæ, frondes: vid. φέρομεν καὶ πάλλομεν, *gestamus & vibramus*, has frondes in honorem filii David. Itaque Judæorum *Hosanna* erit Atheniensium εἰρεσιώνη, ut eam etiam appellat *Iosephus lib.* 3. *c.* 10. Jussit Deus Judæos, *inquit*, festum

ſtum tabernaculorum per octo dies agitare, in urbem metropolin convenientes, holocauſta & ſacrificia euchariſtica Deo offerre, manibus gerentes εἰρεσιώνην, *ireſionem*, è myrto, ſalice &c. Sic apud gentiles erat moris, ut quorundam feſtorum pompas deducentes, olivæ termites geſtarent, qui propterea θαλλοφόροι, *olearamos geſtantes*, dicebantur. Sed redeamus ad vocem *Hoſanna*. Rabbini ex hac dictione fecerunt nomen τεχνικὸν, cujus plurale extat in Ritualibus illorum, cùm dicunt *Hoſannoth Leſuccoth*, id eſt, formulæ uſitatæ in celebrando feſto tabernaculorum, ſeptem dierum: quorum ſinguli habent ſibi proprias Hoſannas, quæ dicuntur *Hoſanna primi diei, Hoſanna ſecundi diei* &c. Sic autem & hymni illi nominantur, & frondes arborum, putà palmæ, oleæ, aut ſalicis, quas tenere manibus per illos dies ſolebant; quia ſubinde repetitur ea formula, *Hoſchiana na*, vel *Ana hoſchiana na*, & ſimiles quidam verſus intercalares, in quibus id verbũ eſt. Itaq; poſſumus commodè formulam iſtam *Oſanna filio David* ſic interpretari, ut ſit idem ac βάϊα: q. d. has palmas, has frondes filio David volumus eſſe ſacras, ſeu, in honorem ejus geſtamus. Quid? ſi diceremus tres has ſententias optimè ſimul cõſiſtere: ut nempe ſit oratio elliptica hoc pacto, *Hoſanna filio David*, ſcil. precamur: &, *Hoſanna filio David*, ſcil. geſtamus: & *Hoſanna filio David, Serva filium David.*

HOSTIA. Eſt legitima, vel illegitima. Hoſtia legitima eſt quadruplex. 1. Typica, de qua paſſim in Levitico. 2. Spiritualis *Rom.* 12. 1. *Phil.* 4. 18. *Hebr.* 13. *v.* 15. 16. 1. *Petr.* 2. 5. 3. Ipſe Chriſtus, factus victima pro nobis in arca crucis. *Epheſ.* 5. 2. *Hebr.* 9. 26. *c.* 10. *v.* 12. 26. 4. Sacra cœna; quæ veteribus appellatur hoſtia, videl. ratione ſacramentali. Hoſtia illegitima eſt 1. Paganorum. 2. Papiſtarum in Miſſa.

HOSTIÆ. Hoc nomine appellantur orbiculi illi, qui apud Papiſtas & Lutheri diſcipulos ſunt uſitati in euchariſtia: quod ſpeciem alicujus ſacrificii notent. Vocantur etiam *oblatæ*. Quod nomen primò tributum fuit panibus illis, quos populus Chriſtianus ſpontanea liberalitate offerebat, quibus uterentur in S. Cœna. Hinc Gennadius de Concil. Florent. cap. 2. lect. 8. ait: *Romana eccleſia* offert *azymos panes, propterea, quòd Dominus ſine ulla commixtione ſuſcepit carnem: ſed Græca eccleſia* offerunt *fermentatum*. At ubi ſuperſtitio & ἐθελοθρησκεία invaluit, in locum panis cibarii ſubſtituti ſunt orbiculi illi inepti, & illis inditum eſt nomen *oblatarum, & hoſtiolarum*. Eædem ſuperioribus ſæculis dictæ ſunt *minutiæ oblatarum*, & *minutiæ nummulariæ*. Qua de re inſignis eſt locus apud Caſſandrum, ſcriptorem Pontificium, in Liturg. cap. 27. ubi ex Romani ordinis expoſitore, quem ipſe Bernoldum Presbyterum Germanum Conſtantienſem circa annum Domini 1089. arbitratur fuiſſe: *Si nihil omnino debet fieri intra vel extra templum Domini abſque menſũra & ratione, videntur* oblatarum minutiæ *ad Chriſtum & eccleſiam nihil pertinere, quia ſunt abſque menſura & ratione.* Et mox ſubjicit: *Plura ab eodem authore alioqui prudenti & pio, & eccleſiaſticarum traditionum ſtudioſiſſimo in eam ſententiam dicuntur, qui indigniſſimè tuliſſe videtur, ætate ſua in quibuſdam eccleſiis* oblatas *panis, quæ priſca eccleſiæ conſuetudine ad uſum ſacrificii ad menſam Domini à populo fideli offerebantur ad imaginem* nummorum, *& tenuiſſimam*

mam quandam atque levissimam formam à veri panis ſpecie *alienam fuiſſe redactas. Quare per contemtum* minutias nummularias oblatarum *appellat, imaginariam & umbratilem levitatem iis tribuit, & indignas eſſe panis vocabulo pro ſua tenuitate, ac propter eas officium atque religionem eccleſiaſtici officii multùm per omnem modum confundi aſſerit, pluribusq; & acerbioribus dictis eas inſectatur.* Rectè profectò. Nam neque nomen panis, neque res ipſa iſtis orbiculis convenit. *Non nomen*: quia panis dictus eſt à paſcendo, quòd paſcat homines, famemque pellat. Id verò non convenit iſtis orbiculis. *Non res ipſa*: Nam

1. Panis eſt communiſſimum illud alimenti genus, quod ex farina cum aqua ſubacta pinſi conſuevit. At hoſtia neque alimentum eſt: neque eſt alimentum communiſſimum, cùm ne commune quidem ſit: neque farina ſufficiens cum aqua ita ſubigitur, ut maſſa ſolida inde exiſtat: denique non pinſitur, ut panis pinſi conſuevit.

2. Panis eſt nutrimentum nobiliſſimum, cui præ vino defertur prædominium; & firmat vires potentiſſimè. At nihil horum eſt in hoſtia.

3. Panis tenet primas inter cibos hominibus datos; eſt cibus homini maximè neceſſarius; eo utimur maximè; eſt hominibus maximè communis; habet ſubſtantiam bene craſſam, & boni ſucci; cum ſubſtantia noſtra bene agglutinatur; eſt pro omnibus cibis; eſt ſymbolum omnis eſcæ; eſt quotidianum & ordinarium corporis nutrimentum. Quid verò horum in hoſtia?

4. Materia panis eſt farina ſufficiens: commoda proportione ad formam & finem determinata, hoc eſt, farina in quantitate certa ad eſum & uſum nutritionis & refectionis ſufficiens, & cum aqua ritè ſubacta, igneque percocta. Quæ non cadunt in hoſtiam.

5. Partes integrales panis ſunt tres: videl. baſis inferior, ſive ſolum paniceum; pars interior, ſive medulla panis; & denique pars ſuperior, ſive cruſta. Nulla verò harum partium in hoſtia deprehenditur.

6. Optimus panis & ſaluberrimus eſt, qui plurimum fermenti, plurimumque ſalis habet, quique plurimùm eſt ſubactus & elaboratus, ac in clibano moderatè calido eſt aſſatus. At hoſtiæ ita parantur: Tabula ex ferro, & quidem duplicata adhibetur, cujus interior ſuperficies lardo, aut alia quadam pingvedine inungitur. Poſtea infunditur maſſa fluida inſtar liquoris, aut ſeri: quippe ex tenuiore & pauciore farina, accedente aqua, vel lacte. Maſſa iſta non ſubigitur, ſed cochleari hinc inde motatur in olla. Tandem liquor iſte infunditur ferramento inuncto & calefacto, quod utraque tabula compreſſa, minutias illas hoſtiarum ſubitò producit.

7. Quinque ſunt proprietates panis: ut bene nutriat, ut ſolidum exhibeat alimentum, ut guſtu ſit jucundus, atque etiam non facilè corrumpatur, inventu verò ſit facilis. At horum nihil cernere eſt in hoſtiis: quippe quæ nullo modo nutriunt, & guſtu ſunt injucundæ, & facilè corrumpuntur affuſa aqua, & denique non parantur in omnibus locis.

8. Pro-

8. Proprietates hoſtiarum ſunt: quòd ferè ſunt inſipidæ; quòd non ſpirant odorem pani convenientem; quòd ſunt lentæ ac viſcidæ; quòd iis literæ obſignantur; quòd folia chartarum per hoſtias ita compinguntur, non aliter atque per gluten; quòd adeò ſunt ſubtiles & tenues, ut etiam à ventis diſſipentur, quod interdum in adminiſtratione ſacræ cœnæ accidiſſe novimus, unde à quibuſdam appellantur nebulæ, denique quòd exhibent ſpeciem denarii. Qua de re placet adſcribere ſententiam Honorii Presbyteri Auguſtodunenſis: *Fertur quòd olim ſacerdotes è ſingulis domibus vel familiis accipiebant farinam, quod adhuc Græci ſervant; & in dominicum panem faciebant, quoniam pro populo offerebant, & hunc conſecratum eis diſtribuerunt. Poſtquam autem eccleſia numero quidem augebatur, ſed ſanctitate minuebatur, propter carnales; ſtatutum eſt, ut qui poſſent ſingulis dominicis, vel tertiâ dominicâ, vel ſummis feſtivitatibus, vel ter in anno communicarent. Et quia populo non communicante non erat neceſſe, panem tam magnum fieri, ſtatutum eſt, eum in modum denarii formari vel fieri; & ut populus pro oblatione farinæ, denarios offerret.* Durandus pro more ſuo hujus figuræ rationem comminiſcitur in Rationali lib. 4. cap. 4. *In modum denarii formatur, tum quia panis vita pro denario traditus eſt, tum quia idem denarius in vinea laborantibus in præmium dandus eſt.*

9. Panis odoratu præſtantiſſimus habetur. Unde valenti vino imbutus & naribus admotus cor mirùm in modum recreat ac roborat. Imò verò & ſolo ejus olfactu vitam ad aliquot dies ſuſtentatam legimus: ut in vita Democriti teſtatur Diogenes Laertius. Hujuſmodi odor monſtretur in hoſtiolis.

10. Panis eſt commune & quotidianum alimentum, quod menſis apponitur, & aliis cibis manducandis adhibetur, & dentibus atteritur, atque in ventriculum demittitur. At hoſtiæ ore exceptæ illicò colliqueſcunt, aut palato adhæreſcunt, & tandem veluti evaneſcunt. Unde nec menſis apponuntur, neque cibis aliis manducandis admiſcentur.

11. Panis famem depellit, & eſculentorum atq; poculentorum firmiſſimum & probatiſſimum eſt vinculum, ut ſunt verba Georgii Bertini de alimentis lib. 9. cap. 3. Unde ſacræ literæ ſub nomine panis omne genus alimenti comprehendunt. Sed hoſtiæ famem non pellunt: quia ſunt nimium tenues, nec ſatis percoctæ: ſunt inſuper lentæ ac viſcidæ inſtar glutinis.

12. Panis non ſolùm nutrit, ſed etiam confirmat & roborat corpora hominum & beſtiarum. *Pſal.* 104. 15. An verò hoc idem præſtant hoſtiolæ?

13. Panis eſt ἐπιούσιος, hoc eſt, πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρήσιμος, ut explicat Baſilius in quæſt. id eſt, *ad quotidianam vitam ſubſtantiæ noſtræ commodus & utilis.* At hoc non poteſt dici de hoſtia.

14. Medici panem crebrò in praxi adhibent, quando ipſum modicè toſtũ, nuce myriſtica affricata, ſanis & ægris propinant; vino intinctum patientibus deliquium animi exhibent; ex eodẽ catapla ſ-

-ma parant &c. Legatur hac de re Plinius, qui lib. 22. cap. 25. ait: *Panis ipse, quo vivitur, innumeras penè continet medicinas.* Inspice locum. Sed hostiæ ita non usurpantur in medicina: sed sunt involucra & quasi vehicula pilularum, quas aliàs ægrè & cum nausea ingerunt ęgroti.

15. Hostiæ neque ab Hebræis, neque Græcis, neque Latinis vocantur panes, sed distinctis appellantur nominibus, & à probatis authoribus ad nullum panis genus referuntur. Eant itaque nunc hostiarum patroni, & iidem hostes panis cibarii à Christo & primitiva ecclesia in eucharistia adhibiti, & mordicus contendant hostiolas suas panem esse. Sed habent, quod objiciant ex Epiphanio, qui author est jam suo tempore panem στρογγυλοειδῆ καὶ ἀναίσθητον mensæ Domini fuisse impositum. Quis, inquiunt, hoc loco panis intelligi potest præter hostiam, quippe quæ rotunda est, & ita subtilis, ut sensum effugiat. Verùm enimverò glossa ista est violenta. Nam 1. Epiphanius fuit episcopus Græcus in Insula Cypro. At verò Græci nunquam hostias infermentatas receperunt, ac ne nunc quidem recipiunt. Constat enim ex historia ecclesias Latinas & Græcas post annos 600. & plures ab ætate Epiphanii, circa annum Christi 1054. de pane fermentato & infermentato contendisse, & mutuis excommunicationibus pugnasse. Quomodo itaque Epiphanius, episcopus Græcus, infermentatas hostias probare potuit? 2. Vox στρογγυλοειδὲς non significat rotunditatem nummularem, qualem habent hostiæ, sed rotunditatem sphæricam, qualis est panis similæ, vel teretem, qualis est panis oblongi. Itaque Epiphanius loquitur de pane rotundo, grandi, & fermentato, sive rotunditatem sphæricam habuerit, sive teretem, qualis est τῶν στρογγύλων. 3. Epiphanius vocat panem ἀναίσθητον, *insensibilem*; quæ vox non passivè est intelligenda, quasi sensu non percipiatur, sed activè, quòd sensus sit expers, seu facultatem sentiendi non habeat. Hanc esse mentem Epiphanii, sic patet. Quærit ibi vir sanctus, quomodo rectè dicatur homo conditus esse ad imaginem DEI, cùm non sit DEUS, neque spiritus, neque habeat in natura sua ea, quæ Deus habet, aitque hanc in sententiam: *Etiamsi homo non habeat Dei essentiam, vel naturam, nec sit Spiritus aut invisibilis, quemadmodum Deus: ex gratia tamen aliquas proprietates à creatore accepit, quibus ex parte aliqua Deum refert; & propter has proprietates homo appellatur imago Dei.* Declarat hanc responsionem exemplo Cœnæ Dominicæ: *Panē, inquit, appellat Salvator ex gratia suum corpus; & tamē panis neque Deitati, neque humanitati ipsius similis est.* Panis enim est aliquid στρογγυλοειδὲς ἢ ἀναίσθητον, ὡς πρὸς τὴν δύναμιν, *hoc est, forma rotunda, & sensus expers, quantum ad potentiam: Dominum verò nostrum novimus totum sensum, totum sensitivum, totum Deum, totum moventem, totum operantem.* Sanè antithesis ostendit, quomodo panis in eucharistia adhiberi solitus dicatur ἀναίσθητος. Itaque hostiarum patroni etiam de hoc præsidio sunt depulsi. Sed in pauca conferamus, quæ fusiùs persecuti sumus. Hostiæ non sunt communissimum & nobilissimum nutrimentum; non fiunt ex sufficiente materia ordinata ad suam formam ac finem;

non habent partes panis integrantes; non pinſuntur, ſubiguntur, & probè coquuntur ut panis; nō ſaporem odoremq; panis, homini gratum & ſalubrem, emittunt; non adhibentur eſculentis ordinariis; non nutriunt; non roborant corpus hominis; non ſunt ἄρτ☉ ἐπιούσι☉; non uſurpantur in medicinâ; denique à bonis authoribus non appellantur panis. E. hoſtiæ non ſunt verus, cibarius, & συνωνύμως dictus panis.

HOSPITALIA. Sic appellãtur loca, ubi pauperes alũtur. Numerantur a. varia genera: videl. Xenodochium, Orphanotrophiũ, Brephotrophiũ, Bethotrophiũ, (.locus ubi pauperes infirmi paſcuntur & curantur.) Noſocomium, Gerontocomium, Ptochotrophium (.corruptè Tocotrophium.) Leproſarium, & Eleemoſynarium.

HOSTIA. Eſt pecus, quæ mactatur ſacrificanda: item ipſum ſacrificium. In eccleſia etiam panis euchariſtiæ dictus eſt *hoſtia*; quòd ſit ſacramentum corporis Chriſti in hoſtiam oblati. Alioqui totam ſacram cœnam Patres aliquando θυσίαν, ἀναφορὰν, προσφορὰν προσένεξιν, i.e. *ſacrificium*, *& oblationem*, appellarunt: quia eſt ſacrificii Chriſti recordatio & repræſentatio. Cæterùm, quando veteres panem euchariſticum appellant hoſtiam, non intelligunt orbiculos illos ſive oblatas, quib. hodiè utuntur: ſed verũ panem, quali Chriſtus eſt uſus, quemque primitiva eccleſia in adminiſtratione cœnę adhibuit.

HUMANATUS. Latini eccleſiaſtici ſcriptores imitati Græcos, Dominum ἐνανθρωπήσαν dicunt *humanatum*, id eſt, humana carne indutum, hominem factum. Et ſic *humanatio* eſt ἐνανθρώπησις, incarnatio. *Humanitas* quoque Chriſti eſt ipſa humana natura: cùm aliàs ſit clementia, benignitas, facilitas homine digna. Porrò legas etiã *Inhumanatus* pro *Humanatus*.

HYMNUS. Eſt carmen, peculiariter in Dei honorem. Nam ὑμνεῖν canere eſt, & laudes Deo ad aras dicere. Hymnus itaq; pro laudatione celebrationeque Dei glorioſa, acceptorum beneficiorum nomine, uſurpatur: quod eſt ᾆσμα ἐπαίνου, καὶ δοξολογία περὶ κρειττόνων. Apud Hebræos ſcripſerunt hymnos Moſes, David, Aſaphus, Eſaias, & alii. Apud Græcos, qui in veri Dei ignoratione verſati ſunt, celebrantur Orpheus, Linus, Homerus, Callimachus, & nonnulli alii: qui verò Chriſtum agnoverunt, Clemens, Gregorius Nazianzenus, Syneſius. Apud Latinos ethnicos Catullus, Horatius: Chriſtianos, Hilarius, Ambroſius, Prudentius, Sedulius, Gregorius M. & alii. Ex his confectus eſt libellus hymnorum eccleſiaſticorum, qui extat in *Breviario Chriſtiano Adami Siberi.*

HYPAPANTE, ſeu HYPANTE. Sic appellatur ſolennitas diei ſecundæ Februarii; quæ ex duplici cauſa fuit inſtituta: Purificatione Mariæ, & Præſentatione Chriſti. Unde etiam appellatur Feſtum Purificationis & Præſentationis. Cur autem appellatum fuit Hypapante? Quia Simeon & Anna eo die obviam proceſſerunt Domino, dum præſentaretur in templo. Nempe ὑπαντάω, ſive ὑπαπαντάω eſt occurro, obviam eo. Hinc etiam dicitur feſtum Simeonis & Annæ. Sigebertus in Chronico appellat feſtum obviationis & occurſus. Inſtitutum fuit anno Juſtiniani decimoquinto, ut idem Sigebertus tradit in Chronico an. 541.

Ὑπαγορεύειν. Hoc verbo utitur Socra-

tes *libr.* 4. *cap.* 25. loquens de Didymo. Est autem ὑπαγορεύειν per notarios cõmentari. Sic Eusebius libr. 2. Chronic ad an. 2387. ait: *Didymus Alexandrinus multa de nostro dogmate per notarios commentatur: qui post quintum nativitatis suæ annum luminibus orbatus elementorum quoque ignarus fuit.*

Ὑπέρογκος. Hæc vox usurpatur 2. *Petr.* 2. 18. & *Iud. vers.* 16. Verti potest grandinugax, prætumidus, stupendus. Græcus *Daniel.* 11. 16. Hebraicam vocem נִפְלָאוֹת vertit ὑπέρογκα, *prætumida, grandia, occulta, mirabilia, stupenda, prodigiosa, perplexa.* Qua voce Daniel universum doctrinæ Antichristianę genus comprehendit. Atque hic est *Quasi-Mons*, de quo *Apocal.* 8. Quo nomine intelligitur ambitiosa & sublimis speculatio, quâ canon Scripturæ est corruptus. De voce נפלאות memineris, illam adverbialiter & nominaliter usurpati. Adverbialiter *Dan* 8. 24. nominaliter *Daniel.* 11. 36. Utrobique notantur Antichristi dogmata, illorumque occulta & prodigiosa vis in seducendis & velut effascinandis hominibus: quæ in stupendo ceremoniarum apparatu inprimis est evidens.

HYPOCRITA. Hebræi hypocritas vocant פְּנִים q. d. *faciales* sive *personatos*: qui videl. vultu, gestuque composito exprimere student pietatis & humanitatis speciem eximiam, cùm intus sævissimis iræ, odii, invidiæ, stimulis agitentur. Et eleganter sibi respondent vox Hebræa & Græca. Nam ὑπόκρισις propriè est histrionis, alienam personam repræsentantis: ita ut sit fictio personæ in theatro. Unde *Isidorus libro decimo*, ait: Nomen autem hypocritæ tractum est à specie eorum, qui in spectaculis contectâ facie incedunt: distinguentes vultum cœruleo minioq; colore, & cæteris pigmẽtis, habẽtes simulacrum oris, lintea gypsata & vario colore distincta, nonnunquam & collum & manus petungentes, ut ad personæ colorem pervenirent, & populum, dum in ludis agerent, fallerent, modò in specie viri, modò in fœminæ, modò tonsi, modò criniti, anili & virginali, cæteraque specie, ætate sexuque diverso, ut fallant populum, dum in ludis agunt. Quæ species argumenti translata est, in iis, qui falso vultu incedunt, & simulant, quod non sunt. Nam hypocritæ dici non possunt, ex quo forâs exierint.

HYPOSTASIS. Ad verbum est subsistentia, seu actus, quo aliquid ὑφίσταται, *subsistit.* Sed usus tulit, ut hypostasis significet id ipsum, quod subsistit, τὸ ὑφιστάμενον, seu persona. *Hebr.* 1. Ita in sancta Trinitate dicuntur τρεῖς ὁμοούσιοι ὑποστάσεις, *tres coëssentiales hypostases sive personæ.* Dionysius ἑνάδα τρισυπόστατον dicit unitatem essentiæ ~~, in qua tres hypostases~~. Alio etiam significatu ὑπόστασις est res solida & invicta: ut cùm fides salvifica *Heb.* 11. dicitur ὑπόστασις καὶ ἔλεγχος.

HYSSOPUS, sive HYSSOPUM. Est nomen fruticis seu arbusculæ in Palæstina, & parvæ herbæ apud nos. Hæc distinctio inter hyssopum Judæorum, & nostratem inde probatur. *Iosephus libro octavo, capite secundo.* de libris à Salomone scriptis loquens, hyssopum appellatione arboris complectitur, his verbis: καθ' ἕκαστον εἶδος δένδρων παραβολὴν εἶπεν, ἀπὸ ὑσσώπου ἕως κέδρου, *De quâque specie arboris, parabolam dixit, ab hyssopo usque ad cedrum.* Et in Hebraicâ veritate, eo, quem his verbis expressit Josephus, loco, extat vox עץ quæ utique arborem significat. Huc accedit, quòd *Iohan.* 19. *v.* 29. dicitur, milites spongiam

giam implevisse aceto, atque eam hyssopo circumposuisse (.Syrus vertit: *Posuerũt super hyssopo.*) pro quo apud *Matth. c. 27. v. 48. & Marc. 15. v. 36.* est, illos spongiam aceto implesse, & illam καλάμῳ, *arundini*, circumposuisse. Eadem utrobique est locutio, eadem verba: nisi quòd Matthæus & Marcus καλάμῳ dixerunt, Johannes ὑσσώπῳ. Itaque hyssopus tantæ fuit crassitiei & altitudinis in Judæa, ut bacilli ex ipso concinnari potuerint. Deinde Rabbini enumerant septem species hyssopi: è quibus una appellatur *Abratha*, quam nonnulli putant esse Græcorum & Romanorum abrotonum: cujus duo genera sibi nota fuisse scribit *Plin lib. 21. c. 21.* Utrique amaritudinem absinthii tribuit. Fortasse igitur hanc hyssopi speciem spongię aceto plenæ adjunxerunt milites: ipso etiam, ut videtur, ejus succo in spógiam expresso: idq; eo consilio, ut potionem Domino pararent penitùs amaram, penitùs ingratam. Itaq; & spongiam & hyssopum concinnarunt, ut postquam extremum arundinis ori Christi esset admotũ, quidquid sugeret liquoris, abrotoni amaritudine magis magisque inficeretur. Sũt qui rosmarinum fuisse putant: quòd hęc plãta aspersioni sacrificiorum, adeoq; aspergillis conficiendis, sit aptissima. Sed cur milites rosmarinum Christo porrigerent? Camerarius, quia existimavit hyssopum esse minorem, quàm ut inde arundo fieri potuerit, apud Johannem putat legendũ ὑσσῷ περιτεθέντες, *extremo pilo circumdãtes.* ὑσσὸς pilum est, Romanæ militiæ proprium armorum genus. Sed pilũ Romanum crassius fuit, quàm ut usum arundinis commodè præbere posset. *Cyrillus & author tragœdiæ Christus patiens*, dicunt, plures fuisse impietatis ministros, & alios calamo, alios ligno hyssopi usos esse.

JACOBUS. Duo Apostoli celebrantur hoc nomine: Jacobus Zebedæi F. Johannis Evangelistæ frater, occisus ab Herode Agrippâ Aristobuli F. Magni N. Alter filius Alphęi, cognomento Justus, vocatus frater Domini, ab Ananiâ Pontifice interfectus, regnãte Nerone. Jacobus iste posterior à *Dionysio de divinis nominibus ca. 3.* appellatur ἀδελφόθεος, his verbis: παρῆν δὲ καὶ ὁ ἀδελφόθεος Ἰάκωβος καὶ Πέτρος, ἡ κορυφαία καὶ πρεσβυτάτη τῶν θεολόγων ἀκρότης, *Aderat verò Iacobus filii Dei frater, & Petrus, supremus atque antiquissimus theologorũ apex*, i.e. ὁ κορυφαιότατος *summus*. Quod elogium nõ stabilit monarchiam, nescio quam, sed honoris præcellentiã denotat.

JAH. Est ex nominibus veri Dei, contractum ex nomine יהוה: & scribitur cũ mappic, יָהּ, tum seorsim, tum in nomine *Halelujah*, הַלְלוּ־יָהּ: vel sine mappic, ut in fine nominum propriorum. Ibi enim núc est יָה, nunc יָהוּ. Significatio huius nominis est eadem, quæ יהוה, de quo paulò pòst. Breviter: Notat Deum esse à se, & essentiam largiri omnibus, & denique facere ut promissa sua sint, hoc est, certò impleantur.

JANITOR. In V. T. erat gradus hierarchicus janitorum templi. *1. Chron. 9. 15. 16. 23. & 26. 2. Chron. 8. 23. 31. 34. & 35. Esdr. 2. 7. & 10. Nehem. 7. 10. 11. 12. 13. Esth. 2. & 12. Ezech. 44.* Sic in ecclesia N. T. ostiarii constituunt ultimũ gradũm hierarchicũ.

JOHANNES & JAMBRES. *Nathan* author lexici juris Judaici scribit principes eos fuisse magorum Pharaonis, ac Mosi miracula edenti in Ægypto restitisse. *Numenius*, philosophus Pythagoricus, dicit, ἰαννῆν καὶ ἰαμβρῆν fuisse ἱερογραμματεῖς ἄνδρας, *libro tertio*, περὶ τἀγαθοῦ.

Hos

Hos intellexit Artabanus, cùm scripsit Pharaonem advocasse, quos Mosi opponeret τοὺς ἱερεῖς τοὺς ὑπὲρ μέμφιν. Cæterùm Ἰαμβρῆς in Talmud legitur ממרא: & in vulgata Latina versione Mambres. Itaque videri possit ipsum fuisse διώνυμον.

JAPHETH. Fuit filius Noë, quem putant fuisse Neptunum: quod non solùm ex nominis affinitate, sed etiam ex eo colligunt, quòd ei maris imperium obtigisse dicant. Per mare autem Scriptura intelligit Occidentalem orbis partem, quâ ea mari mediterraneo alluitur.

ICHTHYS. Græcis est piscis. Hoc nomine appellati sunt Christiani, vel ab acrostichide Sibyllinâ ἰχθὺς, quæ significat ἰησοῦς χριστὸς θεὸς υἱὸς σωτήρ; quòd Christianorum hæc esset fides & professio: vel à lavacro baptismi, quòd essent aqua benedicta aspersi: vel quòd aqua pœnitentiæ semper abluerent peccata, sicut pisces semper lavant.

IDOLIUM. Græcè εἰδωλεῖον est locus, ubi reponitur εἴδωλον, pari ratione ut μουσεῖον est locus τῶν μουσῶν. Occurrit 1. *Cor.* 8.10.

IDOLUM. IDOLOLATRIA. Εἴδωλα dicunt esse τῶν οὐχ ὑφεστώτων μιμήματα, *rerum non existentium simulacra*, ut Chimæræ: ὁμοιώματα autem, id est, *imagines*, τῶν ὑφεστώτων εἰκάσματα, *rerum subsistentium effigies*, ut est imago Caroli Imp. Sed in ecclesia idolum latiùs dicitur, ut constat ex illo *Tertulliani de idololatriâ.* Cùm adest idolum, nihil interest, quale sit, qua de materia, qua de effigie, ne quis putet, id solùm idolum habendum, quod humanâ effigie sit consecratum. Ibidem, ut hoc obiter moneam, eleganter ait, literaturam secularem esse *insertam* prædicationis idololatriæ. Inserta est ornamentum, quod inseritur. Et rursus ibidem: Cæterùm purpura vel cætera insignia dignitatum inserta, dignitati & potestatibus idololatriæ initio dicata. *Isidorus libr.* 11. ait: Idololatria idolorum servitus sive cultura interpretatur. Nam λατρεία Græcè, Latinè servitus dicitur, quæ quantum ad religionem attinet, nonnisi uni & soli Deo debetur. Hunc sicut impia superbia sive hominum, sive dæmonum, sibi exhiberi jubet, vel cupit: ita pia humilitas vel hominum, vel sanctorum angelorum sibi oblatum recusat, &, cui debetur, ostendit. Idolum autem est simulacrum, quod humana effigie factum & consecratum est, juxta vocabuli interpretationē. εἶδος enim Græcè formam sonat, & ab eo per diminutionem idolum deductum: quod apud nos formulam facit. Igitur omnis forma vel formula idolum se dici exposcit. Inde idololatria, omnis circa idolum famulatus & servitus. Quidam verò Latinè ignorantes, Græcè imperitè dicunt, idolum ex dolo sumsisse nomen, quòd diabolus creaturæ cultum divini nominis loco invexit. In his verbis Isidori non est admittendum, εἴδωλον esse diminutivum ab εἶδος; idque, ut Bellarminus cōtendit, propter defectum repræsentationis, quasi sit idolum rei, quæ non est, repræsentativum. Nam ut Lorinus Jesuita in *Act.* 17.16. rectè observat, vox hæc inter profanos authores æquè latè patet atque vocis εἰκὼν; & si Latinitate utramque donemus, eandem esse significationem idoli & iconis, sive imaginis. Quod porrò addit, usu ecclesiastico in malam semper accipi partem, id & nos agnoscimus, & pro idolo habemus, nō solùm externam imaginem arte factam, ad repræsentandum

dum vel colendum numen, sive verum, sive fictum, sed etiam omne numen falsum, sine imagine, vel ab hominibus excogitatum, cùm non sit, vel etiamsi res aliqua sit subsistens, nempe creatura, cui divina æstimatio, vel cultus divinus tribuitur. Ista verò attributio divinitatis creaturis facta, est speculativa, vel practica, ut loquuntur Scholastici. Itaque qui creaturis divinitatem negant *speculativè*, quantum ad cognitionem pertinet; *practicè* tamen, id est, actu & reipsa illis cultum religiosum exhibent.

IDUMAEA. *Iosephus lib. 3. cap.* 17. narrat quomodo Idumæi facti sint Judæi, integro ferè seculo ante regnum Herodis: ὥστε εἶναι, inquit, τὸ λοιπὸν Ἰουδαίους, *adeò ut ex illo tempore Idumai sint Iudai.* Nam qui renuntiassent proprio gentis Idumææ Deo (.Coze ipsi nominabant, teste *Iosepho libr.* 15. *c.* 11.) & ritus prioris idololatriæ antiquassent, circumcisionem denique & universum Dei cultum admisissent, cur nõ censerentur Judæi? cùm præsertim à prima origine fratres Judæorum essent. Porrò Idumæa per Alexandrum regem effecta est pars Judææ. Unde & Strabo Idumæam partem Judææ facit. Hinc liquet, Herodem non fuisse ἀλλόφυλον, *alienigenam.* Quò facit concio Herodis ad proceres Judæos, quos ita compellat apud *Iosephum libr.* 15. *cap.* 14. ἄνδρες ὁμόφυλοι, *viri unius seu ejusdem gentis.* Sanè contraria sunt ἀλλόφυλος, *extraneus*, *diversa gentis*; & ὁμόφυλος, *qui ex eadem gente popularis*, seu ut Glossæ veteres hanc vocem reddunt, *tribulis, congrex, gentilis.* Verum est, Herodes à prima stirpe fuit Idumæus: sed cujus maiores facti essent Judæi. Atque hæc causa est, quòd Josephus de avo & patre Herodis semper loquitur, ut de privatis hominibus, hoc est, qui inter Judæos privati censerentur, utpote alieni à familia sacerdotali. Nam apud Judæos illis temporibus, latente & quasi sepulta stirpe Davidica, una res erat, quæ genus nobilitaret, nempe sacerdotium, aut potiùs Pontificatus. Scribit Josephus statim initio vitæ suæ: *Quemadmodum apud unamquemque gentem certum est aliquod argumentum nobilitatis; sic apud Iudæos sacerdotium nobilitat.* Qui igitur è familia sacerdotali non erant, utut opibus & potentia florerent, obscuri, ignobiles, & privati censebantur, atque ut Hebræi loqui amant עמהארץ populus terræ: & ejusmodi domus plebejæ ac privatæ dicebantur: sicut in Romanis historiis omnes appellantur *privati* præter Imperatorem.

JEHOVA. Principiò tenendum est, veteres Judæos non ex superstitione aliqua, ut hodiè posteri illorum faciunt, hoc nomen vulgo proferri noluisse: sed quòd *primùm* in eo Christi mysterium agnoscerent, quatenus is tum adhuc à tergo Abraham, ut ita dicam, cognoscebatur *Genes.* 22. 13. *Deinde*, ut indicarent ea, per quæ Deus se eis revelasset, religiosè potiùs custodienda & observanda esse, quàm ut profano vulgi usui, aut humanæ disceptationi permitterentur. Quæ sancta & castissima consuetudo si in ecclesia N. T. semper observata fuisset, theologiam hodiè multò simpliciorem haberemus, ambitiosæque contentionis, & scandalosissimorum certaminum minus esset. Sed recentiores Judæi nescio qua superstitiositate adducti dixerunt hoc nomen esse

ἀνεκφώνητον, ideoque sanxerunt, illud pronuntiandum esse Adonai. Sunt, qui existimant hoc nomen dictum esse ἀνεκφώνητον, certorum hominum respectu; scil. non ideo, quòd ab Hebræis, & aliis similibus efferri nõ possit, sed quòd Græcis esset ineffabile. Hi quippe (quod mirum.) ne unam quidem hujus vocis literam satis rectè scribere poterant, quia neque j neque *v* consonam habent, neque spiritum *h* in medio aut fine linguæ suæ scribunt. Audiamus *Petrum Molinæũ tract. de cognitione Dei*: Judæi, *inquit*, ut docerent essentiam Dei esse inexplicabilem, ipsum nomen Dei voluerunt esse ἀνεκφώνητον, seu ineffabile, & quod humano eloquio usurpari non possit, nec debeat. Quod videtur Angelus innuere, qui & vocatur Deus, qui cum Jacob luctatus est. Nã petenti Jacobo ut nomen suum ederet, noluit obsequi, sed dixit, *Cur meum nomen rogas?* Sic & Angelus, qui perinde Deus appellatur, *Jud.* 13. Manoam Simsonis patrẽ sciscitantem quodnã esset ejus nomen, hac oratione repressit: *Cur sciscitaris nomen meum? Est n. admirabile.* Hodiè in Hebræis codicibus Dei nomẽ scriptum est JEHOVAH. Quod nomen videtur data opera ita scriptum à Rabbinis, ut nomen Dei, ꝙ fronti cidaris summi Pontificis inscriptũ erat, absconderetur. Nam Josephus, qui fuit Pharisæus & sacerdos, lib. 6. belli Judaici testatur, nomen præfixũ tiaræ Pontificis habuisse τέσσαρα φωνήεντα, *quatuor vocales*, & meris quatuor vocalibus constitisse, ut planè videatur hoc nomẽ fuisse, non *Iehovah*, sed *Iova*, pronuntiando I & U vocali sono. Quod ea vox *Iovis* ab ethnicis usurpata indicat. Nec multũ ab hoc abscedit Diodorus Siculus, qui *libr.* 1. *bibliothecæ historicæ*, Deũ Mosis ait Ἰαῶ appellatum. At *Clemens Alexandrinus Stromatum libr.* 5. nomen illud πετραγράμματον, quod circumscriptum erat tiaræ sacerdotali, dicit fuisse Ἰαοῦ, quæ quidẽ vox iisdem vocalibus constat cum voce Jovà, sed aliter dispositis. Sed utut sit, aberrant toto cœlo, qui putant hac voce aut quacunq; alia Dei essentiam exprimi. Nulla n. vox dari potest quæ Dei, imò ne hominis quidem aut lapidis essentiam exprimat; cùm nomina nulla sint essentialia. *Hucusque Molinæus.* Nostram super hoc nomine sententiam paucis aphorismis proponemus.

1. Certum est, hoc nomen esse effabile. Nam absurdum & ridiculum est, nomen scribere, quod nemo possit effari.

2. Certum est, veteres tenuisse veram pronuntiationem nominis hujus. Sic n. Philo de vita Mosis: χρυσοῦν δὲ πέταλον ὡσανεὶ στέφανος ἐδημιουργεῖτο, τέτταρας ἔχον γλυφὰς ὀνόματος, ὃ μόνοις τοῖς ὦτα καὶ γλῶτταν σοφίᾳ κεκαθαρμένοις θέμις ἀκούειν καὶ λέγειν ἐν ἁγίοις, ἄλλῳ δὲ οὐδενὶ τὸ παράπαν οὐδαμοῦ. Et Judæorum traditio est, nemini licuisse hoc nomen concipere, præterquam Pontifici Maximo, idque decima Tisri, & quidem ἐν ἁγίοις. Itaque vera pronuntiatio nominis hujus non fuit ignorata. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

3. Certũ est, veteres Judæos ante Christum abstinuisse à promiscua hujus nominis prolatione, non superstitione, sed religione. Vide quæ sub initium attulimus de hoc nomine.

4. Certum est, recẽtiores Judæos, post Christum, inter alia de hoc nomine cõmenta, & hoc prodidisse, ꝙ sit ineffabile.

5. Certum est, hoc nomen significare essentiam. Philo siquidem libro de vita Mosis יהוה interpretatur ὄνομα ὄντος.

6. Cer-

6. Certum est *Iah* in voce *Halelujah* cõtractum esse ex nomine יהוה.

7. Certum est Johannem *Apocal.* 1. *v.* 4. explicare nomen Dei per hæc, ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος: & c. 16. v. 5. ὁ ὢν, καὶ ὁ ἦν, καὶ ὁ ἐσόμενος. Nam in nomine יהוה sunt notæ τῆς τελμερείας τοῦ χρόνου, quæ æternitatem indicant, hoc modo: הָיָה *fuit*, הוֶֹה *est*, יִהְיֶה *erit*. Ecce *jod* futuri, *holem* præsentis, *comets* præteriti est indicium.

8. Certum est nomen אֶהְיֶה & יהוה eandem habere radicem, ratione significationis. Nam ut היה sic הוה significat *esse*.

9. Certum est, Diabolum æmulatum esse hoc Dei nomen, quando foribus tẽpli Delphici præcepit inscribi vocem Εἶς, *Es*; quam mentitus est suum esse nomen.

10. Certum est, vestigia nominis יהוה occurrere apud ethnicos, item apud Samaritas. De Samaritis author est Theodoretus, illos pronuntiasse Ιαβαὶ, quasi יַהְוֶה vel יַהְוָה. Orpheus & Diodorus Siculus *ἰάω*, & *ἰαώ*, alii *ἰαῶ*, alii aliter pronuntiarunt.

11. Apud Epiphanium legitur *ἰαβὲ*, inter Dei nomina: ꝙ exponit ὃς ἦν, καὶ ἔστι, καὶ ἔσαι. Quidam etiam legunt ἰωβά.

12 Verisimile est nomen *Iovis* (.qui quidem vetus nominativ⁹ fuit.) ex יהוה expressum esse: ut constare potest ex illo Apollinis Clarii oraculo apud *Macrobium lib. 1. Saturn. c. 18.*

Φράζεο τῶν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν ἰάω

Dic omnium supremum Deum esse Iao:

Addit, *Hyeme quidem Platonem, Iovem autem vere incipiente.*

Solem verò æstate, autumno aũt ἁβρὸν ἰάω.

13. Certum est, nomen יהוה aliquid ampli⁹ significare q̃ essentiã Dei. *Exo.* 6. *v.* 2

14. Verisimile est septem vocales Græcorum sic exprimere hoc nomen ι ε [η] ω [ο] υ α. Sic profectò optimè potest explicari oraculum:

Καὶ σφόδρα, ἧ καθ' ἕκαστον ἀεὶ θεὸν ἑπτακιφώνον.

Et epigramma illud:

Ἑπτά με φωνήεντα θεὸν μέγαν ἄφθιτον αἰνεῖ

Γράμματα τῶν πάντων ἀκάματον πατέρα.

Εἰμὶ δὲ ἐγὼ πάντων χέλυς ἄφθιτος, ἡ τὰ λυρώδη

Ἡρμοσάμην δίνης οὐρανίοιο μέλη.

His ita præmissis concludimus 1. nomen יהוה pronuntiandum esse vel *Iehovah*, vel *Ieheveh*, vel *Iahveh*, vel *Iihveh*. 2. hoc nomen dici essentiale, quòd essentiam Dei notet, hoc est, illum *per esse*, ut est verbum apud Gregorium, significat. 3. hoc nomen essentiam Dei sic notare, ut non solùm æternitatem, sed etiam efficacitatem & veracitatem notet. Æternitatem; quia notat Deum esse à se, ab ævo in ævum. Efficacitatem; quia notat Deum dare τὸ εἶναι creaturis. Veracitatem; quia notat DEUM dare εἶναι promissionibus suis. Quod postremum innuitur *Exod.* 6. *vers.* 2. Ita hodiè possumus dicere: Deus nobis apparet nomine El schaldai, sed nomine suo Jehovah, jam nunc non cognoscitur: quia scil. nos exercet variis pressuris. Sed concludamus hanc meditationem, & uno verbo dicamus: Solus Deus est *Iehovah*, id est, ὁ ὢν καὶ οὐσιῶν, αὐτοὼν καὶ οὐσιοποιὸς ἐν κόσμῳ καὶ ἐκκλησίᾳ. Ipsi sit laus & decus in omne ævum, Amen.

JEHOVA ZEBAOTH. Est nomen Dei, notans DEUM exercituum, cœlestium

 videl.

videl. & terrestrium, quasi dicas, Armipotens. In hymno quodam redditur, *Rex virtutum*.

Ἱεραρχικαὶ τελεταί. *Dionysius hierarch. eccles. cap.* 3. Sacramenta hoc nomine insignit. q. d. sacras teletas seu initia.

Ἱεροτελεστικὴ πραγματεία. *Dionysius hierarch. eccles. c.* 3. Sacramenta hoc nomine appellat q. d. uniuscujusque sacræ initiationis operationem.

Jerosolyma. Hæc urbs in scripturis dicitur medium terræ, vel in medio terræ sita *Ezech.* 5. 5. *& Psalm.* 73. 13. item umbilicus terræ *Ezech* 38. 12. Quod verum est non solùm de terra Judææ, sed etiam de orbe habitabili veteribus cognito.

Jejunia sabbatica Judæorum. Pagani scriptores non semel usurpant hanc phrasin. Nam illi ex ignorantia rerum Judaicarum sibi persuaserant, Judæos sabbatis jejunare. Nisi malimus dicere vocem σάββατον synecdochicè poni pro septimana. Quo sensu accipi debet quod Pharisæus *Luc.* 18. ait, se bis jejunare in Sabbato.

Jeremias. Multi leguntur hoc nomine in V. T. Nam avus maternus Sedekiæ sic fuit appellatus 1. *Reg.* 24. 18. *Ier.* 52. 1. item Manassita, vir magni nominis 1. *Chron.* 5. 24. item strenuus miles, Davidis tempore 1. *Chron.* 12. 10. & alius miles *ibid.* *v.* 13. item Propheta, cujus vaticinium extat in canone; denique sacerdos quidam, post reditum ex captivitate *Neh.* 12. 1. Sunt etiam, q Prophetā Zachariam sic appellatū esse scribunt, argumento loci, qui est *Matth.* 27. 9. ubi tñ alii vitium librarii esse cōtendūt. Et ita quidē Ierosolyma ꝓpriè accipit. Porrò hæc vox allegoricè est piorum purè Deo servientium cœtus, qui dicitur ecclesia militans. *Psal.* 147. 12. *Cant.* 1. 2. 3. 5. 6. 8. & anagogicè ecclesiam in cœlis triumphantem *Gal.* 4. 26. *Hebr.* 12. 22. *Apoc.* 3. 12. *cap.* 21. *v.* 2. 10. In Hebræo est ירושלים, terminatione duali: quòd sit duplex Jerusalem, superior & inferior. Hieronymus semper τὰς Ἱεροσολύμας, non τὰ Ἱεροσόλυμα scribit. Vide *Iosephum Scaligerum notis ad Euseb. num.* 1978. Notatio vocis non est Græca, quasi sit ἱερὸν τοῦ Σολομῶντος, sed Hebraica, q. d. visio pacis: quod nomen est mysticum.

Jejunium. Νηστεία, ἀσιτία: propriè est ciborum defectus, vel abstinentia: item afflictio animæ per jejunium: denique laxiore significatione, abstinentia à cibis lautioribus, esuque carnium. *Theodoretus* eleganter ait, ἀληθὴς νηστεία ἡ διηνεκὴς ἔνδεια. Cæterùm jejunia vel divinitùs authoritatem habent, ut Mosis, Eliæ, Christi, quæ futuri officii, functionisque gratiâ fuerunt suscepta: vel indicantur publicè à magistratu, ut à Josaphato, & rege Ninevitarum; aut privatim, ut cùm sibi quisque eorum necessitatem imponit, ut Davidis, Danielis: vel denique Pharisaica sunt, & superstitiosa, de quibus illud dici potest:

Nil nequam edit, & nil bibit, impiusque Dæmon:
Ieiunus & est, nec meliorq; sanctiorq;.

Ei enim culpa adest, cibus deest, ut est apud Isidorum. Verum itaque jejunium est, νηστεύειν κακότητος, à malis consiliis & facinoribus animum & mentem abstinere. Quam ad rem non parum conducunt jejunia ordinariè vel extraordinariè suscepta. Nam ἡ πολυσαρκία ἀφορμὴ πρὸς ἁμαρτίαν ut ait Basilius. Itaque jejunium externum est magnifaciendum, non ut meritum, sed ut disciplina, quâ

Subjugatur luxus, & turpis gula
Libido sordens, inverecundus lepos,
Variaq; pestes langvidorum sensuum,

Ut canit Prudentius: & ut idem alibi,

Parcis victibus expedita corda,
Infusum meliùs Deum receptant.

Itaque jejunandum, ut corpus castigetur, & in servitutem redigatur, ut est apud Apostolum 1. *Cor.* 9. Hæc disciplina abstinentiæ valde commendatur à doctoribus ecclesiæ: & quidem nonnunquam ὑπερβολικώτερον. Etsi enim huic, quam dixi, disciplinæ omnes Christianos dare operam decet, cùm in omni vita, tum iis præcipuè diebus, quæ festorum celebritates præcedunt, item quoties impendet magna calamitas: cavenda tamen hîc est κακοζηλία, & opinio cultus, inprimis meritorii. Meminerimus hîc illud *Cypriani* de piis suis antecessoribus: Quoties à Deo aliquid obtinere conabantur, jejuniis incubuêre, & lachrymis, & pernoctantes in orationibus, ciliciis carni hærentibus supplices beneficia postularunt. Sed fusiùs paulò persequamur naturam & usum legitimi jejunii. Verum jejunium non tam in abstinētia à certis cibis, quàm in abstinētia moderata ab omni cibo & potu, & inprimis à peccatis consistit, juxta has Patrum sententias. *Hieronymus tom.* 1. *epistola ad Nepotianum*: Tantum tibi jejuniorum modum impone, quantum ferre potes. Sint tibi pura, casta, simplicia, moderata, & non superstitiosa jejunia. *Idem epistola ad Demetriadem virginem*: Neque verò immoderata tibi imperamus jejunia, & enormem ciborum abstinentiam, quibus statim corpora delicata frāguntur, & antè ægrotare incipiunt, quàm sanctæ conversationis jacere fundamenta. Philosophorum quoque sententia est, μεσότητας ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι. *Et paulò post*: Sic debes jejunare, ut non palpites, & respirare vix possis, & comitum tuarum, vel porteris, vel traharis manibus, sed ut fracto corporis appetitu, nec in lectione, nec in psalmis, nec in vigiliis solito quid minus facias. *Basilius Magnus de jejunio, concione* 1. Nec tamen in sola ciborum abstinentia jejunii bonitatem termines. Verum enim jejunium est abalienatio à malis. Solve omne injustitiæ ligamentum, remitte proximo afflictionem, dimitte ipsi debita: ne ad lites forenses & contentiones jejunetis. Carnibus non vesceris, sed comedis fratrem: à vino abstines, sed injuriis non dominaris: vesperam expectas ad sumendum cibum, sed diem in foro judiciali consumis. Væ qui ebrii estis non à vino. Ita ebrietas est animæ, desipientem ipsam faciens velut vinum. *Chrysostomus homil.* 3. *ad populum Antiochenum*: Jejunium autem dico, non hoc vulgare, sed accuratum jejunium: non tantùm ciborum abstinentiam, sed & peccatorum. *Et paulò post*: Honor enim jejunii non ciborum abstinentia, sed peccatorum fuga. Itaque ciborum abstinentia tantùm jejunium definiens, hic est qui maximè ipsum vituperat. Jejunas? Demonstra mihi per ipsa opera. Qualia, inquis, opera? Si pauperem vides, miserere: si inimicum videris, cōciliare: si amicum laudabiliter agentem videris, ne invideas: si mulierem speciosam videris, transcende. Non enim os tantùm jejunet, sed & oculus, & auditus, & pedes, & manus, & omnia corporis nostri membra. Jejunent manus à rapina & avaritia mundæ: jejunent pedes ad illicita spectacula cursum reprimentes: jejunent oculi discentes nunquam formosis obtutibus

insilire, nec alienas curiosè pulchritudines spectare. Cibus enim oculorum spectatio: sed si illegitima sit & prohibita, jejunio nocet, & omnem animæ salutem subvertit: si verò legitima & concessa, ornat jejunium. Etenim absurdissimum esset, cibis & concessa abstinere esca per jejunium, oculorum verò prohibitam attingere. Non comedis carnem? Neque lasciviam per oculos haurias. Jejunet & auris. Aurium auté jejunium, detractiones & calumnias non suscipere. *Et paulò pòst*: Jejunet quoque os à verbis turpibus & convitio. Quæ enim utilitas, cùm avibus quidem & piscibus abstineamus, fratres verò mordeamus & comedamus? Detrahens, fraternas carnes comedit, proximi carnem momordit. *Et mox*: Non infixisti dentes carni, sed animæ maledictum: improbam suspicionem infixisti: vulnerasti: innumeris affecisti malis, & teipsum, & illum, & alios plures. Ex his intelligere est, externum, sive corporale jejunium esse suscipiendũ ἀσκήσεως πνευματικῆς ἕνεκα, ut exercitium & disciplinam convenientem sanctitati religionis, adeoq; ut medium sobrietatis, de qua rectè dicitur:

Ταμεῖόν ἐς' ἀρετῆς σωφροσύνη βροτοῖς,
Virtutis est humana sobrietas penus.

Imò & virtutis divinæ, seu spiritualis. Nã cùm corpora cibo & potu onusta sunt, fieri non potest, quin mens quoq; opprimatur, ut animus ad cogitatione cõprehendẽdas res divinas minùs sit idoneus. Indicamus itaq; nobis subinde jejuniũ disciplinæ gratia, nõ cultus placandi Dei causa, hoc est, idoli & divini quasi Numinis constituendi in ecclesia. Meminerimus jejunium consistere non in ciborum tantùm abstinentia, sed omnium voluptatũ repudiatione: præterea abdicatione odii, insidiarum, consiliorum nefariorum, & quæ sunt ejusdem generis.

JESUS. Est servator, sive potiùs salvator: qui conservat, qui dat salutem. Notat officium Christi, & connotat personam. De hoc nomine *Iulius Cæsar Scaliger Epidorp.* ita canit:

O omnibus, ô nomen ineffabile titulis:
Nominis aura, salutiferi nomen amoris:
O vitæ stabilia fundamenta renatæ;
Vnum bona concilians nomen, ima summis:
Nos irradia numine splendentis JESU.

Et Vidas:

——— *insigni genitoris munere adeptus*
Præclarum, & dictis non enarrabile nomen,
Insolitum, evectum super omnia nomina nomen,
Quod cœlum, tellusq; tremunt, atque infera regna.

Sed videamus etymon hujus nominis. *Iustinus Martyr Apologetico primo*: Ἰησοῦς, inquit, καὶ ἀνθρώπου, καὶ σωτῆρος ὄνομα καὶ σημασίαν ἔχει. Jesus & hominis, & salvatoris significationẽ habet. Hîc habes etymũ geminum; unum verum, quòd Salvatorem significet (ita enim angelus interpretat.) alterum falsum, quòd hominem, quasi sit ab Hebraico איש. Allusio est apud Epiphanium, & alios, qui Ἰησοῦν interpretantur ἰατρὸν & ἰατῆρα, *medicum*, παρὰ τὸ ἰάσασθαι. *Andreas Osiander in harmonia evangelistarum* putat nomen Jesus esse Johosua, factum ex nomine Jehova, inserto Schin. *Castalio super Matth.* hoc nomẽ ducit à nomine *Iehovah* & *Isch*, ita ut quẽadmodum Jesus Deus & homo est, ita nomen ejus ex Dei & hominis nomine sit conflatum. Itaq; illi Jesus est idem, quod Immanuel, sive θεάνθρωπος. Dicit autem se hanc notationem didicisse ex *cap.* 15. *Exod.* ubi dicitur,

tur, Jehova *Isch Milchamah*, h.e. Jehova vir belli: ubi illi vir bellicosus dici videtur, quoniam de Christo sermo sit, qui vir futurus erat. Sed & hoc utrumque etymon falsum est: quia יושיע est ὁ σώζων. Ita *Zach.* 9. *v.* 9. Messias appellat' נושע, i.e. salutem habens, vel servans seipsum à morte scil. & omnibus suis hostibus. Cæterùm alii quoq; ante & post Christum habuerunt hoc nomē, ut videre est *Colos.* 4.11. Sed nemo id habuit eo sensu, quo id Filius Dei gerit. Ita quoque David appellatur מָשִׁיחַ alio sensu quàm Servator noster. Nimirū Servator noster appellatur Jesus univocè, οὐσιωδῶς καὶ ἐνεργητικῶς: quia est ipsa salus, & cornucopiæ salutis, de quo *Ignatius epist.* 6. *ad* Philipp. eleganter ait: Ἅγιος ὁ λόγος, ὁ τοῦ πατρὸς υἱὸς, δι᾽ οὗ πατὴρ τὰ πάντα πεποίηκε καὶ τῶν ὅλων προνοεῖ. Οὗτός ἐστιν ἡ πρὸς τὸν πατέρα ἄγουσα ὁδὸς, ἡ πέτρα, ὁ φραγμὸς, ἡ κλεὶς, ὁ ποιμὴν, τὸ ἱερεῖον, ἡ θύρα τῆς γνώσεως, δι᾽ ἧς εἰσῆλθον Ἀβραάμ, καὶ Ἰσαάκ, καὶ Ἰακὼβ, Μωσῆς καὶ ὁ σύμπας τῶν προφητῶν χορὸς, καὶ οἱ στύλοι τοῦ κόσμου οἱ ἀπόστολοι, καὶ ἡ νύμφη τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ ἧς, φερνῆς λόγῳ, ἐξέχεε τὸ οἰκεῖον αἷμα, ἵνα αὐτὴν ἐξαγοράσῃ, *Sanctum illud Verbum Filius Patris, per quem Pater fecit omnia, omnibusq; providet: hac est, qua ad Patrem ducit, via, hac petra, hoc septum, hac clavis, hic Pastor, hac hostia, hoc cognitionis ostium, per quod ingressus est Abraham, Isaac, Iacob, Moses, & universus prophetarum chorus, & orbis columna apostoli, & sponsa Christi, pro qua, dotis loco, effudit proprium sanguinem, ut eam redimeret.* Quæ cùm ita sint, unicum nostrum votum sit, Jesum videre in hac vita per fidem, in futura per aspectum. Etenim

Non est aliud gemino sub fornice cœli,
Sub utroque poli cardine, quàm nomen Iesu,
Quo certa salus maneat, spes certa salutis.
Ergo mihi te da, Pie, sic posse vocare:
Humani generis amor, sarta tecta, portus,
Asserta quies, pramia gratuita mundi.
Iesu pie, Iesu bone, mitissime Iesu,
Oro, da te amare, tibi obsequiq; soli:
Da te cernere hîc, da te mihi cernere & illîc.
Sic sat mihi: nil ampliùs volo. catera nil sunt.
Absint. Omnia sunt mihi nil prater Iesum.
Ipse est omnia: & omnia sunt nihil sine ipso.

Ignis. Inter alia est symbolum Spiritus sancti: ut cùm Johannes *Matth.* 3. ait, *Ego baptizo vos aqua: ipse* (.Christus.) *vos baptizabit Spiritu & igne.* Quàm sententiam ita reddidit Scaliger:

Non ut ego abjecta fluviali munere lympha,
Exsolvet veteris sordentia crimina pœna:
Sed liquido afflatu, ac cœli fulgentibus auris.

Cæterùm omne officium Spiritus sancti nobis ob oculos ponit hieroglyphicum ignis, ut patet ex sequenti prosa Victorii:

Qui procedis ab utroq;
Genitore, genitoq;
Pariter Paraclete.
Redde linguas eloquentes,
Fac ferventes in te mentes
Flammâ tuâ divite.
Amor Patris, Filiiq;
Par amborum, & utriq;
Compar, & consimilis
Cuncta reples, cuncta foves,
Astra regis, cœlum moves,
Permanens immobilis.
Lumen clarum, lumen charum,
Internarum tenebrarum
Effugas caliginem.
Per te mundi sunt mundati:
Tu peccatum, & peccati
Destruis rubiginem.
Veritatem notam facis,
Et ostendis viam pacis,
Et iter justitia.

Perverso-

Perversorum corda visas,
Et bonorum corda ditas
Munere scientia.
Te docente nil obscurum,
Te præsente nil impurum:
Sub tuâ præsentiâ
Gloriatur mens jucunda:
Per te læta, per te munda
Gaudet conscientia.
Tu commutas elementa,
Per te suam sacramenta
Habent efficaciam.
Tu nocivam vim repellis,
Tu confutas & revellis
Hostium nequitiam.
Quando venis, corda lenis,
Quando subis, atræ nubis
Effugit obscuritas.
Sacer ignis, pectus ignis
Non comburis, sed à curis
Purgas, quando visitas.
Mentes priùs imperitas,
Et sopitas, & oblitas
Erudis & excitas.
Foves linguas, formas sonum,
Cor ad bonum facit pronum
A te data charitas.
O juvamen oppressorum,
O solamen miserorum,
Pauperum refugium.
Da contemtum terrenorum,
Ad amorem supernorum
Trahe desiderium.
Pelle mala, terge sordes,
Et discordes fac concordes,
Et affer præsidium &c.

Hanc prosam illustrant sequentia.

Munera da lingva, qui das in munere lingvas.
Arator.

Immortalis amor, nexu qui cuncta tenaci
Colligit, & Patri Natum conjungit amato.
Zanchius.

Alme veni, facilisq; veni, & miserere tuorum,
Ponderibusq; leva fessos, & tolle per auras
Sublimes animis, terrenamq; exue mentem.
Idem.

In Concordantiis Latinis vulg. vers. hæc summatim adnotantur de voce Ignis. 1. Est focalis, quo utimur. 2. Est extraordinariæ Dei præsentiæ symbolū. *Exod.* 3.2.*c.*13.21.22. 3. Significat ipsum Deum *Deut.* 4.24.*c.* 9.3. *Hebr.* 12. 29. 4. Notat Christi vigilem & paternam curam *Apoc.* 1.14.*c.*2.18.*c.*19.12. ejusdemque potentiam summam *Apoc.* 10.1. 5. Significat Spiritus sancti efficaciam *Matt.*3.11. *Marc.* 9.49. *Luc.*3.16. 6. Est symbolum verbi Dei *Ierem* 5.14. *Apoc.*11.5. 7. Est signum benevolentiæ Dei 1.*Chron.* 21.26. 2. *Chr.* 7.*v.*1.3. 8. Est symbolum divinæ protectionis *Zach.*2.5. 9. Significat amorem cœlestem *Cant.*8.6. 10. Notat probationem, sive afflictionem filiorum Dei. *Psal.* 17.3. 11. Significat ignem è cœlo decidentem justo Dei judicio. *Iob.*1.16. 12. Significat iram Dei, variaque Dei judicia. *Iob.*15.24. 13. Notat ignem, quo mundus conflagrabit 2.*Petr.*3.12. 14. Est ignis infernalis *Matth.* 25.41. 15. Est symbolum falsæ doctrinæ *Apoc.*9.17.

IDITHUN. Κυρίως magistri cantorum nomen est 1.*Paral.*25.1. Sed in prosâ *Summi triumphum regis prosequamur laude,* tribuitur Domino nostro Jesu Christo, his verbis: *Iam Idithum nostrum vocibus sedulis omnes imploremus.* Nimirum ibi usurpatur ut appellativum, & significat transilientem. Sumta est autem hæc nomenclatura ex illo sponsæ: *Ecce iste venit saliens in montibus, transiliens colles*: quod poëta Christianus ita reddidit,

Montis ab aërei decurrens vertice summo
Tramite declivi saltus prætervolat omnes:

IMAGO,

IMAGO θεότευκτ☉. Hoc nomine Euagrius insignit imaginem Christi, quã ipse Christus confecerit, & ad Abgarum Edessæ toparcham miserit. Euagrius ille est scriptor à fabulosis narrationibus non nimis alienus. Merito itaque narratio ipsius de hac imagine rejicitur: præsertim cùm antè annum æræ Christianæ circiter 150. nihil auditum sit in orbe Christiano de illa imagine. Sanè si hujusmodi imago Edessæ fuisset asservata, Eusebius fecisset hujus rei mentionem, quando epistolam Abgari ad Christum, & vicissim Christi ad Abgarum, itemque facta & sermones Thaddæi apostoli apud Abgarum recensuit. Gregorius, Damascenus, Concilium Nicenum, & alii figuræ istius meminerunt: sed meminerunt tantùm, nullum verò argumentum adferunt, quo veritas rei probetur.

IMAGO DEI. Hanc scholastici rectè faciunt duplicem: putà imaginem naturæ, & gratiæ. *Imago naturæ* remansit post lapsum, sed valdè imminuta, corrupta, & depravata. *Imago gratiæ* (.ad quam præcipuè initiò conditus erat Adam.) per lapsum Adami penitùs exstincta est & perdita. Hinc *Athanasius de incarnatione Verbi Dei tom.* 1. rectè scribit, imaginem Dei esse amissam. Et *lib* 3. *de assumtione hominis, tom.* 2. ait: Post transgressionem Adam imaginem immortalitatis, in qua factus fuerat, amisit. Idem docet *Augustinus tom.* 3. *lib.* 6. *de Genesi ad literam, cap.* 27. Hanc imaginem in spiritu mẽtis impressam perdidit Adam per peccatum, quam recipimus per gratiam justitiæ. Et *tom.* 4. *lib.* 83 *quæstionum, quæstione* 67. ait: Ipse homo, cùm jam signaculo imaginis propter peccatũ amisso remansit tantummodo creatura. Et hæc quidem dicta loquuntur de imagine gratiæ. Sequentia agunt de imagine naturæ. *Augustinus lib.* 1. *retractationum cap.* 27. ait: Quod non ita accipiendum est, quasi totum amiserit homo, quod habebat imaginis Dei. Nam si omnino non amisisset, non esset propter quod diceretur, Reformamini in novitate mentis vestræ. Et, In eandem imaginem transformamur. Sed rursum, si totum amisisset, nihil maneret, unde diceretur, Quanquam in imagine ambulet homo, tamen vanè conturbatur. *Ambrosius lib.* 1. *de vocatione gentium, cap.* 3. ita scribit: Homo liberum arbitrium ne tunc quidem perdidit, quando diabolo voluntate se dedit. Ubi per liberum arbitrium intelligi debet libertas voluntatis, quâ illa est libera à coactione. Aliàs homo amisit liberum arbitrium, quatenus illud refert ad imaginem gratię. Cæterùm imago Dei, quam dicunt gratiæ, fuit primæ originis recta conditio in homine protoplasto: nimirum in Deum conversa ratio sapiens, & ex eadem fluens voluntas justa: quas ex necessitate consecuta fuisset immortalitas, & quoddam felicitatis cornucopiæ.

IMMANUEL sive EMMANUEL. Est nomen mysticum Servatoris nostri *Esa.* 7. *v.* 14. *& c.* 8. *v.* 8. *Matth.* 1. *v.* 23. & complectitur tum personã, tum officium ipsius. Christus siquidem est μεθ' ἡμῶν ὁ θεὸς, *nobiscum Deus* 1. Ut est θεάνθρωπος, id est, Deus & homo, Deus manifestatus in carne, verbum caro factum, latens in humana fragilitate Deus, ut inquit *Augustinus*, seu homo DEO mistus, ut ait *Tertullianus* qui se nostris vestiit artubus, ut *idem* ait,

Ante ævum de Patre, & matre in tempore natus,
Seminis hinc expers, omninò temporis illinc,

uti canit Alcimus. 2. ut est nobiscum contra hostes nostros, sive, ut est nobis auxilio contra mala nostra: nempe sapientia nobis stultis, justitia injustis, sanctificatio impuris, redemtio damnatis. *Augustinus lib. 8. de Genesi ad literam cap. 14.* hoc eleganter sic exprimit: Ex genere Israel factus Emmanuel, nobiscum Deus, reconciliavit nos Deo, hominum & Dei homo mediator, Verbum apud Deum, caro apud nos, Verbum-caro inter Deum & nos. Pertinet huc, quòd Græci officiales Christi actus expressuri, eos appellant ἀποτελέσματα θεανδρικά. Cæterùm ut in nominib. Ἰησοῦς & Χριστὸς allusivæ notationes suam habent gratiã: ita & in voce Immanuel. Qua de re *Petrus Kirstenius notis in Arabicum evangelium Matthæi* ait, posse & in Arabica lingua derivari *Emmanuil*, ab עמם, id est, generale & commune facere, item populus, multitudo; & גיל potentia, facultas &c. quasi robur generale, seu commune, sive populi potentia, multitudinis facultas &c. Nam Christus est κοινὸν ἀγαθὸν populi sui *Matth. 1. v. ult.* Sed, ut dixi, hoc etymon est allusivum. De priori ait Damasus

—— *Mundiq; repertor*
Pars fuit humani generis:

& Ambrosius in hymno:

Vt hominem redimeres,
Quem antè iam plasmaveras,
Et nos Deo conjungeres
Per carnis contubernium. Nempe
Hinc terrena levans, illic cœlestia præstans.

Arator.

Itaque hoc nomen est Messiæ proprium in quarto modo, & præter unionem personalem duarum naturarum in Christo etiam significat præsentissimum auxilium, quod nobis præstat hic rex noster: ita ut nomen עִמָּנוּאֵל totius mundi furori opponatur. *Es.* 7.14. Nam propheta mutato orationis statu non citra ironicam exclamationem compellat & animosè provocat universam gentilitatem, ut & propinqui & longinqui omnes vires omniaque consilia sua conferant, quibus tamen contra genuinum Jehudam, i. e. contra ecclesiam, nihil profecturi sint, postquam Deus propter hunc Immanuelem partes eius defendendas suscepit. Hoc loco teneantur variæ classes sive ordines nominum, quæ Christo tribuuntur. 1. Nomina Christi sunt *divina*, ut Deus, filius Dei unigenitus, imago Dei inconspicua, pater æternitatis: *humana*, ut filius hominis, filius Mariæ, semen mulieris: vel θεανδρικά, ut Immanuel, Ithiel, θεάνθρωπος. 2. Sunt concreta, vel abstracta. Nomina *concreta* ursus sunt vel personæ, ut Deus, homo; vel officij, ut Mediator, Messias, Christus: vel utriusq; simul, ut Iesus, Immanuel, & similia quæ vel notant personam & connotant officium, ut Immanuel; vel notant officium & connotant personam, ut Iesus. Nomina *abstracta* significant vel naturas, ut deitas, humanitas: vel officium, ut sapientia, iustitia 1. Cor. 1. 30. 3. Sunt *propria Christo*, ut Immanuel: vel *communia*, eaque vel cum Patre & Spiritu sancto, ut Iehova, Deus; vel cum hominibus, ut Messias, Iesus, Christus. Ubi tenenda regula: nomina quædam dicũtur de Christo & hominibus analogicè, quędam ęquivocè. Analogicè duobus modis: putà typicè, ut Cyrus appellatur Christus: vel participativè, ut omnes sancti appellantur Christi: æquivocè: ut nomen Iesus quibusdam in V. & N. T. tributum legimus. 4. Competunt Christo vel *per se*, ut panis vitę, lapis angularis:

laris: vel per accidens, ut petra scandali. 5. Sunt *propriæ significationis*, ut Iesus: vel *modificata*, ut lux, via, angelus, sponsus. 6. Sunt *plana*, ut redemtor, unigenitus patris: vel *mystica*, ut A καὶ ω, angelus facierum.

IMPLERE LEGEM. Tribus modis impletur lex: videl. faciendo, credẽdo, & conãdo. Primo modo Christus implevit legẽ: secundo modo & tertio credentes in Christũ implent legẽ. Nimirum fides in Christum implet legẽ; quia amplectitur Christũ, q legem perfectissimè implevit. Hac de re *Chrysost. in epist. ad Romanos, c. 10. homil. 17.* sic ait: Si n. legis finis est Christ⁹: sequitur, quòd qui Christum non habet, etiamsi legis justitiam habere videat̃, eam tamẽ non habeat: q verò Christũ habeat, etiamsi legẽ non præstiterit, totũ tamen acceperit. Etenim medicinæ finis est sanitas. Quemadmodũ igitur qui sanũ facere potest, etiãsi medendi artẽ non habuerit, totũ tamen habet: q verò curare non novit, etiamsi videat̃ artem exercere, prorsus tamen excidit: ita quoq; in negotio legis habet & fides. Fidem enim si quis habet, is etiam legis finem habet. Extra fidem si quis fuerit, utriq; alienus est. *Et paulò pòst*: Nõ est itaq; ꝙ timeas, inquit, velut legis transgressor, posteaquã ad fidem accessisti. Tunc enim legẽ transgrederis, quando Christo propter illã non credis. Quòd si illi credideris, & hanc implesti, & multò plura, quàm ea præceperat. Multò siquidem majorem jam accepisti justitiam. Vide etiam suprà tit. FINIS LEGIS.

IMPORTUNUS. Interdum idem est, quod crebrò instans: ut in illo Christiani poëtę

——— Cum fortiter instat
Importuna fides: quidquid res dura negarit,
Sola frequens votis oratio præstat honestis.

IMPROPERIUM. Est convitium *Ro. 15. 3.* & opprobrium *Psal. 69. v. 20. 21. & 74. 22. & 79. 12. Hebr. 11. 26. c. 13. 13.* Pari ratione *impropero* est exprobro *Matt. 27. 44. Iacob. 1. 5.* & probris afficio *Ps. 74. v. 10. 18. Ro. 15. 3.*

IMPOSSIBILE NATURA, &, IMPOSSIBILE NATURÆ. Plurimùm differũt hęc duo. Nam *impossibile naturâ* est, ꝙ per naturam suam, secundúm se, ex propria sua ratione est impossibile: Græci vocãt ὅλως καὶ ἁπλῶς ἀδυνάτον. Talia sunt, quę in seipsis repugnantiã habẽt, quæq; rerũ naturis & definitionibus repugnãt, seu, ut vulgo loquimur, q̃ implicant contradictionẽ, ita ut fieri nõ possint, quin vel Dei veritas vacillet, vel de ejus natura aliquid decedat. Huc pertinet insigne illud dictũ *Ambrosii lib. 6. epist. 37. ad Chromatiũ.* Numquid nam mentitur Deus? Sed nõ mentit̃, quia impossibile est mẽtiri Deũ. Impossibile quoque istud, numq d nã infirmitatis est? Non utiq;. Nã quomodo omnia potest, si aliquid efficere nõ potest? Quid ergo ei impossibile? Non ꝙ virtuti arduum, sed ꝙ naturę ejus cõtrariũ. Impossibile, inqt, est ei mẽtiri? Impossibile istud nõ infirmitatis est, sed virtutis & majestatis: quia veritas nõ recipit mẽdaciũ, nec Dei virtus levitatis errorẽ. Ideoq; sit Deus verax, omnis a. homo mendax. Veritas itaq; semper in eo est, fidelis manet, mutare se & negare non potest. Si enim verum se negat, mẽtitur. Mentiri aũt non virtutis, sed infirmitatis est. Nec mutare se potest: quia natura ejus nõ recipit infirmitatem. Hoc igitur impossibile ejus plenitudinis est, qa minuere se & augere nõ potest: non infirmitatis, quæ in eo ꝙ se auget, imbecilla est. Ex quo colligit̃, impossibile Dei potẽtissimũ esse. Quid n. potentiùs, q̃ nescire quidquid infirmitatis est? Cum his Ambrosii cõsentit *Augustinus to. 5. li. 5. de civita-*

 te, Dei

te Dei cap. 10. Jam videamus quæ dicantur *impoßibilia naturæ.* Talia verò sunt, quæ à nulla creatura fieri possunt ob defectum vitium, sive, ut loquuntur, ob esse & posse diminutum. Hæc itaque sunt impossibilia secundùm quid. De his accipe illud *Luc.* 1. Apud Deum non est impossibile ullum verbum.

IMPUTARE. Propriè est in rationibus adscribere, quæ dicuntur putari, quando conferuntur & liquidæ fiunt. Itaque imputare est putando seu inter putandum adscribere: sicut Germanicè dicimus zurechnen/ q. adnumerare, numerando adsignare, in supputatione attribuere. Hebræis est חָשַׁב, putare, reputare, cogitare, numerare. Quam vocem LXX. reddiderunt λογίζεσθαι, διαλογίζεσθαι &c. Est autem imputatio alia vera, alia falsa. Illa est, quæ habet fundamentum in re: hæc, quæ ex errore, falsitate, aut etiam mendacio proficiscitur, estq; injusta vel etiam injuriosa. Imputatio divina nihil habet falsum: sed est actio aut justæ severitatis in improbando & ulciscendo, aut justæ bonitatis in approbando & remunerando, aut singularis misericordiæ in condonanda culpa & debita pœna, aut donando indebito bono. Hominum autē imputationes aliæ sunt veræ, aliæ falsæ. Porrò quod attinet ad divinam imputationem, illa est duplex. Nā homini imputatur aut quod ei inest, vel quod fecit: aut quod ei nō inest, vel quod non fecit. Priori modo severitas Pinhasi in transfigendis scortis reputata seu imputata est ei ad justitiā, h.e. approbata est divinitùs, tanquā justa & ex sancto zelo profecta, licet homines eam æquo vehementiorē judicarent. *Ps.* 105. *v.* 31. *Num.* 25. Ita peccatori peccatum imputari dicitur, cùm, ut est, peccator censetur, & inter peccatores quasi annotatur, ut pœnam luat: contrà non imputari dicitur, cùm condonatur. Posteriori modo peccatum nostrum imputatum est Christo, ut sponsori, ad hoc, ut ipse morte sua pro eo satisfaceret. Similiter nobis imputatur Christi obedientia, quam tāquam sponsor noster pro nobis præstitit. Hîc quærat aliquis, quomodo nobis dicatur fides imputari *Gen.* 15. *v.* 6? Resp. Fides dicitur nobis imputari, nō quòd sit ipsa justitia, sed quia justitiam Christi amplectitur. Hac siquidē fide ita acquiescit Deus, ut nos justos pronūtiet propter justitiam Christi fide apprehensam. Hac de re *Ambrosius in* 1. *Cor.* 1. eleganter sic ait: Gratia sic data est in Christo Jesu, quia hoc cōstitutum est à Deo, ut, qui credit in Christum, salvus sit, sine opere, sola fide gratis accipiens remissionem peccatorū. Videamus nunc an hæc vox *imputare* in loco justificationis etiā occurrat apud Patres. *Athanasius adversus eos, qui damno afficiunt genus nostrum eo, quòd negant, Servatorem ex natura nostra sumsisse primitias,* disertè docet, τὴν πλήρωσιν τοῦ νόμου, τὴν διὰ τῆς ἀπαρχῆς γενομένην, ὅλῳ λογίζεσθαι φυράματι, h.e. impletionē legis à primitiis factam, toti massæ imputari seu adscribi. *Bernhardus epist.* 190. Si nunc ꝓ omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt; ut videl. satisfactio unius omnib. imputetur, sicut omniū peccata unus ille portavit. *Idem sermone ad milites tēpli c.* 11. Mors in Christi morte fugatur, & Christi nobis justitia imputatur. *Ibid.* Qui nostrā & induit carnē, & subiit mortem, putas suam nobis negabit justitiam? voluntariè incarnatus, volūtariè passus, voluntariè crucifixus, solā à nobis retinebit justitiā? *Ibid.* Unus peccavit, & omnes tenentur rei: & unius innocētia soli reputabitur

bitur uni? Unius peccatũ omnib. operatũ est mortem, & unius justitia uni vitam restituet? Itane Dei justitia magis ad condemnandum, quàm ad restaurandum valuit? Aut plus potuit Adam in malo, quã Christus in bono? Adæ peccatum imputabitur mihi, & Christi justitia non pertinebit ad me? *Justinus Martyr epistolâ ad Diognetum*: Quid enim aliud peccata nostra potuit tegere, quàm ejus justitia? In quo alio nos iniqui & impii pro justis haberi possumus, quàm in solo Dei Filio? ô dulcem permutationem! ô impervestigabile artificium! ô beneficia expectationem omnem superantia! ut iniquitas quidem multorum in justo uno abscondatur, justitia autem unius faciat, ut multi injusti pro justis habeantur. At, inquis, quodnam est fundamentum duplicis istius imputationis, quâ peccatum Adami omnibus hominibus, justitia autem Christi omnibus electis imputatur? Resp. Fundamentum est unio, quâ fit ut omnes homines sint in Adamo, tanquam rami in stipite, & omnes electi in Christo, tanquam palmites in vite.

INCLUSUS. Est monachus: ἔγκλειςος, claustrarius; qui scil. in claustro, hoc est, loco clauso, & monasterio, habitat. *Regino in Chron.* Horum adventum vir Dei Hospitius, qui apud Nicæam erat inclusus, sancto sibi revelante spiritu, longè antè prævidit. *Doduhinus*: Ecce quidam inclusus, cui nomen erat Petrus, in finib. Hispaniæ constitutus, claustris egressus, totum commovit orbem.

INCONSUTILIS. Christus putatur duas tantùm gestasse vestes, pallium & tunicam. *Pallium* sciderunt milites in quatuor partes: quod mysticè explicatur de ecclesia Christi per quatuor mundi partes diffusa & divisa. Erat autem pallium Hebræorum vestis ampla, constans quatuor pannis, certo modo inter se junctis. *Tunica* Domini fuit inconsutilis, h. e. nullam suturam habuit, sed à summâ parte ad imam fuit texta, nempe ita ut Germani dicunt, gestricket / nicht gewebet: sicut retia contexuntur, item tibialia, & similia. Hâc de re *Casaubonus exercit.* 16. eleganter, ut solet, ita disserit: Est hodie in usu genus quoddam operum laneorum, binis prælongis acubus factorum, cujusmodi sunt tunicæ nocturnæ, tibialia, quæ à stamine vocitantur, item alia, quorum operum confectio fuit veteribus nota. Nullum est dubium, Domini hanc tunicam eo artificio fuisse confectam.

INCREMENTO) Editiones Augustini verba illa 1. *Cor.* 3. 9. ὁ αὐξάνων θεὸς vertũt, Dominus qui incrementat, id est, incrementum dat.

INFERNUS. Apud *Hieronymum in Hos.* 13. ponitur hæc vox pro receptaculo animarum tum beatorum, tum damnatorum, his verbis: Inter mortem & inferos hoc interest. Mors est, qua anima separatur à corpore: infernus locus, in quo animæ recluduntur, sive in refrigerio, sive in pœnis pro qualitate meritorum. Ita vocem ᾅδης usurpat *Diphilus Comicus apud Clem. Alexandr. libr.* 5. Dictus est autem ᾅδης vel quasi ἀηδὴς, quòd ibi nihil sit ἡδὺ: vel q. ἀιδὴς, inconspicuus. Sed in *Sibyllinis oraculis lib.* 1. ᾅδης derivatur ab *Adam*, his verbis.

ᾅδην δ' αὖτε κάλεσαν, ἐπεὶ πρῶτος μόλεν Ἀδὰμ
γευσάμενος θανάτου ——

INITIATI. Græcis Patribus dicuntur μεμυημένοι. Appellabantur autem hoc nomine illi, quibus licebat interesse cõmunio-

munioni sacramentorum, quique dicebantur Fideles. Traduxerunt Patres hoc institutum & nomen Paganorum ad religionem Christianam. Nam ut Seneca dicit sanctiora sacrorum solis *initiatis* fuisse nota: & Photius ex veteri scriptore, numero 242, philosophiam divinam dividit in ῥητὴν καὶ ἀπόρρητον, hoc est, *in eam, quam evulgare fas erat, & in eam, quam evulgare fas non erat*: Jamblichus autem libro tertio, de philosophiâ Pythagoreorum, in τὰ ἀπόρρητα, *quæ efferri non poterant*, & τὰ ἔκφορα, *quæ forâs efferre jus erat*: ita universam doctrinam Christianam veteres distinguebant in τὰ ἔκφορα, id est, *ea quæ enuntiari apud omnes poterant*, & τὰ ἀπόρρητα, *arcana temerè non vulganda*: de quibus neque in familiaribus colloquiis, neque in Catechesibus, neque in concionibus verba temerè faciebant coram paganis, Catechumenis, aut quibusvis aliis non initiatis. *Basilius de Spiritu sancto cap.* 27. doctrinæ Christianæ duas partes facit, τὰ κηρύγματα, *præconia*, & τὰ δόγματα: dogmata eo loco appellans, quæ alii vocant τὰ ἀπόρρητα, *arcana non evulganda*, τὰ δόγματα, inquit, σιωπᾶται· τὰ δὲ κηρύγματα δημοσιεύεται, *dogmata silentur, præconia publicantur.* Idem docet *Gregorius Nazianzenus orat.* 42. his verbis: μηδὲ ἔκφορα τοῖς ἔξω τὰ πολλὰ τῶν ἡμετέρων μυστηρίων εἶναι, *pleraque nostrorum mysteriorum, ne enuntiari quidem iis posse, qui sunt extra fidelium communionem.* Huc pertinet ista formula, in mentione sacramentorum potissimùm usitata, ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον, *nôrunt initiati quod dicitur.* Quæ formula Chrysostomo, Augustino, & aliis Patribus est usitatissima. Quinam verò sint μεμυημένοι, ex collatione aliquot locorum constat. Nam quod *Chrysostomus in Genes.* 49. ait. ἴσασιν οἱ μεμυημένοι τὸ λεγόμενον, *intelligunt initiati quod dicitur*: quam formulam etiam usurpat *homiliâ* 72. *in Matthaeum*: id *commentario in Psalm.* 140. sic enuntiat: ἴσασιν οἱ πιστοὶ τὸ λεγόμενον, *Sciunt fideles, quid dicam.* Itaque initiati sunt fideles, hoc est, qui ad communionem sacramentorum sunt admissi: unde etiam συμμύσται dicuntur. Ita enim *Chrysostomus in Iohannem homil.* 15. ἴσασιν, ait, οἱ συμμύσται τὸ λεγόμενον, *Sciunt symmystæ quid dicatur.* Et *homiliâ* 85: ἴσασιν οἱ μυσταγωγούμενοι, *Sciunt ii, qui sacris erudiuntur.* Porrò initiatis opponuntur ἀμύητοι, *non-initiati.* Quæ vox sæpe occurrit: ut in Liturgiâ per diaconos pronuntiabantur ista verba, ὅσοι κατηχούμενοι προέλθετε, vel ἔξω περιπατεῖτε, ὅσοι ἐνεργούμενοι, ὅσοι ἀμύητοι, *Omnes Catechumeni forâs discedite, omnes possessi, omnes non initiati.* Ita *Chrysostomus homil.* 40. *in* 1. *Corinth.* ait, se non audere σαφῶς εἰπεῖν, διὰ τοὺς ἀμυήτους, *perspicuè loqui, propter initiatos*: deinde addit, se quo poterit modo dicturum συνεσκιασμένως, *obscurè*, vel ut Lucretius ait, *adumbratim*: planè ut apud *Theodoretum dialogo* 2. propter ἀμυήτους, *non-initiatos*, Eranista jubet Orthodoxum respondere αἰνιγματωδῶς, *perplexè. Cyrillus Hierosolymitanus in Procatechesi* eleganter ait, Catechumenos, quibus fas non est cognoscere sacra mysteria, περιηχεῖσθαι, *vocem circumsonantem audire*; postea verò quam facti sunt fideles, ἐνηχεῖσθαι, *intus erudiri*: deinde verbis disertis dat præceptum suis auditoribus, ne quæ didicerint, postquam fidelibus fuerint

rint aggregati, Catechumenis, quos ponit inter τοὺς ἔξω, *extraneos ab ecclesiâ*, enuntient. In *sexta Catechesi* scribit idem: περὶ μυστηρίων ἐπὶ κατηχουμένων, λέγομεν οὐ καλοῦμεν ἀλλὰ πολλὰ πολλάκις λέγομεν ἐπικεκαλυμμένως, ἵνα οἱ εἰδότες πιστοὶ νοήσωσι, *De mysteriis, si præsentes sint Catechumeni, clarè non loquimur: sed sæpè multa dicimus tectè, ut qui nôrunt fideles intelligant*. Apud Dionysium Areopagitam multis locis differitur de hoc silentio, atque id sanctissimè servandum præcipitur: ut *Hierarchiæ cœlestis capite secundo*. & in singulis ferè capitibus *Hierarchiæ ecclesiasticæ* sæpiùs. *Isidorus Pelusiota* de esu Eucharistiæ loquens: ἴσασιν οἱ μύσται τὸ λεγόμενον, *Sciunt mysteriorum periti, quid dicatur*. Similes formulæ occurrunt apud Patres Latinos. Nam apud August. passim leges, *Sacramentum* quod nôrunt fideles: ut in.10. *de civitate Dei capite sexto, in Psalm* 39. & 109. *tractat. in Iohan* 26. Et *in undecimo* hic ait: *Interrogemus Catechumenum. Manducas carnem filii hominis? nescit quid dicimus*. Iterum: *Nesciunt Catechumeni, quid accipiant Christiani. Erubescant* ergo *quia nesciunt*. Similiter *Ambrosius de initiandis*: Nunc de mysterio dicere tempus admonet, atque ipsam sacramentorum rationem reddere: quam ante baptismum si putassemus insinuandam non initiatis, prodidisse potiùs quàm edidisse æstimaremur. *Gaudentius*, Ambrosii æqualis, *tractatu* 2. Modò ea solùm de lectione carpenda sunt, quæ præsentibus Catechumenis explanari non possunt, & necessariò tamen aperienda sunt neophytis. Cùm igitur soli fideles nota haberent religionis Christianæ mysteria, iidemque tanto studio illa occultarent: occasio Gentibus data est, traducendæ veræ pietatis; quasi tenebras sectaretur, & lucem fugeret, ac hominum notitiam. Itaque Celsus, ut refert Origenes, ludibrii causa religionem Christianam subinde vocitabat κρύφιον δόγμα, *clandestinam doctrinam*. Origenes verò hanc calumniam diluens, ostendit, falsum esse capita doctrinæ omnia occultari: plurima enim quæ Gentes irrideant palam tradi & omnibus exponi: quòd si quædam non omnibus passim communicentur, non magis eo nomine reprehendi jure Christianos à Paganis posse, quàm suos ipsi philosophos reprehendant, disciplinam suam dividere solitos in ἐξωτερικὰ, quæ foràs proferuntur, patentque omnibus; & ἐσωτερικὰ, quæ intra scholæ fines continentur, suntque propria discipulorum interioris admissionis. Huc pertinet locus *Gregorii Nazianzeni in priore invectiva*: εἰσὶ καὶ παρ' ἡμῖν κατ' ἐπίκρυψιν λόγοι τινες οὐκ ἀρνήσομαι: *Sunt etiam apud nos quidam sermones per occultationem proferendi: nolo diffiteri*. Sed quantum esset discriminis inter mysticos Christianorum sermones & fœdas ineptias Paganorum, postea declarat. Sed videamus quarum potissimùm rerum silentium exercuerint primi illi Christiani, & quas ob causas id fecerint. Et quidem *in primo censu* rerum silendarum posuerunt sacramenta, non quidem quantum ad res in ipsis significatas, & efficaciam illorũ (.nam hæc duo palam docuerunt.) sed quantum ad symbola, & ritũ celebrandi, & rituum causas. Neque enim dissimularunt, in cœna Dñi se venerari Deum Christianorũ peculiari quodam modo præsentem: sed quæ esset

forma

forma ejus sacrificii, quod per symbola panis & vini peragitur, hoc veteres præ se non ferebant, verùm occultabant. *Deinde* ordinationem episcoporum & presbyterorum inter sacramenta vetus ecclesia posuit, propter impositionem manuũ & Spiritus sancti invocationem & acceptationem. Quare hujus etiam formulas clam habuit, & solis fidelibus notas esse voluit. *Dionysius sub finem hierarchiæ ecclesiasticæ & Chrysostomus homil.* 18. *in posteriorem ad Corinthios.* Præter illa, quæ ad sacramẽta pertinebant, fuerunt & alia, quorum cognitio initiatis non patebat: putà preces quædam in matutina & vespertina liturgia, ad quas non admittebantur nisi fideles. Siluerunt etiam quædam apud Fideles infirmos: ut vocem ὁμοούσιος. Restat jam, ut de causis hujus silentii, quas iidem Patres adferunt, aliquid dicamus. Sunt autem causæ præcipuæ tres istæ. 1. sublimitas eorum, quæ occultabant, &, ut *Cyrillus Hierosolymitanus in Procatechesi loquitur*, τὸ ὕψωμα τῶν διδασκομένων, *sublimitas eorum quæ docentur*. 2. ut rerum sacrarum cupiditas accenderetur in Catechumenis. 3. studium vindicandi à contemtu res sacras, & contra majestatis cujusdam opinionem illis conciliandi. De prima causa accipe illud *Cyrilli Alexandrini libr*. 7. *in Iulianum*: Dicerem sanè de his etiam multa alia, & vera &c. nisi, sicut jam ante prædixi, revererer non-initiatorum aures. Solent enim minùs comprehensibilia à plerisque rideri; quòd præ imbecillitate mentis suæ non vident, & omninò nihili faciunt, quæ omni admiratione prosequi decebat. De secunda hujus silentii causa ait *Augustinus tractatu* 96. *in Ioh*. Et si Catechumenis sacramenta fidelium non produntur, non ideo fit, quòd ea ferre non possunt, sed ut ab eis tantò ardentiùs concupiscantur, quantò honorabiliùs occultantur. *Idem in Psalm*. 109. Fidelibus loquor. Si quid non intelligant Catechumeni, auferant pigritiã, festinent ad notitiã. *Ambrosius initio libri de initiandis ait*, quòd inopinantibus meliùs se ipsa lux mysteriorum infundit, quàm si eam sermo aliquis præcurrisset. Nimirum ita est, ut *Claudianus Mamertus presbyter lib*. 2. *de statu animæ*, ait: Mortalium generi natura datum est, ut abstrusa fortiùs quærat, ut negata magis ambiat, ut tardiùs adepta plus diligat, & eo flagrantiùs ametur veritas, quò vel diutiùs desideratur, vel laboriosiùs quæritur, vel tardiùs invenitur. De tertia causa loquitur *Basilius Magnus libro de fide*, ubi authoritate Mosis demonstrat, *rei pedibus hominum expositæ, & quæ statim sine ullâ difficultate capi queat, præstò esse cõtemtum; rei verò ab hominum usu remotæ & raræ, naturali quodam modo esse annexum, ut studiosè requiratur*. Omninò hæc ratio est, cur nonnulli Patrum de sacramentis novo quodam & inusitato dicendi genere scripserint; quod à cothurno tragico, vel dithyrambicis ampullis non multùm videatur distare. De gentium mystis scribit Tertullianus adversus Valentinianos: *Diutiùs initiant quàm consignant: cùm epoptas ante quinquennium instituunt, ut opinionem suspendio cogitationis ædificent: atque ita tantam majestatem exhibere videantur, quantam præstruxerunt cupiditatem*. Similem & huic scopũ veteres Christiani in suis mysteriis sibi proposuerunt, quem quidem se assecuturos credebant, si de mysteriis, aut omninò apud vulgus non loquerentur, aut obscurè certè, remotisque à vulgi consuetudine dictionibus & loquendi generibus, uterentur.

INITIUM. Significat in vulgata versione. 1. eum qui est ab æterno, adeoque est causa efficiens omnium *Apoc.* 21. 6. 2. caput & fundamentum rei *Psalm.* 111. 10. 3. extremitatem. *Deuter.* 13. 7. 4. primitias *Numer.* 18. 13. *Ezech.* 20. 40. 5. principium status sive conditionis *Matth.* 24. 8. *Marc.* 13. 8. 6. principium rei *Marc.* 1. 1. *Iohan* 2. 21. 7. principium temporis 2. *Sam.* 21. 10. Phrasis *Ab initio* vel idem est quod olim *Ios.* 24. 2. vel idem quod ante secula *Mich.* 5. 2.

INNATUS. Vox hæc occurrit apud Tertullianum, qui Deum Patrem dicit esse *innatum*, id est, ἀγέννητον, ut est in symbolo Athanasii, prorsusque ἄναρχον. Nam Pater nullum habet principium, neque essentiæ, neque personæ. Filius & Spiritus sanctus habent principium personæ, sive subsistentiæ, etsi non habent principium seu originem essentiæ. Hinc Filius est γεννητός; Spiritus sanctus, ἐκπορευτός, ut loquitur *Athanasius in symbolo.*

INSENSATUS. Hæc vox occurrit in vulgata versione *Galat.* 3. 1. & significat amentem. Sæpiùs legitur in libris apocryphis: ut *Sap.* 3. 12. *cap.* 5. *vers.* 4. 21. *c.* 11. 16. *cap.* 12. *v:* 24. 25. *c.* 15. *v.* 5. 18. *Eccles.* 16. 20. & 21. 21. & 22. 14. & 27. 13. & 34. 1. & 36. 21. & 42. 8. 2. *Maccab.* 11. 13. Hinc adverbium insensatè *Sap.* 12. 23.

INSTRUMENTUM. Theologi tum veteres, tum recentes promiscuè usurpant nomina *instrumenti* & *testamenti*, quando loquuntur de Scriptura sacra: ut patet ex duobus istis locis. *Augustinus tomo* 6. *libr.* 11. *contra Faustum Manichæum cap.* 5. ait: Distincta est à posteriorum libris excellentia canonicæ authoritatis veteris & novi testamẽti. *Ruffinus exposit. in symbolũ sect.* 35. ait: Quæ sint novi & veteris instrumenti volumina. Quod attinet ad vocẽ *instrumentum*, illa debet hoc loco accipi sensu politico, ita ut significet peculiarem, eamque solennem, & canonizatam, ut loquũtur, formulam. Quo sensu vulgo dicimus Instrumentum notarii, sive à notario confectum. Itaque cùm Scripturam sacram appellamus instrumẽtum, hoc dicere volumus, illam esse solennem formulã, quà exponitur voluntas Dei de nobis & à nobis. Quanquam etiam significatio logica hujus vocis potest hîc locum habere, hoc pacto. Quemadmodum causa principalis utitur instrumento: sic Deus in procuranda salute nostra adhibet Scripturam sacram. Quò facit, quòd Evangelium dicitur potentia Dei ad salutem cuivis credenti. *Rom* 1. Sed prior significatio in voce *instrumentum* potiùs hîc attenditur. Nam sicut instrumenta sunt publicæ literæ, quæ sunt inter instrumenta probationis, tanquam documenta & testimonia, quibus instructi sumus ad res nostras tuendas: ita V. & N. T. est testimonium, quo instruimur de voluntate Dei, quam & à nobis vult fieri, & de nobis facere. Obiter hîc observa dici etiam *strumentũ* apud *Tertull. lib.* 1. *ad uxorem*: Nobis continentia ad strumentum æternitatis demonstrata est à domino salutis Deo, ad testimoniũ fidei, ad commendationem carnis istius exhibendæ superventuro indumento incorruptibilitatis, ad sustinendam novissimè voluntatem Dei. Ibi *B. Rhenanus*: Strumentum pro instrumento etiam alibi usurpatum, ut structus pro instructus, & structiùs adverbialiter pro instructiùs.

INTEGELLUS. Nova hæc vox respondet Hebraico יְשֻׁרוּן: qua blandissima appellatione Deus populum suum electũ, dilectum illud suum peculiũ ornat *Deut.* 32. 15.

32.15.c.33.v.5.26. *Esa.* 44. 2. Significatur autem hoc nomine, ecclesiam sive populum Dei vocari à Deo ad integritatem sive rectitudinem, eamque geminam, unã in Christo imputatam, alteram in singulis requisitam. Nam ישר rectum significat, & ישר rectitudinem. Videtur autem Moses de industria formasse hãc vocem, alioquin inusitatam, ut alludat ad nomẽ שור, quo significatur taurus: ut innuat, populum illũ, qui debebat esse ישרון factum esse שור, id est, instar tauri saginati recalcitrasse. ὑπαίνιξις: quę parit elegantem paronomasiam. Quasi dicat: Israel debebat esse *Ieschurun*, sed est *Schor.*

INTEGRITAS. Hæc est vel consummata, vel inchoata: & hæc tribuitur bonis operibus electorũ. Aliàs dicitur perfectio integritatis & partium, qua fit ut omnia quæ Deus in lege sua à nobis postulat, ex puro & toto corde, atque ex omnibus viribus præstare conemur.

INTERMINUS. Est attributum Dei, idem quod ἀπέρατος, sine termino. *Cui nec principiũ, cui neque finis erit.* In Prosa Gregorii Magni *Grates nunc omnes*, tribuitur Filio Dei, his verbis: *Natus ante secula Dei Filius, invisibilis, interminus.*

INTRANSITIVA COMMUNIO. Deitatis & humanitatis Christi communio dicitur intransitiva, hoc est, ἀσύγχυτος, quia neque naturæ, neq; earum proprietates vertuntur. Huic opponitur *communio transitiva*, quæ est in iis, quæ per temperaturam miscentur: ut cùm ex aqua & melle fit hydromeli.

INVENTUM VALDE. Hæc phrasis emphaticè usurpatur de præsentissimo auxilio: ut *Psal.* 46. 2. *Deus auxilium nostrum est in angustiis*, נמצא מאד inventum valde, i.e. præsentissimum. Simpliciter etiam adhibetur vox נמצא *Esa.* 55. 6. *Quærite Dominum, dum invenitur: invocate eum, dum prope est.* Loquitur hîc Propheta de Messia, cujus præsentiam indicat per verbum נמצא, *inventus fuit*, aut, ut Latinus loquitur, *præsens adfuit.*

INVESTIGABILIS. Usitatè ponitur pro *impervestigabilis. Proverb.* 5. 6. *Roman.* 11. 33. *Ephes.* 3. 8. 4. *Esdr.* 6. 44. & 9. 19. Aliàs analogicè idem esset qp facilè investigari pôt. Nam investigo est pscrutor, pervestigo.

INVOCO. Est 1. appello Deum, clamo ad Deum 1. *Sam.* 12. 17 *Psalm.* 4. 2. & 14. 4. 2. accerso in auxilium *Hos.* 7. 11. 3. attraho, sive pertraho. *Psal.* 42. 8 4. clamo *Ps.* 147. *v.* 9. 5. colo Deum, religionem veram apertè sequor, sincerum Dei cultum palam & piè profiteor. *Genes.* 4. 24. *cap.* 12. 8. *cap.* 13. 3. *cap.* 21. 33. *cap.* 26. 25. 2 *Samuel.* 6. 2. 2. *Chron.* 6. 20 *Esa.* 43. 22. *Actor.* 9 14. 21. 6. clamo pro justitia *Esa.* 59. 4. 7. contestor. *Deut.* 4. 26. *cap.* 30. 19. *cap.* 31. 28. 8. nomino, voco. *Genes.* 33. 20. *cap.* 48. 16. *Esa.* 4. 1. c. 43. 7. Ex his patet invocationem esse aliam religiosam, aliam civilem; & hanc iterum esse variam. Prior illa est inter præcipua nostra officia, itemque media, per quæ Deus nobis communicat sua dona. Est enim veluti clavis, qua divinæ beneficentiæ thesauri à nobis recluduntur, & debita Deo gratitudo à fideli corde rependitur: q̃ duo conjungit Psaltes *Ps.* 50. 14.

JOHANNES. Hebraica vox est יוחנן: quæ occurrit 2. *Reg.* 23. & 25. 1. *Chron.* 3. & 6. *item* 17. & 26. *Esdr.* 8. & 10. *Ier.* 40. & 41. & 42. LXX. reddunt Ἰωάναν: alibi Ἰωνάν, item Ἰωνᾶς, quæ Scriptura confundit duo distincta nomina Johannis & Jonæ. Vide 1. *Chron.* 6. *v.* 9. Vox *Iohannes* notat gratiam Dei q.d. gratiosum coram Deo: vox *Iona* colũbã. Duo in N. T. celebrãtur hoc nomine

mine: Johannes Baptista, prodromus ille Christi, & Johannes Apostolus, idemq; Evangelista, qui per excellentiam appellatus est theologus, & fuit symbolū contemplationis, sicut Petrus actionis, i.e. vitæ periculis & casibus sexcentis atq; erroribus obnoxiæ. Quo sensu *Theophylact. in Luc.* 25. Petrum & Johannem vocat πρᾶξιν & θεωρίαν, *actionem & contemplationem*. Idem *in Ioh.* 20 sic scribit: Tu verò observes velim, Petrum quidem agendi facultatem denotare & fervorem; Johannem verò contemplandi virtutem, & ingenii bonitatem in cognitione rerū divinarū.

Ipse. Hoc pronomen est inter nomina Dei. Dicitur autem Deus *Ipse* antonomasticè: & Hebræis eodem sensu הוא.

Iresione. Græcè εἰρεσιώνη, Est oleæ ramus lana velatus, & habens omnigenos terræ fructus dependentes, ut ait Suidas: qui deducit ab ἔριον, *lana*. Talis fuit Atheniensium iresione, i.e. fasciculus levis è plurium arborum frondibus & fructibus concinnatus, quem gestabant. Talis etiam fuit Judæorum Hoschana, quā propter eam causam *Iosephus lib.* 3. *c.* 10. εἰρεσιώνην appellat. Vide supra Hosanna.

Ἰσαπόστολος. Vox hæc frequens est inter titulos, quibus Græci insignioris nominis Episcopos vel Patriarchas solent ornare. Significat autem hæc vox eū qui est Apostolo æqualis. Cui appellationi congruit illa, νέος ἀπόστολος.

Iscariotes. Fuit unus è duodecim Apostolis, proditor Domini, & peculii Christi depeculator, qui in multis egregium Antichristi typū gessit, nominatim in isto. Christus Judam proditorem adhibito buccellæ symbolo indicavit. Cū vero eū non expresè nominaret, apostoli notionē istius symboli non perceperunt, nec Domini proditorē priùs agnoscere potuerūt, q̄ facinus perpetratū eum proderet. Non n. credebant, in apostolum suumq; condiscipulum tantum nefas cadere. Cæterū Christus p hujusmodi ambages primū adumbravit antichristi illius apostolici mysteriū, quatenus is ex ipsius Christi domo & familia, unde omnium minimè expectabatur, oriri debuit. Deinde per easdem rituū ambages eventus revelationis antichristi magni fuit præfiguratus. De eo loquor, quod serò & post facti demū completionem, nec citra familiæ Christi periculū, & quasi inter sacras epulas deprehendi debuit & agnosci: & id quidem non citra controversiā, & curiosam piorū indignationē. De vocis etymo variāt authores. *Hieronymus* vel à viro, aut urbe, in qua ortus est, vel ex tribu Isaschar hoc cognomen sumtū esse putat. Rationem addidit: Isaschar n. interpretatur merces, ut significetur pretiū proditoris. *Caninius* opinatur dici quasi אִישׁ קְרִיּוֹת, *Virum Carioth*, i.e. oriundū ex urbe Carioth, de qua *Ios.* 15 v. 25. Tremellius & Junius vel à שָׂכָר *merces*, & futuro יוּסַר *inducetur* dictum esse putant q. d. mercede inducetur ad defectionē, ut hoc nomē à Christo prophetice sit impositū: vel à Syriaco סכר *strangulare* quod per anticipationē dicatur q. strāgulatus, qui se postea strangulavit: vel quòd propheticè sic fuerit appellatus.

Israel. Est nomen Patriarchæ Jacobi. *Ambros. in Coloss.* 1. exponit, *Homo videns Deū*. Sed etymon verū est in Mose expressum *Gen.* 32 v 28. sc. princeps Dei: quia per fiduciā Deo adhæsit, & difficultates ab eo objectas animi fortis penetratione superavit.

Ithiel. Hoc nomen occurrit *Proverb.* 30. *vers.* 1. Putant autem Hebræi, quos sequitur Mercerus, Ithielem fuisse unum ex discipulis Agur. Sed rectè observant

Tremellius & Junius *Ithiel* esse vocem compositam ex tribus, quasi dicas, Mecũ Deus fortis, ut *Immanuel Esa.7.v.* 14. Ita ut sit nomẽ Christi, qui nobiscum est Deus, ita ut sit Deus & homo, nobisque sit presens in omni periculo. Non itaque rectè vertitur iste locus in Proverbiis: *Prophetia, quam dixit vir ad Ithiel, ad Ithiel, inquam, & Uchal:* cùm ita debeant verti, *Comportatio verborum viri (sc. Aguris) Ithieli, Ithieli inquã & Uchali dilecti.* Quod supplemẽtũ exprimit vim idiotismi Hebraici. Nã לְאִיתִיאֵל הַגֶּבֶר *vir ille Ithielis*, eodem sensu dicitur, quo מִזְמוֹר לְדָוִד *Psalmus Davidis.* Sicut enim hîc significatur Psalmus à Davide scriptus, ita ibi vir ab Ithiele, id est, à Christo, electus, & dilectus. Cæterùm duo sunt peculiariter hîc observanda. 1. ex vocali brevi & Daghesch cõfectam esse vocalem longam in prima syllaba nominis אִיתִיאֵל, *mecum est Deus fortis.* Mercerus non rectè exponit, *cum quo est Deus fortis*, 2. nomen Ithiel repeti, ut ampliùs declaretur ejus vis, hoc modo: *Agur est vir Ithielis, Ithielis*, inquam, *& Uchalis.* Hâc repetitione admonemur, nos meritò gloriari in Christo, tum quia idem est Deus nobiscum, adunata hypostaticè natura Dei cũ natura nostra in ipso; tum quia omnis potestas data est ipsi in cœlo & in terra ad perficiendam salutem nostram, quam Agur extra se quærit *v.* 2. 3. *&* 4. quasi dicat, Ego sum brutus, insipiens, & impotens: at in meo Ithiele & Uchale invenio thesauros sapientiæ & potentiæ. Ille *mecum est Deus*, ratione personæ, & officii: in illo *possum* omnia. Colophonis loco velim expendi, annon *vir Ithielis & Uchalis* possit dici *ἰσοδυναμεῖν* nomini *χριστιανὸς* q. d. virum Christi.

Jubilæus. Talmudistæ putant annũ jubilæum sic dictum à cornu arietino, qui Arabibus dicitur יוֹבְלָא. Nam cornu arietino promulgabatur libertas in anno jubilæo. Alii יוֹבֵל interpretantur diductionem soni: quòd transiret tuba per totã terram, ut est *Levit.* 25. *v.* 9. Alii malũt interpretari *ἀναγωγὴν*, *reductionem*: ita ut שנת היובל sit *annus reductionis.* Reducebat namque iste annus omnes ad vetustas sedes agrosque suos, ad antiqua hæreditatum jura, & primas vivendi conditiones. Itaque non ineptè ex Philone *περὶ τῶν δέκα λόγων* Jobel exponi etiam poterit *ἀποκατάστασις*, *restitutio*: quòd hoc anno res ac personæ in pristina loca restituerentur ac reponerentur. *Levit.* 25. *v.* 10. Alii denique à *deductione* sic appellatum putant: quòd anni jubilæi nos ducant ad Christum & Chronologicè & Theologicè. *Chronologicè*; quia catena jubilæorum est quoddam *κειμήλιον* Chronologiæ sacræ. *Theologicè*: quia jubilæus annus fuit typus temporis gratiæ & libertatis veræ in Christo Jesu.

Judæa. Si vocis primã originem spectes, erit propriè regio posterorũ Judæ, in Cananæa seu Palæstina: quæ Judæa est Syriæ pars princeps. Sed nomen latiùs patet, ut cognatas quoque stirpes complectatur; aliàs tamẽ plures aliàs pauciores. Sic Judæa angusta significatione capitur *Luc.* 2. *v.* 4. *&* 3. *v.* 1. & in *cap.* 1. *vers.* 5. ubi appellatur Herodes Magnus Rex Judææ, lata significatione accipiendum, sicut apud Strabonem & alios. Quæritur hîc à viris doctis, cur post reditum à captivitate omnes omnium tribuum Abrahamidæ vocati fuerint Judæi, & terra tota Judæa, vel *γῆ ἰȣδα*, *terra Iudæ*: idque illo potissimùm tempore, quo rerum potiente tribu Levi, tribus Juda videbatur obscuran-

ſcuranda? Euſebius enim rectè obſervat, à reditu ex captivitate ad Chriſtũ (.quod tempus ipſe facit 500. annorum.) ſolos Pontifices regimen obtinuiſſe, è tribu verò Juda ne unum quidem. Sed idem Euſebius ſolvit hunc nodum, quando ait, nõ aliam ob cauſam hoc accidiſſe, quàm ob prophetiæ (.*Gen.* 49.) prærogativam: quà tribui Juda ſit collatum τὸ ἀρχικὸν ἀξίωμα, id eſt, *principalis ſeu imperialis* dignitas.

JUDÆUS. Aliquando latiùs capitur, aliquando anguſtiùs. Quando latè accipitur, omnes complectitur ejuſdem originis, religionis & regionis, aut ſaltem religionis ſocietate junctos: Hieroſolymitanos, Galilæos, Peraitos, Idumæos, Alexandrinos, Babylonios, & omnes, qui Philoni & aliis dicuntur οἱ ἐν διασπορᾷς. Quando anguſtiùs id nomen ſumitur, cives duntaxat Hieroſolymitanos complectitur, & decem toparchias circa Hieroſolymam. Et hoc eſt quod apud *Ioſephum lib.*11. *belli c.*5. cæteris Judæis, qui feſti gratia venerant in urbem, opponitur ὁ γνήσιος ἐξ αὐτῆς Ἰουδαίας λαός, hoc eſt, germanus & purus putus Judæorum populus, in ipſa Judæa, propriè ſic dicta, urbe, inquam, & toparchiis Hieroſolymorum natus. Porrò in gentilibus hiſtoriis aliquando ſub Judæorum nomine etiam Chriſtiani continentur; quòd primi Judæi fuerint, & Chriſtus ex Judæis ortus ſit. Quidam ajunt, omnem Chriſtianum debere eſſe Judæum, id eſt, confeſſorem.

JUGUM CHRISTI. Sic *Matth.*11.*v.*29. 30. dicitur doctrina & dominium ejus; quia ut jugum jumentis imponitur ut pareant ad laborandum: ita nobis doctrina fidei & charitatis ad ſerviendum Deo. Ita jugum reſpectu imponentis eſt imperium: reſpectu ferentis obſequium.

JUS APPELLATIONUM, ſeu, PROVOCATIONUM. Hoc eſt duplex, eccleſiaſticum & politicum. Utrumque eſt privilegium ſive beneficium, quo judici ſuperiori, ad quem appellatum eſt, licet cauſas ab inferioribus judicibus judicatas, iterum cognoſcere, & ſententias judicum inferiorum vel confirmare, vel retractare & reſcindere. Tale jus ſumit ſibi Papa Romanus: ſed perperam, ut patet ex ſequentibus. *Concilium Milevitanum, imperantibus Arcadio & Honorio, ſic ſtatuit capitulo* 22.*ut habetur tom.*1. *Conciliorum*: Item placuit ut presbyteri, diaconi, vel cæteri inferiores clerici, in cauſis quas habuerint, vicini epiſcopi eos audiant: & inter eos quidquid eſt, finiant, adhibiti ab eis ex conſenſu epiſcoporum ſuorum. Quòd ſi & ab eis provocandum putaverint, non provocent, niſi ad Africana concilia, vel ad primates provinciarum ſuarum. Ad tranſmarina autem qui putaverit appellandum, à nullo intra Africam in communione ſuſcipiatur. *Sed videamus, quid concilium Nicenum, quod eſt primum inter œcumenica, decernat hac de re*: τὰ ἀρχαῖα ἔθη κρατείτω, τὰ ἐν αἰγύπτῳ, καὶ λιβύῃ καὶ πενταπόλει, ὥστε τὸν ἐν ἀλεξανδρείᾳ ἐπίσκοπον πάντων τούτων ἔχειν ἐξουσίαν. ἐπειδὴ καὶ τῷ ἐν τῇ ῥώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο συνηθές ἐστιν. ὁμοίως δὲ καὶ κατὰ τὴν Ἀντιόχειαν καὶ ἐν ταῖς ἄλλαις ἐπαρχίαις τὰ πρεσβεῖα σώζεσθαι ταῖς ἐκκλησίαις, id eſt, Antiqui mores ſerventur, qui ſunt in Ægypto, & Libya, & Pentapoli, ut Alexandrinus epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem; quãdoquidem & Romano epiſcopo parilis mos eſt: Similiter & Antiochiæ, & in aliis provinciis ſua privilegia ac ſuę dignitates ſerventur

ventur ecclesiis. *Hic canon citatur in jure canonico distinct.* 65. Concilio Niceno subscribit *concilium Constantinopolitanum primum*, itidem œcumenicum, his verbis: Episcopi, qui extra diœcesin sunt, ad ecclesias, quæ extra terminos eorum sunt, non accedant, neque confundant & permisceant ecclesias: secundùm regulas constitutas. Alexandriæ quidem episcopus, ea quæ iu Ægypto sunt, tantùm gubernet. Orientis autem episcopi, solius Orientis curā gerant &c. Idem ibidē sancitur de episcopis Asię, Ponti & Thraciæ.

Jus Canonicum. Gratianus patria Clusinus, professione monachus S. Benedicti, claruit tempore Eugenii III. Pontificis, & Conradi III. Imperatoris ad annum Domini 1145. Scripsit Decretum, sive concordiam discordātium canonum: farraginem valde laboriosam, in quā canones plurimos collegit ex Scripturis, ex veterum conciliorum decretis, responsis Pontificum, scriptisq; & dictis Patrum. Et quamvis alii viri docti in hoc genere scriptionis laborarunt, ut Dionysius Exiguus, Isidorus, Cresconius, Burchardus, Ivo, & si qui alii sunt: ipse tamen solus obtinuit, ut publicè in gymnasiis prælegeretur, & infinitis commētariis illustraretur. Scripsit hoc opus Bononiæ in monasterio S. Felicis, ex sententia Trithemii lib. 2. de viris illustribus Ordinis S. Benedicti, anno 1127. vel, ut alii volunt, anno 1151. nisi fortè Trithemius inchoationē, alli consummationem operis annotaverint, ut ait *Bellarminus de scriptoribus ecclesiasticis ad an. Domini* 1140. ubi probat hoc opus, ut à mendis purgatum, & suæ integritati restitutū fuit à viris quibusdam eruditissimis authoritate Gregorii XIII. Pōtificis, anno salutis 1580. Ibidem ait: Gratianus id unum habet, quod reprehendi posse videtur, quod nō habuit delectum authorum, ex quibus decreta collegit. Et sub finem istius rubricæ: Adde quòd plurimis in locis Gratianus citat Chrysostomum pro authore operis imperfecti, & Hieronymum ꝓ Origene. Cæterùm farrago ista Gratiani est prima & potissima pars Juris, q vocant canonici eò quòd cōstet ex canonibus ecclesiasticis. Multa in hoc syntagmate Gratiani occurrunt, quę cum veteri apostolica & sinceriore doctrina cōveniunt, & cum multis, quæ hodiè ecclesiæ, tanquā catholica & orthodoxa obtruduntur, imò sub nomine ecclesiæ aguntur, usurpantur, & venditantur, plurimum disconvenientiæ habent. Magnū itaque operæ pretium fuerit Decretum hoc Gratiani in certa capita & titulos digerere, ut ita ὡς ἐν ζωνόψει uno velut obtutu cognosci possit, qd in Decretorum libris sit, quod cum nostræ ætatis doctrina conveniat. Ita enim fiet, ut & nos cōfirmemur in vera sententia, & alii moderatiùs de nobis & ecclesiarum nostrarum doctrina judicent, cùm videant nos in primariis, & fundamentalibus, ut loquuntur, dogmatibus nihil à doctrina veteris ecclesiæ dissentire: ideoq; iniquè nos hæreseos insimulari. Si n. hæretica sunt, quæ nos docemus, hæretica etiam erunt ista omnia, quæ in Decretis cōsentiunt cum nostra doctrina, & sic hæreseos etiam illi proprium suum Jus maxima ex parte accusabunt. Ita ergo multi dum in nos furiunt, ꝓprio suo se conficiunt gladio, sibique ipsis in multis contradicunt, dum in nobis cōdemnant, quod in ipsorummet Decretis est positum. Facilè sanè ad Christianam res redigi possent cōcordiam, si hæc dogmata, quæ in Decretis consen-

consentiunt cum doctrina nostra, apud omnes valerent, ab omnib. exercerentur, apud omnes in usu essent. Neq; est quòd moremur sophistas, qui clarissima Decreti axiomata, quæ sunt veluti radio solis scripta, torquent, luxant, obscurant, & tantum non expungunt. Viri pii & prudentes non patiuntur hujusmodi nebulas suis offundi oculis, ut ꝓ non dictis habeant, quæ disertè à veteribus dicta sunt, aut pro exoletis & obelo jugulandis judicent, quę congruunt cum sententiis Scripturarum, & per se satis clara sunt. Colligamus itaq; ea, quæ in hoc Decreto, cum Scripturis & praxi ecclesiæ primitivæ, itemq; superiori seculo reformatæ, consentiunt. Quanquam quid dixi, colligamus? Producamus potiùs in lucē ea, quæ *Iohãnes Hallerus* anno 1572. collegit. Libellus est elegantissimus, & à nobis emaculatus. Memineris autem, non sequendum esse judicium Bellarmini, qui probat editionem anni 1580. Illa siquidem nō sapit genium antiquæ antiquitatis, ut ita dicā, multis in locis. Vetustiora exemplaria hîc adhibenda sunt. Sed proferamus libellum Halleri.

SUMMA RERUM TRACTATARUM capita.

1. *De doctrinâ.*
2. *De S. Scripturâ.*
3. *De Patribus eorumq; scriptis.*
4. *De Conciliis.*
5. *De synodis bis in anno celebrandis.*
6. *De constitutionibus humanis.*
7. *De consuetudinibus.*
8. *De abusibus tollendis.*
9. *De gratiâ, remissione peccatorum, & solâ fide justificante.*
10. *De sacramentis.*
11. *De baptismo.*
12. *De cœnâ Domini.*
13. *De excommunicatione,*
14. *De ritibus ecclesiasticis, seu adiaphoris.*
15. *De cantu ecclesiastico.*
16. *De bonis ecclesiasticis.*
17. *De magistratu.*
18. *De jurejurando & votis.*
19. *De hæreticis.*
20. *De Primatu in ecclesia, & de Papa.*
21. *De electionibus & ordinationibus.*
22. *De Simonia.*
23. *De officio & Studiis Sacerdotum & Episcoporum.*
24. *De Vita & conversatione Clericorum.*
25. *Contra Luxum Sacerdotum.*
26. *De fornicatione Sacerdotum.*
27. *De Conjugio, Secundis nuptiis & Divortio.*
28. *De Conjugio Sacerdotum.*
29. *De Monachis, Monialibus & Claustris.*
30. *De Iejunio.*
31. *De Confeßione auriculari.*
32. *De Feriis, & die Dominico.*
33. *De Eleemosynis & oblationibus & injuste acquisitis.*
34. *De Peregrinationibus religionis ergô, & locis Sacris.*
35. *De Sepultura, Purgatorio & Defunctorum exequiis.*

SENTENTIÆ EX DECRETIS CANONICIS collectæ.

DE DOCTRINA.

CAPUT I.

Non aliud docendum aut sentiendum esse, quàm quod à beato Petro, & reliquis Apostolis traditum est. Marcellus Papa.

Rogamus 24. q. 1. Rogamus vos fratres dilectissimi, ut non aliud doceatis, neq; sentiatis, quàm quod à B. Petro, & reliquis Apostolis à patribus accepistis.

Non

Non ex proprio corde docendum, vel ex humano sensu, sed ex scripturis sanctis, & ea quæ Spiritus sanctus docet. Hieronymus.

Dist. 36. Si quis vult.) Hæc duo sunt Põtificis opera, ut à Deo discat legendo scripturas divinas, & sæpius meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerat, non ex proprio corde vel humano sensu sed quæ spiritus sanctus docet.

Substantiam sacerdotii esse sacram Scripturam. Ex VII. Synodo.

Dist. 38. Omnes Psallentes.) Substantia summi sacerdotii nostri, sunt eloquia divinitus tradita, id est, vera divinarum scripturam disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius.

Vide plura ejusmodi infra de examine eorum qui ad sacros ordines admittendi.

DE SACRA SCRIPTRA.

Caput II.

De authoritate Scripturæ sanctæ. Augustinus.

Dist. 9. Ego solis.) Ego solis eis scriptorum, (alias scripturarum) libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque referre, (alias deferre) vt nullum eorum scribendo errasse audeam credere, aut si aliquid in eis offendero, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud existimẽ, quàm mendosum esse Codicẽ, vel non assecutum esse interpretem, quod dictum est, vel, me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, vt quantalibet sanctitate, quantâve doctrina polleant, non ideo verum putem quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi per alios authores, vel Canonicos, vel probabiles rationes, quod à vero non abhorreat persuadere potuerunt.

Et Paulo post ibidem. Quis nesciat.) Quis nesciat sacram Scripturam Canonicam, tam veteris quam novi testamenti, certis terminis suis contineri, eamq; posterioribus omnibus Episcoporũ literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum sit vel constiterit esse. Episcoporum autem literas, quæ post confirmatum Canonem, vel scriptæ sunt, vel scribuntur, & per sermonem fortè sapientiorum in ea re cujuslibet peritioris, & per aliorum Episcoporum graviorem authoritatem, doctioremque prudentiam, & per Concilia licere reprehendi, si quid in eis fortè à veritate deviatum est?

Item ibidem C. Noli frater.) Noli frater contra divina tam multa, tam præclara, tam indubitata testimonia colligere velle calumnias ex Episcoporum scriptis, sive nostrorum, sicut Hilarij, sive Cypriani, & Agrippini, antequam pars Donati separaretur, primoque hoc genus literarum, ab authoritate Canonum distinguendum est. Non enim sic leguntur, tanquam ita ex eis testimonium proferatur, ut contra sentire non liceat, sicubi fortè aliter sapuerint, quàm veritas postulat. In eo quippe numero sumus, ut non dedignemur, etiam nobis dictum ab Apostolo accipere: Etsi quid aliter sapitis, hoc quoque vobis Deus revelabit.

Ibidem, C. Noli meis.) Noli meis literis quasi Canonicis scripturis deservire, sed in illis, & quæ non credebas, cùm inveneris, incunctanter crede: in istis autẽ, quod certum non habebas, nisi certum intellexeris, noli firmum tenere.

Scripturam rectè debere intelligi. Hier.

Dist. 37. Vino.) Vino inebriantur, qui

ſcripturas ſacras malè intelligunt atque pervertunt. Sicera, qui abutuntur ſeculari ſapientia, & dialecticorum tendiculis. Quæ non tam tendicula ſunt appellanda quàm phantaſmata, id eſt, Umbræ quædam & imagines, quæ citò pereunt, & reſolvuntur. Idem. Secũdum tropologiam Pſeudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter ſcripturarum verba accipiunt, quã Spiritus ſanctus ſonat, & Divinos eos, qui conjectura mentis ſuæ, incerta futurorum quaſi vera pronunciant, abſque divinorum authoritate verborum. Idem. Quicunque ſcripturas non ita intelligunt, ut rei veritas habet, uvam acerbam comedunt.

Non aliunde, ſed ex ipſis ſcripturis, veritatis ſenſum capiendum eſſe. Clementis PP.

Diſt.37. C.Relatum.) Lex Dei cùm legitur, non ſecundum propriam ingenii virtutem vel intelligentiam legatur vel doceatur. Sunt enim multa verba in ſcripturis divinis, quæ poſſunt trahi ad eum ſenſum, quem ſibi unuſquiſque ſponte præſumpſerit, ſed non oportet. Nõ enim ſenſum extrinſecus alienum & extraneum debetis quærere, ut quoquo modo ipſum ex ſcripturarum authoritate confirmetis, ſed ex ipſis ſcripturis ſenſum capere veritatis oportet.

Scripturarum ſenſum ex linguis originalibus eruendum.

Diſt.9. C.) Ut veterum librorum fides de Hebræis voluminibus examinanda eſt, ita novorum veritas, Græci ſermonis normam deſiderat.

Diſt.19. C.) De quibus cauſis nulla ſolvendi ligandique authoritas, in libris veteris & novi Teſtamẽti, & quatuor evangeliorum cum totis ſcriptis Apoſtolorum non appareat, ad divina recurrite ſcripta Græca.

DE PATRIBUS EORUMQUE ſcriptis, Auguſt.

CAPUT III.

Diſt.9. C.Negare.) Negare non poſſum nec debeo, ſicut in ipſis majoribus, ita multa eſſe in tam multis opuſculis meis, quæ poſſunt juſto judicio, & nulla temeritate culpari.

Diſt.8. C.Neque quorumlibet.) Neq; quorumlibet diſputationes, quamvis Catholicorum & laudatorum hominum veluti ſcripturas Canonicas habere debemus, ut nobis non liceat ſalva honorificentia, quæ illis debetur hominibus, aliquid in eorum ſcriptis improbare atque reſpuere, ſi fortè inveniremus quòd aliter ſenſerint, quàm veritas habet, divino adjutorio vel ab aliis intellecta vel à nobis. Talis ego ſum in ſcriptis aliorum, quales volo eſſe intellectores meorum.

De ſcriptis incertis, quomodo legenda ſunt.

Diſt.15. C.Sancta Romana.) Scripta de inventione ſanctæ Crucis Dominicæ, & alia ſcripta de inventione capitis B. Joannis Baptiſtæ, novellæ quidem revelationes ſunt, & nonnulli eas Catholici legunt, ſed cùm hæc ad Catholicorum manus pervenerint, beati Pauli Apoſtoli ſententia præcedat: Omnia probate, quod bonum eſt, tenete.

De Canonibus Apoſtolorum.

*Diſt.16. C.*Apoſtolorum Canones, qui per Clementem Pontificem Romanum, ſicut quidam aſſerunt, dicuntur eſſe trãſlati, ſunt quinquaginta. Hos non recipiendos, ſed inter Apocrypha deputatos Iſidorus ſcribit dicens: Canones qui dicuntur Apoſtolorum, ſeu quia eoſdem

nec sedes Apostolica recepit, nec sancti patres illis assensum præbuerunt, pro eo quod ab hæreticis sub nomine Apostolorum compositi dignoscuntur, quamvis in eis utilia inveniantur, tamen ab authoritate Canonica atque Apostolica eorum gesta constat esse remota, atque inter Apocrypha deputata.

Zepherinus Papa, mox 60. ex eis sententias recipiendas dicit, Leo, omnes, exceptis quinquaginta.

Dist.32.C.Prater.) dicitur, quòd Canonibus Apostolorum Orientalis, & ex parte tantum Romana utatur ecclesia.

DE CONCILIIS.

CAPUT IV.

Concilia quædam in ipsis Decretis damnata.

Dist.15. C. Sancta Romana.) Imprimis Ariminensem synodum à Constantino Cæsare Constantini filio congregatam, mediante Tauro præfecto, ex tunc & in æternum confitemur esse damnatam.

Concilia quomodo concilianda. Isidori.

Dist.50. Domino sancto.) Quotiescunq; in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius concilii sententia magis teneatur, cujus antiquior & potior existit authoritas.

Iudices qui debeant esse. Ex Concilio Niceno.

11.q.1.C.*Iudices.*) Judices autem esse nō debent, nisi quos qui impetitur, elegerit.

Neminē simul accusatorem & judicem esse posse.

4.q.4.C.) Nullus unquam præsumat accusator simul esse & judex, vel testis, quoniam in omni judicio, quatuor personas semper necesse est esse, id est judices electos, accusatores idoneos, defensores congruos, atque testes legitimos. Judices autem debent uti æquitate, testes veritate, accusatores intentione ad amplificandam causam, defensores extenuatione ad minuendam causam.

Et mox C. sequente. Accusatores & accusati, æqua audiantur ratione juxta quod ordo exigit. Accusatores verò & judices non iidem sint, sed per se accusatores, per se judices, per se testes, per se accusati, unusquisq; in suo ordine.

Quòd qui inimici sunt, judices esse non possint.
Nicolai Papa.

3.q.5. C. *Quod suspecti.*) Quòd suspecti & inimici judices esse nō debeant, & ipsa ratio dictat, & plurimis probatur exemplis. Nam quid gratius & amabilius dare quis inimico potest, quam si ei ad impetendum commiserit, quem lædere fortè voluerit? Quod providè Constantinopolitana Synodus Canonum suorū sexto dignoscitur prohibere Capitulo. Veniamus & ad sanctam Chalcedonensem synodum, & quid nobis de ipso Anastasio Pelenonū referat Episcopo, audiamus. Is enim antistes tertio evocatus quia non occurrit, à suo Patriarcha Canonicè condemnatus extiterat, sed solum, quia cum vocaretur ad synodum, quòd inimicus esset ejus ipse qui judicabat, clamavit, à sancta Chalcedonense synodo ad causas illatas sibi examinandas reservatur, & nisi denuo convinceretur, recipere propriam judicatur ecclesiam. Si Anastasius à Patriarcha suo depositus, quia de inimicitia ejus conquestus est, iteratò ad judicium revocandum dirigitur, & si manifesta sibi officiant crimina, tamen suæ ecclesiæ reddi præcipitur, quanto magis Ignatius, qui non à Patriarcha, sed potius ipse existens Patriarcha, minime debuit ecclesia propria privari, & inimicis & suspectis judicibus decernentibus expoliari? Veniat & facundissimus noster pater Papa Gelasius,

sius, hæreticorum expugnator fortissimus, & quid de Constantinopolitanis Episcopis (more solito) tunc ægrotantibus dixit, etiā tunc nobis edisserat. Quæro inquit judicium quod prætendunt, ubi nam possit agitari, an apud ipsos (qui) iidē inimici sint, & TESTES, & REI, & IUDICES? Sed tali judicio nec humana debent committi negotia. Quod si in judicio, ubi iidem sunt inimici qui judices, nec humana committi debent judicia, quanto minus divina, id est, ecclesiastica? qui sapiens est, intelligat. Et revera hinc Justinianus Imperator pius legibus suis promulgasse dignoscitur; dicens, liceat ei, quoniam suspectum sibi judicem putat, antequam lis inchoetur, eum recusare, ut ad alium recurratur. Nam quodammodo naturale est, suspectorum judicum insidias declinare, & inimicorum judicium velle refugere. Hinc sanctus Joannes os aureum, Concilii contra se congregati renuit intrare collegiū. Patet ergo, quòd etsi manifesta sunt crimina alicujus, tamen accusatione inimici condemnandus non est.

Nuper inimicos, accusatores vel testes esse non posse. Anacletus Papa.

Ibidem. C. Accusatores.) Accusatores & testes esse non possunt, qui ante hesternū diem aut nudius tertius inimici fuerunt, ne irati nocere cupiant, ne læsi se vlcisci velint. Inoffensus igitur accusatorum & testium affectus quærendus est, & non suspectus.

In absentes sententiam non ferendam.

3.q.9.C.) Caveant judices ecclesiæ, ne absente eo cujus causa ventilatur, sententiam proferant, quia irrita erit &c.

Et mox ibidem. C. Omnia quæ adversus absentes in omni negotio aut loco arguuntur aut judicantur, evacuentur omnino, quoniam absentem nullus addicit, nec ulla lex damnat.

Item. C. Non oportet quemlibet judicari vel damnari, priusquam legitimos habeat præsentes accusatores, locumque defendēdi accipiat ad abluenda crimina.

Item. C. Absente adversario, non audiatur accusator, nec absente alia parte, sententia à judice dicta, nullam obtineat firmitatem.

Item. C. Necesse est secundum sacrarum scripturarum documentum, ac secundum justitię tramitē, & accusatum, & accusatorē simul adesse, & unam partem quantacumq; & qualicumq; prædita sit authoritate, sic prorsus audiri, ut alteri parti nullum præjudicium irrogetur.

DE SYNODIS BIS IN ANNO celebrandis.

CAPUT V.

Dist.18. C. De Conciliis.) Sancti patres salubriter ordinaverunt, ut scilicet bini conventus per annos singulos habeantur, in quibus de omnibus querelis, quæ inter diversos ecclesiæ ordines nasci assolent judicetur.

Item. C. Propter ecclesiasticas. Sufficere nobis visum est, bis in anno per singulas ꝓvincias Episcoporum Conciliū fieri.

Item. C. Pervenit. Statuit hæc ergo sancta Synodus, secundum regulas patrum, bis in anno in unum convenire per singulas provincias Episcopos, ubi singula quæ emerserint, corrigantur.

DE CONSTITUTIONIBUS humanis.

CAPUT VI.

Quòd stare non possit, quod contra Evangelicam vel Propheticam doctrinam factum fuerit.

 25.q.1.

25. q. 1. C. *Omne quod.*) Rubrica habet. Stare non valet quod contra Evangelicam vel Propheticam doctrinam seu cōstitutionem factum fuerit.

Pseudoprophetas & Divinos esse, qui aliquid tāquam verum pronuntiant, absque divinorum authoritate Verborum.

Dist. 37. C. *Vino.*) Secundum tropologiam pseudoprophetas eos debemus accipere, qui aliter scripturarū verba accipiunt, quā Spiritus sanctus sonat, & Divinos eos, qui conjectura mentis suæ incerta futurorum quasi vera pronuntiant, absque divinorum auctoritate verborū.

Papam non posse condere leges contra disertam Christi, & Apostolorum doctrinam. Urbani Papa.

25 q 1. C. *Sunt quidam.*) Ubi verò apertè Dominus vel ejus Apostoli & eos sequētes sancti patres, sententialiter aliquid diffinierunt, ibi non novam legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est usque ad animam & sangvinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apostoli & prophetæ destruere (quod absit) niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur.

Papam contra statuta patrum nihil condere posse. Zosimi Papa.

25. q. C. *Contra.*) Contra statuta patrum condere aliquid vel mutare, nec hujus quidem sedis potest authoritas.

Decretales non debere aliquid Evangelicis praeceptis contrarium habere.

Dist. 19.) Postquam multis capitibus & authoritatibus Paparum Gratianus ostendit, Decretales Romanæ sedis epistolas ab omnibus suscipiendas esse, tandem c. Ita Dominus, subjungit: Hoc autem intelligendum est, de illis sanctionibus vel Decretalibus epistolis, in quibus nec præcedentiū patrū decretis, NEC EVANGELICIS PRÆCEPTIS ALIQUID CONTRARIUM INVENITUR.

Non prohibendum quod scriptura non prohibet.

27. q. 2. C. *Lex divina.*) Nam cur prohibeatur, quod prohibendum nunquam sancta scriptura declarat?

De onere constitutionum humanarum. August.

Dist. 12. C. *Omnia.*) Ipsam religionem, quam in paucissimis, & manifestissimis celebrationum sacramentis misericordia Dei voluit esse liberam, servilibus oneribus premunt, adeò ut tolerabilior sit cōditio Judæorum, qui etiam tempus libertatis non cognoverunt, legalibus tamen sacramentis, non humanis præsumptionibus subjiciuntur.

Constitutiones excludendæ.

Dist. 9. C. *Sacra.*) Constitutiones ergo vel ecclesiasticæ vel sæculares, si naturali juri contrariæ probantur, penitus sunt excludendæ.

DE CONSUETUDINIBUS.

CAPUT VII.

Veritati consuetudo cedat.

Dist. 8. C. *Veritate.*) Veritate manifestata cedat consuetudo veritati. Planè quis dubitet veritati, manifestè consuetudinem cedere? Item nemo consuetudinem rationi & veritati prępónat, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Item. C. Si.) Si consuetudinem fortassis opponas, advertendum est, quod Dominus dicit, Ego sum via, Veritas, & vita. Non dixit, Ego sum consuetudo, sed Veritas. Et certè ut B. Cypriani utamur sententia,

tentia, quælibet consuetudo quantumvis vetusta, quantumvis vulgata, veritati omnino est postponenda, & USUS QUI VERITATI EST CONTRARIUS, EST ABOLENDUS.

Item. C. Mala autem consuetudo non minus quàm perniciosa corruptela abjicienda & vitanda est, quæ nisi citius radicitus evellatur, in privilegiorum jus ab impiis assumitur, & incipiunt prævaricationes, & variæ præsumptiones celerrimè non compressæ pro legibus venerari, & privilegiorum more perpetuo celebrari.

Itē. C. *Qui contempta.*) Revelatione igitur facta veritatis, veritati cedat consuetudo, quia & Petrus qui circumcidebat, cessit Paulo veritatem prædicanti. Igitur cum Christus veritas sit, magis veritatem quàm consuetudinem sequi debemus, quia consuetudinem ratio & veritas semper excludit.

Item. C. Frustra quidam qui ratione convincuntur, consuetudinem nobis objiciunt, quasi consuetudo major sit veritate.

Item. C. Consuetudo, quæ apud quosdam irrepserat, impedire non debet, quò minus prævaleat veritas & vincat. Nam CONSUETUDO SINE VERITATE VETUSTAS ERRORIS EST, propter quod relicto errore sequamur veritatem.

Item. C. Si solus Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid prius, qui ante omnes est Christus prior fuerit. Neque enim hujus cōsuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem, cum per Esaiam Prophetam loquatur & dicat, Sine causa colunt me, mandata & doctrinas hominum docentes.

Dist. 11. C. Consuetudinem laudamus, quæ tamen contra fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur.

DE ABUSIBUS TOLLENDIS.

CAPUT VIII.

Dist. 63. C. *Quia.*) Gratianus ait: Si nonnulli ex prædecessoribus & majorib. nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & postea vertuntur in errorem & superstitionem, sine tarditate aliqua, & cum magna authoritate à posteris destruantur. Adducit etiam exemplum Ezechiæ regis, qui confregit serpentem æneum à Mose erectum cum populus illum venerari cepisset.

35. *q.* 9. C. *Quod quis.*) Rubrica habet: corrigendum est, quod illicitè admittitur, aut à prædecessoribus admissum invenitur. Et sequitur: Quod quis commisit illicitè, aut à prædecessoribus suis invenerit admissum, si proprium periculū vult vitare, damnabit.

Sententiam Romanæ sedis in melius mutare licere.

Sic sonat Rubrica 35. *q.* 9. C.) Sententiam Romanæ sedis nō negamus posse in melius commutari.

Altaria in quibus non certa sanctorum reliquiæ sint, evertenda esse.

De Consecrat. Dist. 1. *Placuit.*) Ex Concilio Aphricano. Placuit ut altaria quæ passim per agros & per villas, tanquam memoriæ martyrum constituuntur, in quibus nullum corpus, aut reliquiæ martyris conditæ probantur, ab Episcopis, qui iisdem locis præsunt, si fieri potest, evertantur. Si autem hoc propter tumultus populares non sinitur, plebes admoneātur, ne illa loca frequentent, ut qui rectè sapiunt,

ſapiunt, nulla ibi ſuperſtitione devincti teneantur. Et ideo nulla memoria martyrum probabiliter accipiatur, niſi aut ubi corpus, & reliquiæ certæ ſunt, aut ubi origo alicujus habitationis vel poſſeſſionis, vel paſſionis fideliſſima origine traditur. Nam quæ per ſomnia, aut per inanes quaſi revelationes quorumlibet hominum, ubicunq; conſtituuntur altaria, omnino reprobantur.

DE GRATIA, REMISSIONE peccatorum, & ſola fide juſtificante.

Caput IX.

Gratiam non eſſe, quæ gratis datur vel accipitur.

1. q. 1. Gratia.) Leo Papa. Gratia, ſi non gratis datur, vel accipitur, gratia non eſt.

Contra venditores gratiæ. Beda.

1. q. 2. Non ſolùm.) Non ſolùm venditores ſunt columbarum, & domum Dei faciunt domum negotiationis, qui ſacros ordines largiendo, pretium pecuniæ vel laudis, vel etiam honoris inquirunt: Verum hi quoque qui gradum vel gratiam in eccleſiam ſpiritualem, quam Domino largiente perceperunt, non ſimplici intentione, ſed cuiuslibet humanæ cauſa retributionis exercent, &c.

Graviter peccare eum qui Dominica debita ſine pœnitentia dimittat.

23. q. 4. Si quis.) Si is q̃ prælatus eſt debitori Dominico culpas impunè dimittit, non mediocriter profectò offendit, qui debita cœleſtis regis & Domini, ſua præſumptione reſolvit. Ea namque quæ in nos committuntur, facilè poſſumus dimittere, ea verò quæ in Deum commiſſa ſunt, cum magna diſcretione, nec ſine pœnitentia poſſumus relaxare.

Indulgentiam ſine pœnitentia præſtare peccatis, non eſſe curare ſed occidere. Cleri Romani ad Cyprianum.

Diſt. 50. C. Abſit.) Abſit à Romana eccleſia, vigorem ſuum tam prophana facilitate dimittere, & nervos ſeveritatis (everſa fidei majeſtate) diſſolvere, ut cum adhuc non tantùm jaceant in peccatis, ſed etiam cadant, everſorum fratrum ruinæ properata nimis remedia communicationum, utique non profutura præſtentur. Ubi enim poterit pœnitétiæ medicina procedere, ſi etiam ipſe medicus intercepta pœnitentia indulget periculis? Hoc eſt non curare, ſed ſi verum dicere volumus, occidere eſt.

Impœnitentibus veniam concedi non poſſe.

Diſt. 50. C. Si quis.) Si quis præpoſtera feſtinatione temerari⁹ remiſſionem peccatorum cunctis putat ſe dare poſſe, aut audet Domini præcepta reſcindere, non tantùm nihil prodeſt, ſed obeſt lapſis. Provocaſſe enim iram Dei eſt, non ſervaſſe ſententiam, nec miſericordiam piiſſimi Domini deprecari, ſed contempto Domino de ſua facilitate præſumere.

Non meritis hominum, ſed virtute Spiritus S. & à Spiritu S. peccata dimitti. Auguſt. in Serm. de remiſſ. peccat.

1. q. 1. Vt evidenter.) Vt evidenter oſtenderet Dominus à Spiritu ſancto quem donavit fidelibus ſuis, dimitti peccata, non meritis hominum, quodam loco ſic ait, Accipite Spiritum ſanctum, & continuo ſubjecit, Si cui dimiſeritis peccata, remittuntur ei, hoc eſt, Spiritus ſanctus, dimittit, non nos.

Solùm Chriſtum dimittere peccata. Sic habet Rubrica.

De Conſecrat. Diſt. 4. Nemo.) Nemo tollit peccata mundi, niſi ſolus Chriſtus, qui eſt

est agnus tollens peccata mundi. Tollit autem & dimittendo quæ facta sunt, ubi & originale continetur, & adjuvando ne fiant, & perducendo ad vitam, ubi fieri omnino non possunt.

Pœnam & culpam per Christum sublatam esse.

De Consecr. Dist. 4, Filius Dei.) Filius Dei carnem peccati suscepit, & pœnam sine culpa, ut in carne peccati & culpa solveretur & pœna.

Solam fidem habere veniæ promissionem, & sola fide peccata relaxari.

De Pœnitent. Dist. 2. Charitas est qua.) Inter alia ex Augustino. Quod si charitas à fide Christianorum sejungi nequit, cui scilicet SOLA VENIA promittitur, quomodo qui charitatem non habuerit, fidem Christianorũ habuit, id est, in Christum credidit?

Et mox. Hoc est enim manducare panem vivum, quod credere in CHRISTUM, id est, amando tendere in ipsum. Cum ergo reprobus in eum non credit, quem non manducavit, & ita fidẽ Christianorum (QUA SOLA PECCATA RELAXANTUR) non habuit, quomodo, si vivit Dominus, cui omne judicium dedit pater, judicium perpetuæ damnationis effugiet?

Iustitiam non esse, ubi fides non est.

24. *q.* 1. *Vbi.*) Ubi sana fides non est, non potest esse justititia, quia justus ex fide vivit.

Non nisi per fidem Christi ab ira nos liberari.

De Cons. Dist. 4. *Firmissimo.*) Eramus enim natura filii iræ, sicut & cæteri, & à qua nullus liberabitur, NISI per fidem mediatoris, hominis Jesu Christi.

DE SACRAMENTIS.

CAPUT X.

Sacramentum quid sit.

De Cons. Dist. 2, Sacrificium.) Sacramentum, id est, sacrum signum.

Item, Sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma.

Signum quid sit.

Ibidem. Signum est res præter speciem quam ingerit sensibus, aliud aliquid faciens ex se in cognitionem venire.

De figuratis locutionibus.

De Cons. Dist. 4. Quaris.) Sæpè ita loquimur, ut pascha appropinquante crastinam, vel perdissenam, vel perendissenam, Domini passionem dicamus, cum ille ante multos annos passus sit, nec omnino nisi semel ipsa passio facta sit. Nempe ipso die Dominico dicimus, Hodie Dominus surrexit, cum ex quo resurrexerit, tot anni transierunt. Cur nemo tam ineptus est, ut ita nos loquentes, arguat nos esse mentitos, nisi quia istos dies, secundum illorum, quibus hæc gesta sunt, similitudinem nuncupamus, ut dicatur ipsa dies, quæ non est ipsa revolutio temporis, sed similis ejus, & dicatur illo die fieri propter Sacramenti celebrationem, quod non illo, sed jam olim factum est in alio?

Sacramentum sine Verbo nihil esse quam elementum. August. Homil. 80.

1. *q.* 1. *Detrahe.*) Detrahe Verbum ab aqua, quid erit nisi aqua? Accedit Verbum ad elementum & fit Sacramentum. Unde ista tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, nisi faciente verbo? non quia dicitur, sed quia creditur.

In Sacramentis aliud videri, & aliud intelligi.

De Con.Dist.2. Qui manducant.) Quod videtur, panis est, quod etiam oculi renũciant. Quod autem fides postulat instruenda, panis est corpus Christi, calix sanguis. Ista ideo dicuntur Sacramenta, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur. Quod videtur speciem habet corporalem, quod intelligitur, fructum habet spiritualem.

Aliud esse Sacramentum, aliud operationem Spiritus sancti. August.

1.q.1. Multa autem.) Cum aliud sit Sacramentum, quod habere etiam Simon Magus potuit, & aliud prophetia, quæ in malis hominibus etiam fieri solet, ut in Saul, aliud operatio ejusdem Spiritus sancti, quam nisi boni habere non possunt.

1.q.1. Etiam.) Aliud est Sacramentum ab effectu Sacramenti.

Sacramenta omnibus communia esse, sed non communem gratiam: Gratianus ait.

De Pœnit. Dist. 4. Peccatum.) Etsi in aliquibus communia omnibus sunt omnia Sacramenta, sed non communis gratia, ita & nunc baptismus est communis, sed non virtus baptismi.

Dominum non nisi per seipsum dare gratiam.

De Con.Dist.4. Quomodo.) Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam verò gratiam, non nisi per seipsum, vel per sanctos suos. Et glossa marginalis addit, imò per seipsum semper, nunquam per ministrum hominem.

In Sacramentis, neque eum qui plantat, esse aliquid, neque eum qui rigat, sed Deum qui dat incrementum: ex Hieronymo in Michæam.

1.q.1. Nunquam.) Cum enim in Sacramentis neque qui plantat, neque qui rigat sit aliquid, sed qui incrementum dat Deus, quis operatur in eis, si Dominus qui incrementum dat, in eis non lucet, sed est ociosus?

Sacramenta sine charitate nullam apud Deũ justitiam præstare.

De Pœnit. Dist. 2. Si enim inquit.) Qui si charitatem Dei non habent, ante Dei oculos aquâ tantùm regenerantur, non Spiritu sancto. Opera enim seu Sacramẽtorum participatio, nisi ex charitate procedant, apud Deum nec justitiam nec innocentiam præstant.

Aurum Sacramenta non quærunt. Ambros. de Off.

12. q. 2. Aurum.) Aurum Sacramenta non quærunt, neque auro placent quæ auro non emuntur. Ornatus sacrorum, redemptio captivorum est, & vera illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte, ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sanguis ejus operatus est.

Pretium pro Sacramentis non debere exigi. Ex VI. Synodo.

1.q.1. Nullus Episcopus.) Nullus Episcopus aut presbyter aut diaconus, qui sacrã dispensat communionem, à percipiente gratiam communionis, aliquod pretium exigat, neque enim venditur gratia, neq; pro pretio gratiam Spiritus sancti damus, sed dignis muneribus sine defraudatione participare concedimus. Si quis verò eorum qui connumerantur in clero, ab eo cui sacram communionem dispensat, aliquod pretium exegerit, deponatur sicut imitator Simoniacæ fraudis.

Et mox ex Concilio Toletano XI. Quicquid invisibilis gratiæ consolatione tribuitur, nunquam quæstibus vel quibuslibet præmiis venundari penitus debet,

debet, dicente Domino, Quod gratis accepistis, gratis date.

Item ex Concilio Triburiensi ibidem. Dictum est, solere in quibusdam locis pro perceptione chrismatis nummos dari, similiter pro baptismo & communione. Hoc Simoniacę hęresis esse testata est sancta Synodus, & anathematizavit, & ut de cætero, nec ꝓ ordinatione, nec pro chrismate vel baptismo, vel pro balsamo, nec pro sepultura vel cõmunione quicquam exigatur, statuit, sed gratis dona Christi gratuita dispensatione donentur.

DE BAPTISMO.

CAPUT XI.

Idem esse in nomine Trinitatis & in nomine Christi baptizare. Nicol. Papa.

De Con. Dist. 4. A quodam.) A quodam Judæo, nescitis utrum Christiano an Pagano, multos in patria vestra baptizatos asseritis, & quid inde sit agendum consulitis. Hi profectò, si in nomine sanctæ Trinitatis, vel tantum in nomine Christi (sicut in Actibus Apostolorum legitur) baptizati sunt, (unum quippe idemque est, ut sanctus Ambrosius exponit) quia non illorum, sed ejus est, rebaptizari non debent.

Mox tamen ibidem C. *Si revera:*) jubētur rebaptizari, qui tantum in nomine Domini baptizati sunt.

Nihil referre utrum semel vel ter baptizandus immergatur.

De Con. Dist. 4. De trina.) De trina mersione baptismatis, nihil responderi verius potest, quàm quod ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diversa.

Et mox: Reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate, vel ter vel semel immergere, quoniam etiam in tribus mersionibus personarum Trinitas, & in una potest divinitatis singularitas designari.

Olim in festo Pascha & Pentecostes tantùm baptizatum esse.

De Con. Dist. 4. Non ratione.) Non ratione authoritatis alicujus, sed sola temeritate præsumitur, ut passim & liberè in nativitate Christi, seu apparitione, nec non Apostolorum seu Martyrum festivitatibus innumeræ plebes baptizentur, cum sibi privilegium hoc apud nos & apud ecclesias omnes Dominicum pascha defendat specialiter cum sancta pentecoste.

Et mox. Duo tempora, id est, pascha & pentecostes ad baptizandum à Romano Pontifice legitimè sunt præfixa.

Non aquam sed Verbum vel Verbum in aqua mundare.

De Con. Dist. 4. Aliud est.) Item. Jam vos mundi estis propter Verbum quod locutus sum vobis. Quare non ait, mundi estis propter baptismum quo abluti estis, sed ait, propter Verbum quod locutus sum vobis, nisi quia etiam in aqua Verbum mundat.

Non tam ablutione corporis quàm fide cordis baptisma constare.

De Con. Dist. 4. Verus.) Verus baptismus constat non tam ablutione corporis, quā fide cordis, sicut Apostolica doctrina tradidit, dicens: Fide mundās corda eorum. Et alibi, Salvos facit baptismus, non carnis depositio sordium, sed etiam conscientiæ bonæ interrogatio in Deum.

Ministros ministerialiter tantùm baptizare, Christum autem per potestatem.

De Con.Dist 4.*Aliud.*) Aliud est baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem.

Et mox. Per hanc enim potestatem, quam Christus solus tenuit sibi, & in neminem ministrorum transfudit, quamvis per ministros baptizare dignatus sit, per hanc inquam stat unitas ecclesiæ, quæ significatur in columba, de qua dictum est: Una est columba mea, una est matris suæ electa. Si enim, ut jam dixi fratres mei, transferretur à Domino potestas ad ministros, tot baptismata essent, quot ministri essent, & jam unitas baptismi non staret.

Baptismum communem esse, sed non virtutem baptismi.

*De Pœnit.Dist.*4.*Peccatũ*) Etsi in aliquibus communia omnibus sunt omnia Sacramenta, sed non communis gratia, ita & nunc baptismus est communis, sed nõ virtus baptismi.

Non damnari fideles, qui à baptismo necessitate excluduntur. August.

*De Cons.Dist.*4.*Baptismi vicem.*) Etiam atque etiam considerans invenio, non tantùm passionem Christi id quod baptismo deerat, posse supplere, sed etiam fidem confessionemque cordis, si fortè ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest.

Et mox. Quantum itaque valeat, etiam sine visibili Sacramento baptismi, quod ait Apostolus, Corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, in illo latrone declaratũ est, sed nũc impletur invisibiliter, cum mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit.

Non reiterandum esse baptisma, quod in nomine Trinitatis ministratum est.

*De Con.Dist.*4.*Si qui.*) Si qui apud illos hæreticos baptizati sunt, qui in sanctæ Trinitatis confessione baptizant, & veniunt ad Catholicam fidem, recipiantur quidem ut baptizati, ne S. Trinitatis invocatio vel confessio annulletur.

Multis hoc capitibus agitur per totam distinctionem illam.

Ibidem C.*Rebaptizare.*) Rebaptizare hæreticum hominem, qui hæc S. Trinitatis signa susceperit, quæ Christiana tradidit disciplina, omnino peccatũ est, rebaptizare autem Catholicum, immanissimum scelus est.

DE COENA DOMINI.

CAPUT XII.

A quibus Missa instituta sit.

De Con.Dist. 1. *Iacobus.*) Jacobus frater Domini secundum carnem, cui primum credita est Hierosolymitana ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus (cujus claritas per totum orbem refulsit) in scripturis addiderunt nobis Missæ celebrationem.

Eucharistiam non ab homine, sed à Deo sanctificationem accipere. Gregor.

1.*q.*1.*Non nocet.*) Eucharistia & omnia quæcunque in altari ponuntur, non ab homine, sed à Deo sanctificationem accipiunt.

In Cœna Domini nihil faciendum esse, nisi quod Dominus prior fecit.

De Con.Dist 2. *Scriptura.*) Scriptura dicit, ut quotiescũque calicem in commemorationem Domini & passionis ejus offerimus, id quod constat Dominum fecisse, faciamus.

Et mox.C.In sacramento.) In sacramento corporis & sanguinis Domini nihil ana-

plius offeratur, quam quod ipse Dominus tradidit.

Item. C. Cum omne.) Manifestum est, & evidens exemplum veritatis Evangelicæ illuxit, quòd præter panem & vinum aliud offerri non licet.

Quid sit corpus Christi manducare, & sanguinem ejus bibere.

De Con. Dist. 2. Quid est.) Quid est Christum manducare? Non hoc est solum in sacramento corpus ejus accipere, multi enim indignè accipiunt, de quibus ait Apostolus, Qui manducat & bibit calicem Domini indignè, judicium sibi manducat & bibit. Sed quomodo manducandus est Christus? quomodo ipse dixit: Qui enim manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo, & si indignè accipit Sacramentum, acquirit tormentum magnum.

Et mox C. sequente. Ut quid paras dentem & ventrem? Crede & manducasti. Credere enim in eum, hoc est panem vivum manducare. Qui credit in eum, manducat eum.

Item C. Credere.) Credere in Jesum Christum, hoc est manducare panem vivum. Qui credit, manducat. Invisibiliter saginatur, quia invisibiliter renascitur, & qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, habet vitam æternam.

Et mox ibidem C. Qui discordat à Christo, non manducat carnem ejus, nec bibit sanguinem, etiamsi tantæ rei sacramentum ad judicium suæ perditionis quotidie accipiat.

Non carnaliter sed spiritualiter Christi corpus & sanguinem debemus comedere.

Sic sonat rubrica de Con. Dist. 2. C. Prima quidem.

Spiritualiter intelligenda esse verba Domini, quæ de manducatione corporis sui loquitur.

Ibidem.) Cum enim diceret, Nisi quis manducaverit carnem meam, & biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam. Illi verò non intelligentes dixerunt ad invicem, Durus est hic sermo, quis eum potest manducare? (aliàs audire) Dicentes Durus est hic sermo, separaverunt se ab illo & remansit cum duodecim discipulis. Discedentibus illis, instruxit eos qui remanserunt, Spiritus est inquit, qui vivificat, caro nihil prodest, verba quæ locutus sum ad vos, spiritus & vita sunt. Intellexistis spiritualiter, spiritus & vita sunt. Intellexistis carnaliter, etiam sic illa spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt spiritus & vita, qui spiritualiter nō intelligis. Spiritualiter intelligite quæ locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem, quem effusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendavi, spiritualiter intellectum vivificat vos, caro autem non prodest quicquam.

Manducare Christum, esse credere in Christum.

De pœnit. Dist. 2. Charitas.) Hoc est enim manducare panem vivum, quod credere in Christum, id est, amando tendere in ipsum.

Distinguendum esse inter naturam verbi & corporis Christi.

De Con. dist. 2. C. Si credis.) Si credis à Christo carnem esse susceptam, & offeras transfiguratum corpus in altari, nec tamen distinguis naturam verbi

& corporis Christi, dicitur tibi, si rectè offeras, rectè autem non dividas, peccasti.

Verbum Christi æque magnum esse ac corpus Christi. August.

1.q.1. *Interrogo.*) Interrogo vos fratres vel sorores, dicite mihi, quid plus videtur vobis, corpus Christi an verbũ Christi? Si vultis verè respondere, hoc dicere debetis, quòd nõ sit minus Dei Verbum, quam Christi corpus, & ideo quanta solicitudine observamus, quando nobis Christi corpus ministratr, ut nihil ex ipso de manibus nostris in terram cadat, tanta sollicitudine observemus ne Verbũ Domini, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus aut loquimur, de corde puro pereat. Quia non minus erit reus, qui Verbum Dei negligenter audierit, quàm ille qui corpus Christi sua negligentia in terram cadere permiserit.

Sacramentum suo modo vocari corpus Christi, non rei veritate, sed significante mysterio.

De Con. Dist. 2. Hoc est.) Sicut ergo cœlestis panis, qui Christi caro est (id est cœleste Sacramentum quod verè REPRÆSENTAT Christi carnem,) suo modo vocatur corpus Christi, (in Glossa iterum additur, ut sit sensus, vocatur Christi, id est, SIGNIFICAT.) cum revera sit Sacramentum corporis Christi illius videlicet, quod visibile, quod palpabile, mortale in cruce positum est, vocaturque ipsa immolatio carnis, quæ sacerdotis manibus fit Christi passio, mors, crucifixio, nõ rei veritate, sed significante mysterio. Sic Sacramentum fidei, quod baptismus intelligitur, fides est.

Pane significari corpus Christi, & vino sanguinem.

De Con. Dist. 2. Comperimus. Glossa habet:) Portione, id est, specie panis, quæ tantum sacrum corpus SIGNIFICAT, Item. A calice, i.e. à specie vini, quæ SIGNIFICAT sacrum sanguinem.

Ibidem. C. Nulli.) Nulli est aliquatenus dubitandum, unumquemque fidelium, corporis & sanguinis Dominici tunc esse participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat, calicemque bibat, de hoc seculo migraverit, in unitate corporis Christi constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privabitur, qñ in se hoc ꝙ illud sacramentũ SIGNIFICAT invenit.

Ascensionem Domini testari, quòd Dominus corpus suum carnaliter non eroget, & quòd gratia morsibus non consumatur.

De Con. Dist. 2. Prima quidem.) Sciens autem Iesus ait, Hoc vos scandalizat, quia dixi, Do vobis carnem meam manducare, & sanguinem meum bibere? Si ergo videritis filium hominis ascendẽtem ubi prius erat. Quid est hoc? Hic solvit quod illos moverat, hîc aperuit unde fuerant scandalizati, hinc planè, si intelligerent. Illi autem putabant erogaturum corpus suum, ille dixit, se ascensurum in cœlum, utique integrum. Cum videritis filiũ hominis ascendentem ubi erat prius, certè vel tunc videbitis quia nõ eo modo, quo putatis, erogat corpus suum, vel tunc intelligetis, quia gratia ejus non consumitur morsibus.

Dominum sursum esse, & corpus ejus in quo resurrexit in uno loco esse.

De Con. Dist. 2. Prima quidem.) Item, donec sæculum finiatur, SURSUM DOMINUS EST, sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Domini. Corpus enim in quo resur-

resurrexit IN UNO LOCO ESSE OPORTET, veritas autem ejus ubique diffusa est.

Quomodo Christus semel immolatus sit, & in Cœna quotidiè immoletur. Rubrica.

De Con. Dist. 2. Semel Christus.) Semel Christus mortuus est, justus pro injustis: & scimus & certum habemus & spe immobili retinemus, quia Christus resurgens à mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur. Verba ista apostoli sunt. Tamen ne obliviscamini quod semel factum est, in memoria nostra sit omni anno. Quotiens Pascha celebratur, nunquid totiens Christus occiditur? Non, sed anniversaria recordatio repræsentat quod olim factum est, & sic nos facit moveri, tãquam videamus præsentem Dominum in cruce.

Ibidem. C. In Christo.) In Christo semel oblata est hostia ad salutem sempiternam potens. Quid ergo nos? Nonne per singulos dies offerimus? sed ad recordationem mortis ejus. Et una est hostia, non multæ. Quomodo est una, non multæ? quia semel oblatus est Christus, hoc autem sacrificium, EXEMPLUM est illius.

Et mox ibidem.) Quod nos facimus, in COMMEMORATIONEM fit ejus quod factum est. Hoc enim facite, ait, in meam commemorationem.

Quomodo veteres eandem escam spiritualem nobiscum comederint.

De Con. Dist. 2. Inquit Apostolus.) Inquit Apostolus, omnes eandem escam spiritualẽ manducaverunt. Spiritualem utique eandem, nam corporalem aliam, quia illi manna manducaverunt, nos aliud. Et omnes eundem potum spiritualem biberunt, aliud illi, aliud nos, sed specie visibili, quod tamen idem est virtute spirituali.

Quòd in missa omnes communicare debeant.

De Con. Dist. 2. Peracta.) Peracta consecratione OMNES communicent, qui noluerint ecclesiasticis carere liminibus. Sic enim Apostoli statuerunt, & sancta Romana tenet ecclesia.

Quoties communicandum sit.

De Con. Dist. 2. Quotidie.) Quotidie eucharistiæ communionem accipere nec laudo, nec vitupero, omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor.

Et mox.) Si dixerit quispiam, non quotidie accipiendam eucharistiã, alius affirmat, quotidie. Faciat unusquisque quod secundum fidem suam pie credit faciendum.

Ibidem. C. Etsi.) Etsi non frequentius, saltem in anno ter homines communicent, nisi fortè quis in majoribus quibuslibet criminibus impediatur, in pascha videlicet, & pentecoste, & natali Domini.

Et mox C. Seculares.) Qui in natali Domini, pascha, pentecoste non communicaverint, catholici non credantur, nec inter catholicos habeantur.

De utraque specie exhibenda.

De Con. Dist. 2. Cum omne.) Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo sacrificiis deleatur, quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur, quando in ipsa sacrificii oblatione erratur? Audivimus enim quosdam schismatica ambitione detentos, contra divinos ordines & Apostolicas institutiones, lac pro vino in divinis sacrificiis dedicare. Alias quoque intinctam eucha-

ristiam, populis pro complemento communionis porrigere.

Et mox ibidem.) Illud verò quod pro complemento communionis intinctam tradunt eucharistiam populis, nec hoc prolatum ex evangelio testimonium receperunt, ubi Apostolis corpus suum commendavit & sangvinem, Seorsum enim panis, & seorsum calicis commendatio memoratur. Nam intinctum panem aliis Christum præbuisse non legimus, excepto illo tantum discipulo, quem intincta buccella magistri proditorem ostenderet, non quæ sacramenti hujus institutionem signaret.

Item. C. Comperimus.) Comperimus autem, quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineãt, qui proculdubio (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi) aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur, quia DIVISIO UNIUS EIUSDEMQUE MYSTERII, SINE GRANDI SACRILEGIO NON POTEST PERVENIRE.

In privatis domibus & oratoriis missam non esse celebrandam. Ex Concil. Aurel.

De Con. Dist. 1. C. Unicuique.) Unicuique fidelium in domo sua oratorium licet habere, & ibi orare, missas autem ibi celebrare non licet.

Fidelem etiam ante perceptionem eucharistiæ morientem salvari posse.

De Con. Dist. 2. C. Nulli.) Nulli est aliquantenus dubitandum, unumquemq; fidelium, corporis & sangvinis Dominici tunc esse participem, quando in baptismate membrum efficitur Christi, nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam panem illum comedat calicemque bibat, de hoc seculo migraverit, in unitate corporis Christi constitutus. Sacramenti quippe illius participatione ac beneficio non privabitur, quando in se hoc quod illud sacramentum significat invenitur.

Excommunicandos, qui usque ad finem missarum solennia non audierint, neque communionem perceperint.

De Con. Dist. 1. C. Omnes fideles.) Omnes fideles qui conveniunt in solennitatibus sacris ad ecclesiam, & scripturas apostolorum & evangelium audient: Qui verò non perseverant in oratione usque dum missa peragatur, nec sanctam communionem percipiunt, velut inquietudines ecclesiæ commoventes convenit communione privari.

Idem ibidem C. cum ad celebrandas.

Non nisi duobus præsentibus missam celebrandam.

De Con. Dist. 1. Hoc quoque.) Hoc quoque statutum est, ut nullus presbyterorum missarum solennia celebrare præsumat, nisi duobus præsentibus sibique respondentibus, & ipse tertius habeatur, quia cum pluraliter ab eo dicitur, Dominus vobiscum, &c.

De his qui pro pecuniis una die plus quam unam faciunt missam.

De Con. Dist. 1. Sufficit.) Qui verò pro pecuniis aut adulationibus sæcularium una die præsumunt plures facere missas, non æstimo evadere damnationem:

Quamdiu clericis post Missam jejunandum.

De Con. Dist. 2. Tribus gradibus.) Si igitur manè Dominica portio editur, usque ad sextam jejunent ministri, qui eam consumpserunt. Et si tertia vel quarta hora acceperint, jejunent usque ad vesperas.

DE EXCOMMUNICATIONE.

CAPUT XIII.

Ligandi & solvendi potestatem veris non falsis sacerdotibus traditam esse.

24.q.1. *Audivimus.*) Gratian.inquit, Ligandi namq; vel solvendi potestas veris non falsis sacerdotibus à Domino tradita est. Apostolis enim dicturus, quorũ remiseritis peccata &c. præmisit, accipite Spiritum S. ut evidenter cunctis ostenderet, eum qui Spiritum S. non habet, peccata non posse tenere vel remittere.

Neminem excommunicandum, nisi de certa & manifesta peccati causa.

11.q.3. *Nemo Episcoporum.*) Nemo Episcoporum quemlibet sine certa & manifesta peccati causa, communione privet ecclesiastica. Ex Concilio Meldensi.

Quòd pro injuria propria Episcopo aliquem excommunicare non liceat.

23.q. *Inter querelas.*) Nil te cogitare de cœlestibus ostendis, sed terrenam te habere conversationem significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ (quod sacris regulis prohibetur) maledictionem anathematis invexisti.

Pro levibus causis neminem excommunicandum esse. Ex Concilio Alvemeni.

11.q 3. *Nullus sacerdotum.*) Nullus sacerdotum, quemquam rectę fidei hominem pro parvis & levibus causis à communione suspendat, præter eas culpas, pro quibus antiqui patres arcere ab ecclesia jusserunt committentes.

Excommunicationem non nisi in impiis ratam esse.

1.q.1. *Vt evidenter.*) Sicut is quem sacerdos tolerat in ecclesia, tamen est extra ecclesiam, & extra corpus ejus, cujus caput est Christus, si ei ostiarius non aperuerit: Ita non ideo extra ecclesiam est, & non est de corpore, si quis pastoris præjudicio compellitur foris esse. August. in Sermone de Remissione peccatorum.

Excommunicationem erga insontes non valere.

11.q.3. *Quomodo.*) Quomodo sacerdos mundum leprosum non facit, sic Episcopus vel presbyter non alligat eos qui insontes sunt, nec solvit noxios, sed pro officio suo, cum peccatorum varietates audierit, scit qui ligandus sit, qui solvendus. Hier. supra Malach. l. 3.

Ibidem. August. de verbis Domini: Cepisti fratrem tuum habere tanquam publicanum, ligas illum in terra, sed ut justè alliges vide, nam injusta vincula disrumpit justitia.

Idem ad clerum Hipponensem. Quid obest homini, quòd ex illa tabula vult eum delere humana ignorantia, si de libro viventium non deleat iniqua conscientia?

De iis qui innocentes excommunicantur. Hier. Origenes super Leviticum.

24.q.3, *Siquis.*) Si quis non recto judicio eorum qui præsunt ecclesiæ depellatur & foras mittatur, si ipse antea non exiit h.e. si non ita egit ut mereretur exire, nihil læditur in eo, quòd non recto judicio ab hominibus videtur expulsius. Et ita fit, ut interdum ille qui foras mittitur intus sit, & ille foris, qui intus videtur retineri.

Et mox C. Cum aliquis.) Cum aliquis exit à veritate, à timore Dei, à fide, à charitate, exit de castris ecclesiæ, etiamsi per Episcopi vocem minime abjiciatur, sicut è contrario aliquis non recto judicio foras mittitur: sed si ante non exierit, id est, si non egerit, ut mereretur exire, nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur,

tur, intus est, & qui foris est, intus videtur retineri.

De præcipiti excommunicatione.

24. q. 3. *Non in perpetuum.*) Multi sacerdotum culpam zelo Dei se persequi profitetur, sed dum indiscretè hoc agitur, sacrilegii facinus incurrunt, & dum præcipites quasi ad emendandum ruunt, ipsi quoque multo magis in deterius cadunt.

Quid qui aliquem illicitè excommunicet, semetipsum non illum condemnet.

Sic sonat Rubrica 24. q. 3. Comperimus.

Illum se ligandi & solvendi privare potestate, qui ea abutatur. Greg. homil. 27.

11. q. 3. *Ipse ligandi.*) Ipse ligandi atq; solvendi se potestate privat, qui hanc pro suis voluptatibus, & non subditorum moribus exercet.

Idem in registro) Privilegium omnino meretur amittere, qui permissa sibi abutitur potestate.

Et aliquando post. August.) Si quisquam fidelium fuerit anathematizatus injustè, potius ei oberit qui facit, quàm qui hanc patitur injuriam.

Quòd qui contra fidem aliquid docent, neminem dejicere valeant nec damnare.

24. q 1. *Miramur.*) Gratianus. His authoritatibus perspicuè monstratur, quòd ex quo aliquis contra fidem ceperit aliquid docere, nec dejicere quenquam valet, nec damnare.

Excommunicandos eos, qui dum sacra fit concio, egrediuntur.

De Con. Dist. 1. Sacerdote.) Sacerdote verbum in ecclesia faciente, qui egressus de auditorio fuerit, excommunicetur.

Excommunicandum, qui prætermisso ecclesia conventu, ad spectacula vadit.

De Con. Dist. 1. Qui die.) Qui die solenni prætermisso ecclesiæ conventu, ad spectacula vadit, excommunicetur.

DE RITIBUS ECCLESIASticis seu adiaphoris.

CAPUT XIV.

De libertate ecclesiarum circa ritus adiaphoros.

Dist. 11. In his rebus.) In his rebus, de quibus nihil certe statuit divina scriptura, mos populi Dei, & instituta majorum pro lege tenenda sunt, & sicut prævaricatores divinarum legum, ita contemptores ecclesiasticarum consuetudinum coercendi sunt.

Dist. 12. Illud.) Illud breviter te admonendum puto, traditiones ecclesiasticas, præsertim QUÆ FIDEI NON OFFICIANT, ita observandas, ut à majoribus traditæ sunt, nec aliquorum cõsuetudinem, aliorum contrario more subverti.

Item. C. Novit. Novit fraternitas tua Rom. ecclesiæ consuetudines, in qua se meminit esse nutritam, sed mihi placet, ut sive in Romana, sive in Gallicorum, sive in qualibet ecclesia invenisti, quòd plus omnipotenti Deo possit placere, solicitè eligas, & in Anglorum ecclesia, quæ adhuc in fide nova est, & in constitutione præcipua quæ de multis ecclesiis colligere poteris, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca amanda sunt. Ex singulis ergo quibuscunque ecclesiis, quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt, elige, & hæc quasi in fasciculum collecta, apud Anglorum mentes in consuetudinem depone.

Item. C. *Illa autem.*) Quòd alii jejunant sabbatum, alii non, alii verò quotidie communicant corpori & sangvini Domini,

mini, alii certis diebus accipiunt, & si quid aliud hujusmodi animadverti potest, totum hoc genus rerum liberas habet observationes. Quod enim neq; contra fidem Catholicam, neque contra bonos mores esse convincitur, indifferenter est habendum, & pro eorum inter quos vivitur, societate servandum est. Augustinus idem auctoritate Ambrosii asserit, Mater mea Mediolanum me secuta, invenit ecclesiam sabbato non jejunantem, cepit fluctuare quid ageret, tunc ego cōsului de hac re beatissimæ memoriæ Ambrosium Episcopum. At ille ait, cum Romam venio, sabbatum jejuno. Cum Mediolani sum, non jejuno. Sic & tu, ad quamcunque fortè ecclesiam veneris, ejus morem serva, si cuiquam non vis esse scandalum, nec quenquam tibi. Hoc cum matri renunciassem, libenter amplexa est.

De Con. Dist. 4. De trina.) In una fide nil officit sanctæ ecclesiæ consuetudo diversa.

DE CANTU ECCLESIASTICO.

CAPUT XV.

Dist. 23. C. Psalmista.) Cum cantores à presbyteris ordinantur, dicitur illis, Vide ut quod ore cantas, corde credas, & quod corde credideris, operibus compleas.

Dist. 92. Cantantes.) Cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Audiant hi, quibus in ecclesia est psallendi officium, Deo non voce, sed corde cantandum, nec in tragœdiarum modū guttur & fauces medicamine liniendæ sunt, ut in ecclesia theatrales moduli audiantur & cantica. Hier. in epist. ad Ephes.

Et mox. *C. In sancta.*) Fit plerunque ut in sacro ministerio dum blanda vox quæritur, congrua vita negligatur, & Cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat.

Quomodo Psalmi canendi.

De Con. Dist. 5. Non mediocriter.) Numquid verborum multitudine flecti Deus ut homo potest? Non enim verbis tantùm, sed corde orandus est Deus. Quapropter melior est quinque Psalmorum decantatio cum cordis puritate ac serenitate, ac spirituali hilaritate, quàm totius Psalterii modulatio cum anxietate cordis atque tristitia.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT XVI.

De usu auri ecclesiastici.

12. q. 2. Aurum.) Aurum ecclesia habet non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. Quid est opus custodire, quod nihil adjuvat? An ignoramus, quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrii sustulerunt? Nonne melius conflat sacerdos pro alimonia pauperum, si aliqua subsidia desunt, quàm si sacrilegus contaminat & asportat hostis? Nonne dicturus est Dominus, Cur passus es tot inopes fame mori? Certè habebas aurum, unde ministrasses alimoniam. Cur tot captivi in capivitatem ducti, nec redempti ab hoste occisi sunt? Melius fuerat ut vasa viventium servares quàm metallorum? His non potes responsum referre. Quid enim dices? Timui ne templo Dei ornatus deesset. Respondet, AURUM SACRAMENTA NON QUÆRUNT, neque auro placent

cent quæ auro non emuntur. Ornatus sacrorum redemptio captivorum est, & vera illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte, ille verus thesaurus est Domini, qui operatur, quod sangvis ejus operatus est.

De bonis ecclesiasticis in quatuor partes dividendis.

12.*q*.2. *Conceßo.*) Redditus & oblationes fidelium in quatuor partes dividat, quarum unâ Episcopus sibiipsi retineat, alteram clericis pro officiorum suorum sedulitate distribuat, fabricis tertiam, quartam pauperibus & peregrinis habeat fideliter erogandam, quarum rationem divino est redditurus examini.

Et mox C. *Quatuor.*) Quatuor autem tam de redditu, quam de oblatione fidelium prout cujuslibet ecclesiæ facultas admittit, sicut dudum rationabiliter est decretum, convenit fieri portiones, quarum una sit pontificis, altera clericorum, tertia pauperum, quarta est fabricis applicanda.

Idem mox C.Mos est.

De his qui bona ecclesiastica in milites, aut servitores, vel consangvineos conferunt.

16.*q*.7. *Pervenit.*) Pervenit ad nos fama sinistra, quòd quidam Episcoporum, nõ sacerdotib. proprię diœcesis decimas atque Christianorum oblationes conferunt, sed potius laicalibus personis, militum videlicet sive servitorum, vel (quod gravius est) etiam consangvineis. Unde si quis amodo Episcopus inventus fuerit hujus præcepti divini transgressor, inter maximos hęreticos & antichristos non minus habeatur. Et sicut Nicena Synodus de Simoniacis censuit, & qui recipiunt ab eo laici, & qui dat Episcopus, sive pretio sive beneficio, ęterni incendii ignibus deputentur.

De ornatu templorum. Hieronymus ad Nepotianum.

12 *q. Olia. Episcop.*) Multi ædificant parietes, & columnas ecclesiæ subtrahunt, marmora nitent, auro laquearia splẽdent, gemmis altare distinguitur, & ministrorum Christi nulla est electio. Neque verò mihi aliquis opponat dives in Judæa templum, mensam, lucernas, thuribula, patellas, cyphos, mortariola, & cætera ex auro fabricata. Tunc enim hæc probabantur à Domino, quãdo sacerdotes hostias immolabant, & sangvis pecudum erat remissio peccatorum. Quanquam hæc omnia præcesserint in figuram. Scriptum est autẽ propter nos, in quos fines seculorum devenerunt. Nunc verò cum paupertatem domus suæ pauper Dominus dedicauit, portemus crucem, & delitias lutum putemus.

De vasis ecclesiasticis.

De Con. Dist. I. *Vasa.*) Bonifacius martyr & Episcopus interrogatus si liceret in vasculis ligneis Sacramenta conficere, respondit, quondam sacerdotes non aureis sed ligneis calicibus utebantur. Zepherinus sedecimus Romanus Episcopus patenis vitreis missas celebrari constituit. Deinde Urbanus Papa omnia ministeria sacra fecit argentea, &c.

Et mox C. *Vt calix.*) Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum habeat calicem.

DE MAGISTRATU.

CAPUT XVII.

Magistratibus tributa ab ecclesiasticis non negan-da. Ambrosius ad Auxent.

11.*q*.1. *Si tributum.*) Si tributum petit Imperator, non ei negamus, agri ecclesiæ solvant tributum. Si agros desiderat Imperator,

perator, potestatem habet vendicandorum, tollat eos, si libitum est. Imperatori non dono, sed non nego.

Et mox idem. Magnum quidem est & speciale documentum, quo Christiani viri sublimioribus potestatibus docentur debere esse subjecti, ne quis constitutionem terreni regis putet esse solvendam. Si n. censum filius Dei solvit, quis tu tantus es, qui putas esse non solvendũ? Item Apostolus: Omnis anima sublimioribus potestatib. subdita sit. Item Petrus Apostolus generaliter omnib. fidelibus scribit, Estote subditi dominis vestris sive regi quasi præcellenti, sive ducibus tãquam ab eo missis, ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum.

DE JUREJURANDO & votis.

Caput XVIII.

Non jurandum esse per creaturas.

22. *q.* 1. *Et jurabunt.*) Quòd per mortuos juret omnis idololatra. Hier. super Ierem. lib. 1.

Item C. *Considera.*) Considera quòd salvatos non per Deum jurare prohibuit, sed per cœlum & terram, etiam per Hierosolymam, & per caput tuum. Hier. super Matth. lib. 1.

Et mox ex Concilio Carthaginensi IV. Clericum per creaturas jurantem, acerrimè esse objurgandum, si perstiterit in vitio excommunicandum decernimus.

Et mox iterum C. *Si quis.*) Et si quis per creaturas juraverit, acerrimè castigetur, & juxta id quod Synodus dijudicaverit, pœniteat. Si quis autem talem hominem nõ manifestaverit, non est dubium, quin divina condemnatione coerceatur. Sed si Episcopus ista emendare neglexerit, accerrimè corripiatur.

Et mox C. *Monet te.* Augustinus ad Publicolam, quòd bis peccet, qui per falsos Deos juret, & fidem quoq; non servet.

Ibidem. Alia quæstio est, utrum non peccet, qui per falsos Deos sibi jurari facit, quia ille qui ei jurat, jurat per falsos Deos quos colit. Cui quæstioni possunt illa testimonia suffragari, quæ ipse commemorasti de Laban & Abimelech, si tamen Abimelech per Deos suos juravit, sicut Laban per Deum Nahor. Sicut etiam cum in libro Machabæorum Romani legantur pacem firmasse cum Judæis, intelligendi sunt jurasse per falsos Deos, sicut & Judæi juraverunt per Deum verum. Sic etiam & de juramento quod fit per creaturas, intelligendum est, ꝙ IPSUM QUIDEM JURARE PER CREATURAS MALUM EST, QUIA A DEO PROHIBITUM, sed servare quod juratur, bonum est, ut evitetur peccatum mendacii & dolositatis.

Et mox ibidem. Deus autem per creaturas jurare prohibuit, ne vel more gentilium aliquod numen Deitatis creaturis inesse crederetur, vel ne creaturas contemptibiles judicando, per eas promissa pro nihilo duceremus.

Majus esse per Deũ, quàm per Evangeliũ jurare.

22. *q.* 1. *Si aliqua.*) Si aliqua causa fuerit, modicum videtur facere, qui jurat per Deum, qui autem per Evangelium, majus aliquid fecisse videtur, quibus dicendum est, Stulti, propter Deum scripturæ sanctæ sunt, non Deus propter scripturas.

Illicita juramenta & vota non esse servanda.

22. *q.* 4. Multis hoc agitur capitibus, & inducunt diversa Herodis & Davidis exempla. Ibidem etiam hæc testimonia citantur.

 Isidorus

Isidorus in Synonymis lib. 2. In malis promissis rescinde fidem, in turpi voto muta decretum, quod incautè vovisti, ne facias, impia est promissio, quæ scelere adimpletur.

Ambrosius de Officiis. Melius est non vovere, quàm vovere id, quod sibi is cui promittitur nolit exolvi.

August. Magnæ sapientiæ est revocare hominem, quod malè locutus est.

Concil. Elibertinum. Diffinitio incauta laudabiliter solvenda est, nec est prævaricatio, sed temeritatis emendatio.

August. Mulier si fide conjugali violata fidem servet adultero, utique mala est, porrò si eam flagitii pœniteat, & ad castitatem rediens conjugalem, pacta ac placita adulterina rescindat, miror si eam fidei violatricem vel ipse adulter putabit.

DE HÆRETICIS.

Caput XIX.

24. q. 3. *Hæresis.*) Quicunq; igitur aliter scripturam intelligit, quàm sensus Spiritus sancti flagitat, à quo scripta est, licet ab ecclesia non recesserit, tamen hæreticus appellari potest.

Angelos colere hæresim esse:

24. q. 3. In Catalogo hæreticorum recensentur etiam Angelici, qui ideo sic dicti sunt, quia angelos colebant.

DE PRIMATU IN ECCLESIA, & de Papa.

Caput XX.

Omnes Apostolos eodem honore & eadem potestate præditos fuisse. Cyprianus Papa.

22. q. 1. *Loquitur.*) Hoc utique erant cæteri Apostoli, quod Petrus fuit, pari cõsortio præditi & honoris & potestatis.

Paulum Petro non fuisse imparem. Hier. de Paulo super epistolam ad Gal.

2. q. 7. *Paulus.*) Paulus Petrum reprehendit, quòd non auderet, nisi se non imparem sciret. Hic addit Gratianus de suo, Hoc non de officio ecclesiasticæ dignitatis, sed de puritate vitæ, & sanctitate conversationis intelligitur. Solus enim Petrus inter Apostolos primatum gerebat. Hoc scilicet Hieronymus ignoravit.

Et mox. Ambrosius. Beati Petrus & Paulus eminent inter universos Apostolos, & speciali quadam prærogativa præcellunt, verum inter ipsos quis cui præponatur incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, qui æquales sunt passione, & simili eos fidei devotione vixisse, quos simul videmus ad martyrii gloriam pervenisse. Non enim sine causa factum putamus, quòd una die passi sunt, uno loco, sub uno persecutore. Una die, ut ad Christum pariter pervenirent. In uno loco, ne alteri Roma deesset. Sub uno persecutore, ut æqualis crudelitas utrosque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute.

Primitivã ecclesiã nullos ordines habuisse prater diaconatũ & presbyteratum. Vrbanus Papa.

Dist. 6. C. Nullus.) Nullus in Episcopatum eligatur, nisi in sacris ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem ordines dicimus diaconatũ & presbyteratum, Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse ecclesia.

Episcopos & presbyteros olim idem & ejusdem dignitatis fuisse.

Dist. 21. Cleros.) Apud veteres idem Episcopi & presbyteri fuerunt.

Dist. 91. C. Legimus.) Ex Hieronymo ad Evagrium vel Eugenium Episcopum multis.

multis probatur, quòd Episcopi & Presbyteri ejusdem olim fuerint dignitatis. Postea sequitur: Quod autem postea unus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne unusquisque ad se trahens ecclesiam Christi rumperet.

Dist.95.Olim.) Hier. super epistolam ad Titum. Olim idem erat presbyter qui & Episcopus, & antequam diaboli instinctu studia vel schismata in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego sum Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabatur. Postquam unusquisque eos quos baptizaverat suos esse putabat, non Christi, in toto orbe decretum est, ut unus de presbyteris superponeretur omnibus, & schismatum semina tollerentur.

Et paulò post: Sicut ergo presbyteri sciunt se ex ecclesiæ consuetudine ei qui sibi præpositus fuerit esse subjectos, ita episcopi noverint se magis consuetudine quam dispensationis Dominicæ veritate presbyteris esse majores, & in communi debere ecclesiam regere.

Parem omnium ecclesiarum & Episcoporum esse dignitatem. Hiero.

Dist.93.C.Legimus.) Nec altera Romanæ urbis ecclesia, altera totius orbis æstimanda est, & Galliæ & Britanniæ. Nam & Aphrica, & Persis, & Oriens, & India, & omnes barbaræ nationes, unum Christum adorant, unam observant regulam veritatis. Si autem auctoritas quæreretur, orbis major est urbe. Ubicunque fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Regii, sive Alexādriæ, sive Thebis, sive Guarmatiæ, ejusdem meriti est, ejusdem & sacerdotii. Potentia divitiarum, & paupertatis humilitas, vel sublimiorem vel inferiorem Episcopum non facit.

Vnicuique ecclesiæ suus honor servetur. Ex Concilio Niceno.

Dist.63.C.Mos antiquus.) Mos antiquus perduret in Ægyto vel Lybia & Pentapoli, ut Alexandrinus Episcopus horum omnium habeat potestatem, quandoquidem & Romano Episcopo parilis est mos. Similiter autem apud Antiochiam & cæteras provincias, honor suus unicuique servetur ecclesiæ.

De primatu in ecclesia. Ex Concilio Aphricano.

Dist.99.C.Primæ.) Primæ sedis Episcopus, non appelletur princeps sacerdotum, vel summus sacerdos, aut aliquid hujusmodi, sed tantum primæ sedis Episcopus.

Universalis autem, nec etiam Romanus Pontifex appelletur. Unde Pelagius omnibus Episcopis.

Nullus Patriarcharum universalitatis vocabulo unquam utatur, quia si unus Patriarcha universalis dicitur, Patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc à fidelibus, hoc sibi velle quēpiam arripere, unde honorem fratrum suorum imminuere ex quantulacunque parte videatur. Quapropter charitas vestra neminem unquam etiam suis in epistolis universalem nominet, ne sibi debitum subtrahat, cum alteri honorem infert indebitum.

Item Gregorius Eulogio Patriarchæ Alexandrino. Ecce in præfatione epistolæ quam ad meipsum, qui prohibui direxistis, superbæ appellationis verbum, Universalem me Papam dicentes, imprimere curastis. Quod (peto) mihi dulcissima sanctitas vestra ultra non faciat, quia

vobis subtrahitur, quod alteri plusquam ratio exigit, præbetur. Ego non verbis quæro prosperari, sed moribus, nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque est honor universalis ecclesiæ, meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem Papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum. Sed absit hoc, recedant verba quæ veritatem inflant, & charitatem vulnerant.

Primatum quærentem in terra, confusionem inventurum in cœlo, nec inter servos Christi numerandum. Chrysost.

Dist.4.C.Multi.) Quicunque desideraverit primatum in terra, inveniet confusionem in cœlo, nec inter servos Christi computabitur, qui de primatu tractaverit. Nec unusquisq; eorum sustinet quomodo aliis major appareat, sed quomodo omnibus inferior videatur. Quoniam non qui major fuerit in honore inter homines, ille est justior, sed qui fuerit justior, ille major.

Episcopi sacerdotes se sciant esse non dominos. Ex Hier. ad Nepotianum.

Dist.59.C.Esto subjectus.) Esto subjectus Pontifici tuo, & quasi parentem animæ ama, sed EPISCOPI SACERDOTES SE SCIANT ESSE, NON DOMINOS.

Episcopi ordinantur, non ut præsint, sed ut prosint. Leo.

1.q.1.Si qui Episcopi.) Non solùm ut præsint, sed etiã ut prosint sacerdotiũ datur.

Sacerdotes præeminere debere sanctitate.

Ibidem mox. C. *Hi quoscunque.*) Qui ad hoc eliguntur ut cæteris præsint, sicut ordinantur dignitate, sic præeminere debẽt sanctitate. Alioquin cur cæteris præferuntur, qui nulla meritorum gratia à cæteris assumuntur?

Quomodo Apostolorum vicarij debeamus esse.

Dist.35.C.Ecclesiæ principes.) Si in Apostolorum loco sumus, non solùm sermonem eorum imitemur, sed etiam conversationem & abstinentiam.

Papam cum suis ab Imperatore corrigi debere. Leo IV. Ludovico Augusto.

2.q.7.Nos si.) Nos si incompetenter aliquid egimus, & in subditis justæ legis tramitem non conservavimus, vestro ac missorum vestrorum cuncta volumus emendare judicio. Quoniam si nos qui aliena debemus corrigere peccata pejora committimus, certè non veritatis discipuli, sed (quod dolentes dicimus) erimus præ cæteris erroris magistri.

Papam non habere omnia jura in pectore.

Dist.23.C.Præterea.) In Glossa marginali, ubi Papa Nicolaus dicit, Nisi nos fallat oblivio, Glossator addit, Non ergo Papa habet omnia jura in pectore suo.

DE ELECTIONIBUS ET ORdinationibus.

CAPUT XXI.

Non consecrari debere, nisi Canonicè electum. Et nisi hoc non fiat, & consecrantẽ & consecratum absque recuperationis spe deponendos. Calixtus Papa.

Dist.62.C.Nullus.) Nullus in Episcopũ nisi Canonicè electum consecret. Quod si præsumptum fuerit, consecrans & consecratus absque recuperationis spe deponantur.

Ius ordinandi amittere eos, qui indignos consecrant. Leò Papa.

25.q.2. Si qui Episcopi.) Si qui Episcopi talem consecraverint sacerdotem, qualem

lem esse non licet, etiamsi aliquo modo damnum proprii honoris evaserint, ordinationis jus ulterius non habebunt, nec unquam eidem sacramento intererunt, quod neglecto divino judicio, immeritò præstiterunt.

De promotione indignorum.

Dist.61.) Postquam multa de irreprehensibilitate ministrorum, & quales elegi debeant, dictum est, sequitur inter alia.

Vnde Leo Episcopis. C. Miramur.) Miramur tãtum apud vos per occupationem temporis impacati, aut ambientium præsumptionem, aut tumultum voluisse popularem, ut indignis quibuslibet, & longè extra sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium, & gubernatio ecclesiæ crederetur. Non enim est hoc consulere populo sed nocere, nec præstare regimẽ, sed augere discrimen. Integritas enim præsidentium, salus est subditorum, & ubi est incolumitas obedientiæ, ibi sana est forma doctrinæ.

Qui non debeant ad ordines sacros admitti.

Dist.33. C. Maritum.) Inter alia. Neque illos qui usuras accepisse convincuntur, aut in scena lusisse noscuntur, nec eũ qui publica pœnitentia mortalia crimina deflevit, neque illum qui in furiam aliquando versus insanivit, vel afflictione diabolica vexatus est, neque eum qui per emptionem ad imitationem Simonis Magi pecuniam obtulerit.

Milites clericos fieri non posse. Innocentius.

Dist.50. C. Si quis.) Si quis, post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum omnino admitti non debet.

De ambitione, qua ex laicis subito fiunt sacerdotes & Episcop. Gregor. Brunnichildi reginæ Francorum.

Dist. 61. C. Sacerdotale.) Sacerdoale officium vestris in partibus, in tanta, sicut didicimus, est ambitione perductum, ut sacerdotes subito, quod nimis grave est, ex laicis ordinentur.

Seculo implicatos, in clerum non recipiendos esse.

Dist.53. C. Legem.) Gregor. lib. 8. Registri, de Lege Mauritii Augusti, inter alia. Hi qui seculi actionibus implicati sunt, in clero ecclesiæ, præpostere suscipiendi non sunt, quia dum in ecclesiastico habitu, non dissimiliter quàm priùs vixerant, vivunt, nequaquam student seculum fugere sed mutare.

Illiteratos non debere ordinari.

Vide Dist. 55 multis locis.

Non debere ad sacerdotium promoveri, ecclesiasticis disciplinis prius non imbutos. Zosimus Papa.

Dist.59. C. Qui ecclesiasticis.) Qui ecclesiasticis disciplinis per ordinem non est imbutus, nec temporum approbatione divinis stipendiis eruditus, nequaquam ad summum sacerdotium ecclesiæ aspirare vel præsumere debet, & non solum in eo ambitio inefficax habeatur, verum ordinatores ejus careant eo ordine, quẽ contra præcepta crediderãt prę sumendũ.

Item ibidem. C. Hoc ad nos pervenisse, quod non dissimili dignum est detestatione complecti, quòd quidam honoris desiderio inflammati, defunctis Episcopis tonsurantur, & fiunt repente ex laicis sacerdotes, atque inverecunde & repente religiosi propositi ducatum arripiunt, qui esse nec adhuc milites didicerunt. Quid putamus quod isti subjectis præstaturi sunt, qui antequam disciplinatus limen attingant, tenere locum regiminis non formidant?

Et. C.

Et. C. Ordinatos. Celestinus Episcopis Galliarum. Debet enim ante esse discipulus, quisquis doctor esse desiderat, ut possit docere quod didicit. Omnis enim vitæ institutio ad id quod tendit, se ratione cõfirmat. Qui minimè literis operam dederit, præceptor esse non potest literarum. Qui non per singula stipendia creverit, ad meritum stipendii ordinem non potest pervenire. Solum sacerdotium inter ista rogo vilius est? Cur facilius tribuitur, cum difficilius impleatur?

Eruditionem Episcopis necessariam esse. Ex Concilio Toletano.

Dist.38.C.Ignorantia.) Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei evitanda est, qui docendi officium in populo Dei susceperunt. Sacerdotes legere sanctas admonẽtur scripturas, Paulo Apostolo dicẽte ad Timotheum, Attende lectioni, & exhortationi doctrinæ, & semper permane in his. Sciant ergo sacerdotes sanctas scripturas & canones, & OMNE OPUS EORUM IN PRÆDICATIONE ET DOCTRINA CONSISTAT, atque ædificent cunctos, tam fidei scientia, quàm operum disciplina.

Ibidem.C.Si in laicis. Leo Episcopis Constantinopol. Si in laicis videtur intolerabilis inscitia, quanto magis in his qui præsunt, nec excusatione est digna nec venia.

Ibidem.C.Omnes psallentes. Ex VII. Synodo. Unde diffinimus, omnem qui ad Episcopatus est provehendus gradum, modis omnib. Psalteriũ nosse, ut ex hoc etiam omnis clerus qui sub eo fuerit ita moneatur & imbuatur. Inquiratur autem diligenter à metropolitano si in prõptu habeat legem, scrutabiliter & non transitoriè, tam sacros canones & sanctũ Evangelium, quam divini Apostoli librum, & omnem divinam scripturã, atq; secundum mandata conservare & docere populum sibi commissum. Substantia enim sum̃i sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est, vera divinarum scripturarum disciplina, quemadmodum magnus perhibet Dionysius. Quòd si disceptaverit, & ita libenter facere & docere minimè spoponderit, nullatenus consecretur. Ait enim Prophetæ Deus: Tu scientiam repulisti, & ego repellam te, ne sacerdotio fungaris mihi.

Sacerdotes debere eruditos esse.

Vide Decreta Gelasii & Zosimi Pontificum Dist.36.C.Illiteratos, &, Qui ecclesiasticis. Quibus mox subjungit Gratianus.)

Ecce quòd sacrarum literarum oportet Episcopum habere peritiam. Unde in veteri Testamento inter cætera ornamẽta Pontifex rationale ferebat in pectore, in quo scribebatur, Manifestatio & veritas, quia in pectore Pontificis, manifesta debet esse cognitio veritatis.

Colligit deinceps multa scripturarum testimonia & exempla. Tandem concludit. Ex quibus omnibus liquidò colligitur, quòd non sufficit prælatis bona conversatio & morum honestas, nisi addatur scientia doctrinæ.

Et mox ibidem.C.si quis vult. Ex Hieronymo. Hæc duo sunt Pontificis opera ut à Deo discat legendo scripturas divinas, & sæpius meditando, aut populum doceat. Sed illa doceat, quæ à Deo ipse didicerat, non ex proprio corde, vel humano sensu, sed quæ Spiritus S. docet.

De examine eorum, qui ad sacrum ministerium accedere volunt.

Dist.24.C.Quando) Episcopus à latere suo eligere debet sacerdotes, & alios prudentes viros, gnaros divinæ legis, exercitatos in ecclesiasticis sanctionibus, qui ordinandorum vitam, genus, patriam, ætatem, institutionem, locum ubi educati sunt, si sint bene literati, si instructi in lege Dei, ante omnia diligenter investigēt, si fidem Catholicam firmiter teneant, & verbis simplicibus asserere queant.

Et mox: Igitur per tres continuos dies examinentur, & sic Sabbato, qui probati sunt, Episcopo repræsententur.

De examine Episcoporum.

Dist 23.C.Qui Episcopus.) Qui Episcopus ordinandus est, antea examinetur, si natura sit prudens, si docibilis, si moribus temperatus, si vita castus, si sobrius, si pervigil, si semper suis negotiis cavens, si humilis, si affabilis, si misericors, si literatus, si in lege Domini instructus, si in scripturarum sensibus cautus vel acutus, si in dogmatibus ecclesiasticis exercitatus, & ante omnia si fidei documenta verbis simplicibus asserat.

Nullus invitis detur Episcopus.

Dist.61.C.Nullus.) Nullus invitis detur Episcopus.

Quando de aliena ecclesia Episcopus eligendus.

Ibidem. Tunc autem alter de altera eligatur ecclesia, si de civitatis ipsius clero, cujus est Episcopus ordinandus, nullus (quod evenire non credimus) dignus poterit reperiri. Vide ibidem plura.

Extraneos & ignotos in electionibus, notis & bene meritis de ecclesia non debere præponi. Celestinus Papa.

Dist. 61. Nec emeritis.) Nec emeritis in suis ecclesiis peregrini & extranei, & qui ante ignoti sunt ad exclusionem eorum q̃ bene civium suorum merentur testimonium præponantur.

Qua ætate ordinandi ministri.

Dist.77.Subdiaconus.) Ex VI. Synodo. Subdiaconus non minor XX. annorum ordinetur. Si quis verò in aliquo sacro ordine sacerdotali, præter cōstituta tempora ordinatus fuerit, deponatur.

Item.C.Placuit, ex Concil. Carthaginen. Placuit ut ante XXV. annos ætatis nec diaconi ordinentur, nec virgines consecrentur.

Item ex Concilio Agathen. Episc. bedictionem diaconatus minoribus XXV. annorum penitus non committat.

Et mox: Presbyterum vel Episcopum ante XXX. annos, id est, antequam ad perfecti viri ætatem perveniant, nullus metropolitanorum ordinare præsumat, ne per ætatem, quod aliquoties evenit, aliquo errore culpentur.

Item ex Concilio Toletano, à XXV. anno suo ætatis Levitæ consecrentur, & à XXX. presbyteri ordinentur. Bonifacius.

Dist.78.Si quis.) Si quis XXX. ætatis suæ annum non impleverit, nullo modo presbyter ordinetur, etiamsi valde sit dignus.

Ibidem. C. Nemo.) Nemo presbyter consecretur, qui minor XXX. annis sit. Nemo diaconus vel subdiaconus fiat, qui minor XXV. annis sit. Nemo lectoribus connumeretur, qui minor XVIII. annis fuerit. Nemo intra diaconissas cōsecretur sacrosanctæ ecclesiæ, quæ minor sit XL. annis, vel ad secundum matrimonium pervenerit.

Item ex Concilio Neocęsariensi. Presbyter ante XXX. annorum ætatem non ordinetur, quamvis sit ꝓbabilis vitæ, sed observetur, usque ad præfinitum temp⁹.

Dominus enim XXX. anno baptizatus eſt & tunc prædicavit.

Laicos poſſe aliquando ordinari.

Diſt. 33. *C. Laici.*) Laici qui habentes uxores baptizati ſunt, ac ſic ſe inſtituerunt ut in nullo eorum opinio vacillaret, aut clericis jũcti ſunt, aut monaſteriis ex quo baptizati ſunt adhæſerunt, ſi non concubinam, ſi non pellicem noverint, ſi in bonis operibus vigilaverint, non prohibentur hujuſmodi ad clericatus ſortem aſſumi. Innocentius Papa.

De Laicis qui Epiſcopi facti ſunt.

Diſt. 61. *C. Statuimus Gratianus ait.*) E-contra beatus Nicolaus ex laico electus eſt in Epiſcopum. Beatus Severus ex lanificio aſſumptus eſt in Archiepiſcopum. Beatus Ambroſius, cum nondum eſſet baptizatus, in Archiepiſcopum eſt electus.

Romani Pontificis non rite electi, ejuſque ſequacium condemnatio.

Diſt. 23. *C. In nomine Domini.*) Quòd ſi quis contra hoc decretum noſtrum, ſynodali ſententia promulgatum, quaſi per ſeditionem vel præſumptionem, aut quolibet ingenio, electus, aut etiam ordinatus, ſeu inthronizatus fuerit, authoritate divina & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, perpetuo anathemate cum ſuis authoribus & fautoribus & ſequacibus, à liminibus ſanctæ Dei eccleſiæ ſeparatus abjiciatur, ſicut Antichriſtus, & invaſor & deſtructor totius Chriſtianitatis, nec aliqua ſuper hoc ei audientia reſervet, ſed ab omni eccleſiaſtico gradu in quocunque fuerat prius, ſine retractatione deponatur. Cui quiſquis adhæſerit, vel qualemcunque tanquam Pontifici reverentias exhibuerit, aut in aliquo eum defendere præſumpſerit, pari ſententia ſit mancipatus. Quòd ſi quis hujus noſtræ ſanctæ Decretalis ſententię temerator extiterit, & Romanam eccleſiam ſua præſumptione confundere & perturbare contra hoc ſtatutum tentaverit, perpetuo anathemate atq; excommunicatione damnetur, & cum impiis, qui non reſurgent in judicio, reputetur. Omnipotentis iram contra ſe ſentiat, & ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, quorum eccleſiam præſumit confundere, in hac vita & in futura furorem ſentiat. Fiat habitatio ejus deſerta, & in tabernalis ſuis non ſit qui inhabitet. Fiant filii ejus orphani & uxor ejus vidua. Commotus commoveatur, ipſe & filii ejus mendicent, & ejiciantur de habitationibus ſuis. Scrutetur etiam fœnerator omnem ſubſtantiam ejus, & diripiant alieni labores ejus. Orbis terrarum pugnet contra eum, & cuncta elementa ſint ei cõtraria, & omnium ſanctorum quieſcentiũ merita, illum confundant, & in hac vita ſuper eũ apertam vindictã eorum oſtendãt. Obſervatores autem hujus noſtri Decreti, omnipotentis gratia protegat, & authoritas beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli omniũ peccatorũ vinculis abſolvat.

Imperatorem jus habere eligendi Pontificem, & ordinandi Apoſtolicam ſedem, & inveſtiendi Archiepiſcopos & Epiſcopos per ſingulas provincias.

Diſt 63. *C. Hadrianus.*) Hadrianus autem PP. cum univerſa ſynodo tradiderit Carolo jus & poteſtatem eligendi Pontificẽ, & ordinandi Apoſtolicã ſedem. Dignitatem quoq; patriciatus ei conceſſerat. Inſuper Archiepiſcopos & Epiſcopos p ſingulas provincias ab eo inveſtiturã accipe diffinivit, ut niſi à rege laudetur & inveſtiatur Epiſcopus, à nemine conſecretur.

Et

Et quicunq; cõtra hoc decretũ ageret, anathematis vinculo eũ innodavit, & nisi resipisceret, bona ejus publicari pręcepit.

Et mox item Leo Papa in synodo cõgregata Romæ in Ecclesia sancti Salvatoris, ad exemplum B. Hadriani Apostolicę sedis antistitis, qui Domino Carolo victoriosissimo regi Francorum ac Longobardorum patriciatus dignitatem ac ordinationem Apostolicæ sedis, & investituram Episcoporum concessit. Ego Leo quoq; servus servorum Dei Episcopus cũ toto clero ac Romano populo, constituimus & confirmamus, & corroboramus, & per nostram Apostolicam authoritatẽ cõcedimus atque largimur Domino Ottoni primo, regi Theutonicorum, ejusq; successoribus hujus regni Italiæ in perpetuum, facultatem eligendi successorem, atq; summæ sedis apostolicæ Pontificem ordinãdi, Ac per hoc Archiepiscopos seu Episcopos, ut ipsi ab eo investituram accipiant, & consecrationem unde debent, exceptis his quos Imperator Pontificib⁹ & Archiepiscopis concessit. Et ut nemo deinceps cujuscunq; dignitatis vel religionis eligendi vel patricium, vel Pontificem summæ sedis Apostolicæ, aut quẽcunq; Episc. ordinãdi habeat facultatem absq; consensu ipsius Imperatoris. Quod tamẽ fiat absq; omni pecunia, & ut ipse sit patricius, & rex. Quod si à clero & populo quis eligatur Episcopus, nisi à supradicto rege laudetur, & investiatur, non cõsecretur. Si quis contra hãc apostolicam auctoritatem aliquid molietur, hunc excommunicationi subjacere decernimus, & nisi resipuerit, irrevocabili exitio puniri, vel ultimis suppliciis affici.

In eadem distinctione plura invenies in hanc sententiam, utpote. Quòd sacra principis authoritas ordinandis sit necessaria. C. Principali. Itẽ Papa rogat Augustum, ut Reatinam ecclesiam cuidam electo dignetur concedere. C. Reatina.

Item, quòd Imperatoris epistola in electionis confirmatione desideretur. C. Lectis.

Item. Quòd electus in Romanũ Pontificem non ordinari debeat, nisi ejus decretũ Imperatori primò præsentetur. C. Agatho.

Hæc omnia quantumvis disertè ponãtur, postea tamen diversum statuitur. C. Quia. Item C. cum Hadrianus. Item C. Ego Ludovicus. Item C. tibi Domino. Et C. Omnis electio.

De ordinibus ecclesiasticis cum ex Iudaismo tùm ex gentilismo desumptis.

Dist. 21. *C. Decretis.*) dicitur quòd summorum Pontificum, præsulum & reliquorum sacerdotum institutio in veteri Testamento inchoata sit. Et sequitur.

Summi etenim Pontifices & minores sacerdotes à Deo sunt instituti p Mosem, qui ex præcepto Domini Aaron in summũ Pontificẽ, filios verò ejus unxit in minores sacerdotes. Postea verò David, cũ ministeria domus Domini ampliaret, janitores & cantores instituit. Porrò Solomõ quendam modũ exorcizãdi invenit, quo dæmones adjurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mãcipati exorcistæ vocati sunt. De quibus Dominus in Evãgelio: Si ego in Beelzebub ejicio dæmonia, filii vestri, scil. exorcistæ, in quo ejiciunt? Hæc omnia in N. T. ecclesia imitata, habet janitores suos, quos hostiarios appellamus. Pro cantorib⁹, lectores & cãtores instituit. Exorcistas aũt nomine antiquo & officio pmanente recepit. Pro filiis verò Aaron, omnes infra summũ Pon-

tificem ſacerdotium adminiſtrantes ſunt conſecrati. Inter eos quædam diſcretio ſervata eſt, ut alii appellentur ſimpliciter ſacerdotes, alii Archipresbyteri, alii Chorepiſcopi, alii Epiſcopi, alii Archiepiſcopi ſeu Metropolitæ, alii Primates, alii Patriarchæ, alii ſummi Pontifices. Horum diſcretio A GENTILIBUS MAXIME INTRODUCTA EST, qui ſuos flamines, alios ſimpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant.

DE SIMONIA.

CAPUT XXII.

De Simoniacis.

1.*q*.6. *Quid verò.*) Perinde Simoniacus habetur, qui pro electione præmia largitur, ac ſi pro conſecratione munera dediſſet.

Et mox. Gregor. Siagrio Epiſcopo Auguſtodunenſi. Sicut is qui invitatus renuit, quæſitus refugit, ſacris altaribus eſt admovendus, ſic qui ultrò ambit, vel importunè ſe ingerit, eſt proculdubio repellendus. Nam qui ſic nititur ad altiora cōſcendere, quid aliud agit, niſi ut creſcendo decreſcat, & aſcendendo exterius, interius in profundum deſcendat? Itaque frater chariſſime in ſacerdotibus ordinādis ſinceritas vigeat, ſit ſimplex & ſine venalitate conſenſus, pura præferatur electio, ut ad ſummum ſacerdotii (vel Pontificii) non ſuffragio venditorum provectus, ſed Dei credatur eſſe judicio.

1.*q*.1. Reperimur. Ambroſius. Reperiuntur quamplurimi negotiatione muneris mercari velle gratiam Spiritus ſancti, dum illi pretium donant, ut Pontificalis ordinis ſublimitatem accipiant, obliti verborum Petri, qui dixit ad Simonē, Pecunia tua tecum ſit in perditionē, quia exiſtimaſti donū Dei poſſe pecuniâ poſſideri. Proinde quia & uſitatum eſt tantum malum, & majorum extat frequenter mucrone ſucciſum, nos quoque huic vulneri canceroſo, ignitum quod ſupereſt adhuc injicimus ferrum, decernentes omnino, ut quicunque deinceps pro accipienda divina dignitate doni, quodlibet premium detectus fuerit obtuliſſe, ex eodem tempore ſe noverit anathematis opprobrio condemnatum, atque à participatione corporis & ſanguinis Chriſti alienum, ex quo illum conſtat execrabile Chriſto perpetraſſe flagitium. Quòd ſi aliquis ejus accuſator extiterit, ille qui hunc ordinem, munerum fuerit donatione lucratus, & ſuſcepto honoris gradu privetur, & in monaſterio ſub perenni pœna retrudatur. Illi verò qui hac cauſa, munerum acceptores extiterint, ſi clerici fuerint, honoris ſui amiſſione mulctentur, ſi verò laici, perpetuo anathemate condemnentur.

Item ex VIII. Synodo. Qui per pecuniam quenquam conſecraverit, vel ab alio conſecratus eſt, alienus à ſacerdotio fiat.

Item Gregor. Nazianzenus. Qui ſtudet donum Dei pretio mercari, in ſacro ordine nulla ratione de cætero permanere aut revocare poſſe dubium non eſt, talis à communione omnibus modis abſcindatur. Nam Spiritus ſancti donum pretio comparari, quid aliud eſt quam capitale crimen & Simoniaca hæreſis? Quod quam deteſtabiliter in utroq; Teſtamento vindicatum ſit, multorū exemplis facile apparet. Giezi enim gratiam ſanitatis Naaman Syro vendidit, eandemque gratiam ſanitatis Heliſæo vindicante

dicante leprosus factus amisit. Judas omnium redemptorem vendidit, mox laqueo suspensus, eandem redemptoris gratiam non obtinuit. Et meritò, quia nemo potest retinere quod vendidit. Simon etiam Magus cum eandem Spiritus sancti gratiam emere vellet, damnationis sententiam à Petro audivit: Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecuniâ possideri. Dominus etiam, nt ementes & vendentes hujus gratiæ expertes ostenderet, cunctos alios peccatores per gratiam in templo dimisit, singulariter vendentes & ementes increpans & flagellans, de templo ejecit, in quo venditores & emptores suos gratia Spiritus sancti constat destitutos esse & vacuos. Quos enim Christus ejecit è templo, nunquam spiritus Christi sibi faciet templum.

Item, Ambr. ait. Cum ordinaretur Episcopus, quod dedit aurum fuit, quod perdidit, anima fuit. Cum alium ordinaret, quod accepit, aurum fuit, quod dedit, lepra fuit.

1.*q*.7. *Si quis omnem.*) Omnis Episcopus vel presbyter aut diaconus, convictus quòd pro muneribus ordinationem dederit vel acceperit, à sacerdotio cadat.

Et mox ibidem. Cum omni fiducia clamo, qui per Simoniam ordinatus est, sive Episcopus, sive presbyter, sive diaconus, alienus est à sacerdotio, neque enim venalis est gratia Spiritus sancti. Cajaphæ traditio, & adinventio Simonis, à sancto sacerdotio est aliena. Vide ibidem plura.

Item ibidem amplius. Quicunque per pecuniam dispensationem vel curam sortiti sunt monasteriorum, vel ecclesiarum, vel religiosarum domorum gerontocomiorum, xenodochiorum, orphanotrophiorum, cum depositione expellantur à dispensatione illa & cura.

Et mox ex Concil. Melden. Cavendum est & summopere studendum, ac per virtutem Christi sangvinis interdicendum Episcopis & regibus, & omnibus sublimioribus potestatibus, atque cunctis fautoribus & electoribus quorumcunque consensoribus seu ordinatoribus in gradu ecclesiastico, ut nemo per Simoniacam hæresim obtineat locum, quacunque functione, calliditate, promissione seu commoditate aut datione, per se aut submissam personam.

Simoniacam hæresim cæteris damnabiliorem esse.

1.*q*.7. *Patet.*) Paschalis pp. Patet Simoniacos veluti primos & præcipuos hæreticos ab omnibus fidelibus respuendos, & si commoniti non resipuerint, ab exteris etiam potestatibus opprimẽdos. Omnia etiam crimina ad comparationem Simoniacæ hæresis quasi pro nihilo reputantur.

1.*q*.1. *Eos qui.*) Eos qui per pecunias manus imposuerunt vel imponunt, Petrus divinus Apostolus, cujus cathedram sortita est sanctitas vestra, tanquam Simonem Magum deponit. Tolerabilior est enim Macedonii, & eorũ qui circa ipsum sunt S. sancti impugnatorum impia hæresis. Illi enim creaturam & servum Dei Patris & Filii S. sanctum delirando fatentur, isti verò S. sanctum efficiunt suum servum. Omnis enim dominus quod habet si vult vendit, sive servũ, sive aliquid aliud eorum quæ possidet. Similiter & qui emit, dominus ejus volens esse quod emerit, per pretium pecuniæ illud acquirit. Ita & hi, qui hanc iniquam actionem operantur, detrahunt S. sancto, æqualiter

ter peccantes his qui blaſphemaverint dicentes Chriſtum in Beelzebub ejicere dæmonia. Atque ut verius dicamus Judę comparátur proditori, qui Judæis occiſoribus Chriſtum vendidit.

De his qui per munera invadunt eccleſias vacantes. Ex Concilio Rothomagenſi.

7. q. 1. Sancitum eſt.) Sancitum eſt, atque omnibus modis prohibitum, ut ſi quis presbyter inventus fuerit alicui clerico vel laico munera dare vel dediſſe, aut aliam pecuniam tribuere, ut alterius presbyteri eccleſiam vacantem pretio redimat, pro hac cupiditate, ſeu rapina, ſeu præſumptione, turpis lucri gratia, dejiciatur à clero, & alienus exiſtat à regula.

Simoniacos non eſſe ſacerdotes, ideoq; deponi debere.

1. q. 1. Quicunque.) Quicunque ſacros ordines vendunt aut emunt, ſacerdotes eſſe non poſſunt.

Item. Gregor. Quicunque ſtudet per pretii dationem ſacrum ordinem accipere, ſacerdos non eſt, ſed inaniter tantummodo dici concupiſcit.

Idem in Regiſtro. Presbyter ſi per pecuniam eccleſias obtinuerit, non ſolùm eccleſia privetur, ſed etiam ſacerdotii honore ſpolietur, quia & altare & decimas & Spiritum ſanctum emere vel vendere, Simoniacam hæreſim eſſe nullus fidelium ignorat.

Simoniacos habere & dare Spiritum mendacii. Leo Papa.

1. q. 1 Gratia.) Quid ergo dant? Profectò quod habent. Quid habent? Spiritum utique mendacii. Quomodo hoc probamus? Quia ſi ſpiritus veritatis (teſtante ipſa veritate de qua procedit) gratis accipitur, proculdubio ſpiritus mendacii eſſe convincitur, qui non gratis accipitur vel datur.

Simoniacos panem pollutum offerre. Hier. ſuper Malach.

Diſt. 49. C. Sacerdotes.) Sacerdotes nomen Domini deſpiciunt, & quantum ad ſe, panem pollutum offerunt, qui ad altare indignè accedunt, quique dato munere ſacerdotium præſumunt, &c.

De his qui vendunt beneficia eccleſiaſtica Gregor.

1. q. 3. Si quis dator.) Si quis dator vel acceptor, Dei eccleſias, vel eccleſiaſtica beneficia, quæ quidam præbendas vocant, ſub pecuniæ interventu ſuſceperit, ſive dando emerit, ſive accipiendo vendiderit, à Simonis non excluditur perditione. Sed ſi perſeverans fuerit, perpetua mulctetur damnatione, &c.

Et mox. Si quis Epiſcopus præbendas, archidiaconatus, præpoſituras, vel aliqua officia eccleſiaſtica vendiderit, vel aliter quam ſtatuta ſanctorum patrum præcipiunt ordinaverit, ab officio ſuſpédatur. Dignum eſt enim, ut ſicut gratis Epiſcopatum accepit, ita membra ejuſdem Epiſcopatus gratis diſtribuat.

Contra pluralitatẽ beneficiorũ. Ex Synodo VII.

21. q. 1. Clericus.) Clericus ab inſtante tempore non connumeretur in duabus eccleſiis. Negotiationis enim hoc eſt, & turpis lucri proprium commodum, & ab eccleſiæ conſuetudine penitus alienum. Audivimus enim ex ipſa Dominica voce, quòd nemo poteſt duobus dominis ſervire.

Et mox ex Chalcedonen. Conc. Clericum in duarum eccleſiis civitatum conſcribi non oportet.

Duas præbendas clericum non debere habere, nec in duabus intitulari eccleſiis.

Diſt. 70. Sanctorum.) In qua eccleſia quilibet intitulatus eſt, in ea perpetuò perſeveret. Omnino autem in duabus

aliquem intitulari non liceat, sed unusquisque in qua intitulatus est, in ea tantum canonicus habeatur. Licet enim Episcopus dispositione unus diversis præesse possit ecclesiis, canonicus tamen præbendarius nisi unius ecclesiæ in qua conscriptus est, esse non debet.

Plures ecclesias uni presbytero non debere cõmitti.

10. *q.* 3. *Vnio.*) Plures ecclesiæ uni nequaquam cõmittantur presbytero, quia solus per totas ecclesias, nec officium valet persolvere, nec rebus earum necessariam curam impendere.

Qui sumptibus propriis vivere potest, stipendium ab ecclesia non debere accipere. Hier. ad Damasum Papam.

1. *q* 1. *Clericos autem.* Clericos autem illos convenit ecclesiæ stipendiis sustentari, quibus parentum & propinquorum nulla suffragantur bona. Qui autem bonis parentum & opibus suis sustentari possunt, si quod est pauperum accipiunt, sacrilegium profectò committunt, & per abusionem talium, judicium sibi manducant & bibunt.

Ad alienas ecclesias non transeundum esse.

7. *q. Quia frater.*) Ambitionis causa quicunque ecclesiæ suæ mediocritate despecta, ad majorem ecclesiam transire voluerit, debet revocari ad propriam. Quòd si redire contempserit, careat aliena & propria.

Ibidem mox ex Conc. Niceno, quòd Episcopus vel quilibet clericus non debeat relictà suà ecclesia ad aliam transire.

Item in monasterium deputatur Episcopus qui in ecclesia sua residere contemnit.

Item excommunicari jubentur clerici, qui relicta sua ecclesia, ad eam redire noluerint.

Item ex Concilio Antiocheno. C. *Episcopum.*) Episcopum de diœcesi ad diœcesim non debere transire, neque si seipsum ingesserit, neque si à populis fuerit violenter attractus, neque si etiam hoc ei ab Episcopis suadetur. Manere autem eum debere in ecclesia Dei, quam ab initio sortitus est, & non ab ea alibi demigrare, secundum regulam super hoc olim à Patribus constitutam decernimus.

Sua sede careat, qui alienam appetit.

7. *q.* 1. *Si quis.*) Si quis Episcopus suæ civitatis mediocritate despecta administrationem celebrioris loci ambierit, & ad majorem plebem se quacunque ratione transtulerit, à cathedra quidem pellatur aliena. Carebit etiam propria, ut nec illis præsideat, quos per avaritiam concupivit, nec illis quos per superbiam sprevit. Suis igitur terminis contentus quisque sit, nec supra mensuras juris sui affectet augeri.

Et mox ex Concilio Meldensi. Si quis de ordine sacerdotali, contemptu minoris ecclesiæ ambitiosè & improbè ad potiorem aspiraverit, canonica erga eum diffinitio conservetur, hoc est, ut utraque careat.

De conductitiis presbyteris.

21. *q.* 2. *Præcipimus.*) Præcipimus etiam, ne conductitiis presbyteris ecclesia committatur, sed unaquæque ecclesia cui facultas suppetit, proprium habeat sacerdotem.

De Quæstionariis & Curtisanis. Ex Concilio Meldensi.

6. *q.* 3. *De illis autem.*) De illis autem, qui infra parochiam beneficium aut hæreditatem habent, & alterius Episcopi parochiani sunt, & de loco ad locum iter faciunt, & rapinam & deprędationes peragunt,

peragunt, placuit ut excommunicentur, nec ante ex parochia exeant, quam quæ patrarunt dignè emendent. Quorum excommunicatio seniori eorum & proprio Episcopo significanda est, ne eos recipiat antequam illuc redeant ubi rapinam fecerunt, & ibi omnia pleniter emendent.

Pro pallio nihil accipiendum.

Dist. 99. C. *Novit.*) Novit sanctitas tua, quia prius pallium, nisi dato commodo, non dabatur. Quod quia incongruum erat, facto Concilio ante corpus Petri Apostolorum principis, tam de hoc, quã de eorum ordinationibus aliquid accipere, sub disttricta interdictione vetuimus. Oportet ergo, ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorundam supplicationibus aliquos ad sacros ordines consentiatis vel permittatis adduci. Gregor.

DE OFFICIO ET STUDIIS Sacerdotum & Episcoporum.

Caput XXIII.

Omne opus sacerdotum in prædicatione consistere debere.

Dist. 38. *Ignorantia.*) Sacerdotes legere sanctas admonentur scripturas, Paulo Apostolo dicente ad Timotheum: Attende lectioni, & exhortationi doctrinæ, & semper permane in his. Sciant ergo sacerdotes sanctas scripturas & canones, & omne opus eorum in prædicatione & doctrina consistat, atque ædificent cunctos tam fidei scientia, quàm operum disciplina.

Episcopos docere debere.

Dist. 43. C. *Sit rector.*) Episcopi sine tintinnabulis incedunt, qui non prædicant Verbum Dei. Scriptum autem est: Sacerdos ingrediens vel egrediens, moritur, si de eo sonitus non audiatur.

Item. C. *Dispensatio.*) Nicolaus Papa ipse dicit: Dispensatio est nobis cœlestis seminis injuncta. Væ si non sparserimus, væ si tacuerimus.

Substantiam sacerdotii nostri esse sanctam scripturam.

Dist. 38. C. *Omnes psallentes.*) Substantia summi sacerdotii nostri sunt eloquia divinitus tradita, id est vera divinarum scripturarum disciplina.

Gentilium libros Episcopos non debere legere. Ex Concilio Carthaginensi.

Dist. 37. C. *Episcopus.*) Episcopus gentilium libros non legat, hæreticorum autem perlegat pro necessitate aut tẽpore.

Et mox. C. *Sacerdotes Dei.*) Ex Hier. ad Damasum Papam. Sacerdotes Dei omissis evangeliis & prophetis, videmus comœdias legere, amatoria bucolicorum versuum verba cantare, tenere Vergilium in manibus, & id quod in pueris adest causa necessitatis, crimen in se facere voluptatis.

Item. C. *Legimus.*) Ex Rabano de pressuris ecclesiasticis. Legimus de B. Hieron. quòd cum libros legeret Ciceronis, ab Angelo est correptus, eò quòd vir Christianus paganorum figmentis intenderet. Hinc etiam filius ille prodigus in Evangelio reprehenditur, qui de siliquis quas porci comedebant, ventrem suum replere cupiebat. Hinc etiam Origenes cyniphes & ranas quibus Ægyptii sunt percussi, dialecticorum garrulitatem & sophistica argumenta intelligit. Ex quibus omnibus colligitur, quòd non est ab ecclesiasticis secularium literarum quærenda peritia.

Episcopum

Episcopum non debere rei familiaris curam gerere, sed tantum lectioni, orationi, & prædicationi vacare. Ex Concilio Carthaginensi.

Dist. 88. C. *Episcopus nullam.*) Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet, sed lectioni & orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacet.

Episcopos debere annuis vicibus ecclesiam visitare. Ex Concil. Tarraconen.

10. q. 1. C. Decrevimus, ut antiquæ consuetudinis ordo servetur, & annuis vicibus diœceses ab Episcopo visitentur.

Quid Episcopi plebem docere debeant.

10. *q.* 1. *C. Placuit.*) Inter alia doceant illos ut errores fugiant idolorum, &c.

DE VITA ET CONVERSAtione clericorum.

CAPUT XXIV.

Professionem operibus ostendendam. Ambrosius.

22. *q.* 5. *Cavete.*) Mendacium est se Christianum dicere & opera Christi non facere. Mendacium est Episcopum, sacerdotem vel clericum se profiteri, & cōtraria huic ordini operari.

Dignitatem non facere Episcopum, sed vitam. Hier. ad Heliodorum.

2. *q.* 7. *Non omnes Episcopi.*) Non omnes Episcopi sunt Episcopi. Attende Petrum, sed Judam considera, Stephanum suscipe, Nicolaum respice. Non facit ecclesiastica dignitas Christianum. Cornelius centurio adhuc ethnicus dono sancti Spiritus mundatur. Presbyteros Daniel puer judicat. Non est facile stare in loco Petri & Pauli, scilicet tenere locum jam cum Christo regnantium. Infatuatum sal ad nihilum prodest, nisi ut projiciatur foras, & à porcis conculcetur.

De habitu clericorum. Ex Concilio Carthaginensi IV.

Dist. 41. *C. Clericus*) Clericus professionem suam & habitu & incessu probet, & ideo nec vestibus nec calceamentis decorem quærat.

Clericos non debere usurari. Ex Concilio Arelatensi.

14. *q.* 4. *Ministri.*) Ministri qui fœnerantur, placuit juxta formam divinitus datam eos à communione abstinere.

Item ex Concilio Tarraconen. Canonum statutis firmatum est, ut quicunque in clero esse voluerit, emendi vilius & vendendi carius studio non utatur. Quod si exercere voluerit, cohibeatur à clero. Vide ibidem plura.

Negotiatorem clericum tanquam pestem fugiendum. Hier.

Dist. 88. *C. Negotiatorem.*) Negotiatorem clericum, & ex inope divitem, & ex ignobili gloriosum quasi quandam pestem fuge.

Dist. 46. *C. Non licet.*) Non licet fœnerari ministris altaris, vel in sacerdotali ordine constitutis, vel usuras vel lucra quæ sexcupla dicuntur, accipere.

Dist. 47. *C. Episcopus.* Ex Canonibus Apostolorum. Episcopus aut presbyter aut diaconus, usuras à debitoribus exigens, aut desinat, aut certè deponatur.

Et mox. C. *Quoniam multi.*) Ex Concilio Niceno. Quoniam multi sub regula constituti avaritiam & turpia lucra sectantur, oblitique divinæ scripturæ dicentis: Qui pecuniam suam non dederit ad usuram, &c. mutuum dantes centesimas usuras exigunt, justè censuit magna & sancta Synodus, ut si quis inventus fuerit post hanc definitionem usuras accipiens, aut aliquam adinventionem faciens, vel quolibet modo negotia transigens, aut hemiolia, id est, sexcupla exi-

gens, vel aliquid tale prorsus excogitans, turpis lucri gratia, dejiciatur à clero, & alienus existat à regula.

Item paulò post ex Concilio Eliberti-no, Si quis clericorum detectus fuerit usuras accipere, placuit degradari & abstinere.

Item Leo Episcopus Anatholio Episcopo. Virum catholicum & præcipuè Domini sacerdotem, sicut nullo errore implicari, ita nulla opum cupiditate violari.

Sacerdotes & qui scientiam Domini tractant, non debere agitare judicium sangvinis. Ex Concilio Tolet. IV.

23. *q.* 8. *Sæpe.*) Sæpe principes contra quoslibet majestatis obnoxios, sacerdotibus negotia sua committunt. Quia verò sacerdotes à Christo ad ministerium salutis electi sunt, ibi consentiant fieri Regibus judices, ubi jurejurando suppliciis indulgentia promittitur, non ubi discriminis sententia præparatur. Si quis ergo sacerdotum contra hoc commune consultum discursor, in alienis periculis extiterit, sit reus effusi sangvinis apud Christum, & apud ecclesiam perdat proprium gradum.

Et mox ex Concilio Toletano IX. His à quibus sacra Domini tractanda sunt, judicium sangvinis agitare non licet.

Clericos ociosos fori obambulatores degradandos esse.

Dist. 91. *C. Clericus.*) Qui verò non proemendo aliquid in nundinis vel foro deambulant, ab officio suo degradentur.

Clericos non debere militiam exercere.

Dist. 59 *C. Clericum*) Cum discreti sint milites seculi à militibus ecclesię, nō convenit militibus ecclesiæ militare seculo, per quod ad effusionem sangvinis necesse est pervenire.

Clericum militaria arma ferentē gradum amittere. Ex Concilio Meldensi.

23. *q.* 8. *Quicunque.*) Quicunque ex clero videntur esse, arma militaria non sumant, nec armati incedant, sed professionis suæ vocabulum religiosis moribus & religioso habitu præbeant. Quod si contempserint, tanquam sacrorum canonum contemptores, & ecclesiæ authoritatis prophanatores, proprii gradus amissione mulctentur, quia non possunt simul Deo & seculo militare.

Ibidem, quòd Episcopis vel quibuslibet clericis non liceat nec sua nec Romani Pontificis authoritate arma sumere, probatur.

Item ex Concil. Tolet. Clerici.) Clerici qui in quacunque factione arma volentes sumpserint, reperti, amisso ordinis sui gradu, in monasterio perenniter tradantur?

Item Ambrosius ibidem C. cōvenior Lachrymæ meæ arma mea sunt. Talia enim sunt munimenta sacerdotis, aliter nec debeo nec possum resistere.

Pro clerico non orandum, qui aut in bello, aut in rixa, aut in gentilium ludis perit. Ex Concil. Triburien.

23. *q.* 8. *C. Quicunque.*) Quicunque clericus aut in bello, aut in rixa, aut gentilium ludis mortuus fuerit, neque in oratione pro eo postuletur, sed in manus incidat judicis, sepultura tamen non privetur.

Aleatores & ebrios Episcopos & presbyteros excommunicandos. Ex Canon. Apost.

Dist. 35. *C. Episcopus.*) Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, aleę atque ebrietati deserviens, aut desinat, aut certè damnetur. Subdiaconus autem, aut lector, aut cantor, similia faciens aut desinat

aut

aut communione privetur. Similiter & laicus.

Ebrii Clerici quomodo puniendi. Ex Concilio Agathensi.

Dist.35.C.Ante omnia.) Ante omnia clericis vetetur ebrietas, quæ omnium vitiorum fomes ac nutrix est. Itaque is qui ebrius fuisse constiterit (ut ordo patitur) aut 30. dierum spacio à communione submoveatur, aut corporali subdatur supplicio.

Quomodo Sacerdotes se in conviviis gerere debeant. Ex Concil. Naveten.

Dist. 44. C. Nullus.) Nullus presbyterorum, quando ad anniversarium diem, trigesimum aut septimum aut tertium alicujus defuncti, aut quacunque vocatione ad collectam cōvenerit, se inebriare ullatenus præsumat, nec precatus amore sanctorum, vel ipsius animæ, bibere, aut alios ad bibendum cogere, vel se aliena precatione ingurgitare, nec plausus & ritus inconditos & fabulas inanes ibi referre aut cantare præsumat.

Item ex eodem ibidem. Quando autem conveniunt presbyteri ad aliquod convivium, aliquis prior illorum versum ante mensam incipiat, & cibum benedicat, & tunc secundum ordinem sedeant, alter alteri honorem præbentes, & per vices cibum & potum benedicant, & aliquis de illorum clericis aliquid de sancta scriptura legat. Post refectionem similiter hymnum dicant, ad exemplum Domini, sicut in cœna fecisse legitur: Et se contineant omnes presbyteri (maxime in talibus locis) ut non vituperetur ministerium eorum.

Nuptialibus conviviis clericos interesse non debere. Ex Concil. Agathensi.

Dist.34.C.Presbyteri.) Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia modò non est, etiam aliarum nuptiarum evitent convivia, nec his cœtibus misceantur, ubi amatoria cantantur, & turpia, & obscœni motus corporum choreis & saltationibus efferuntur, ne auditus & obtuitus sacris ministeriis deputati, turpium spectaculorum atque verborum contagione polluantur.

Clericos non debere tabernas intrare. Ex Concil. Laodicensi.

Dist.44. C. Non oportet.) Non oportet clericos servientes à presbyteris usque ad diaconos, & deinceps ordinis ecclesiastici omnes, usque ad ministros, aut lectores, aut exorcistas, aut ostiarios, aut psalmistas, aut etiam eos, qui in proposito continentiæ sunt, tabernas (nisi causa necessitatis) intrare.

Item ex VI. Synodo. Nulli clerico licet tabernam aut ergasterium (id est stationem) habere. Si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis ministrare in ea? Si quis verò tale quid fecerit, aut cesset, aut deponatur.

Item ex Concil. Carthaginen. IV. clerici edendi vel bibendi causa tabernas nō ingrediantur, nisi peregrinationis necessitate compulsi.

Et mox Gregorius Natalem Episcopum corripit, quòd pastorali cura relicta, conviviis occuparetur.

De clericis scurrilibus.

Dist.46.C.Clericum.) Clericum scurrilem & verbis turpibus joculatorem, ab officio esse retrahendum censemus.

De clericorum levitate.

2.q.7.C.Secuti.) Nonnunquā multi Catholicorum in tantum mercedem amant

iniquitatis, ut etiam docti ab indoctis, clerici à laicis meritò redarguantur. Qui verè & jure comparantur prophetæ, qui verbis asinæ contra naturam loquentis corripitur, nec tamen à proposito pravi itineris retardatur. Beda in 2. epist. Pet. 2. cap.

Quòd sæpe Laici Episcopis & clericis meliores sint: vide 8. q. 1. Vereor, & deinceps.

Negligentes Episcopi canes potius appellãdi quàm Episcopi.

2.q.7. August.) Qui nec regiminis in se rationem habuit, nec sua delicta detersit, nec filiorum crimẽ correxit, canis impudicus dicendus est magis quàm Episcopus.

Indignos sacerdotes corvis similes esse.

2.q.7. Non omnis.) Non omnis qui dixit pax vobis, quasi columba est audiendus. Corvi de morte pascuntur. Hoc columba non habet, imò de fructibus terræ vivit, innocẽs est victus ejus. Hic in glossa additur. Corvo æquiparatur malus prælatus vel malus presbyter, in nigredine vitiorum, & in raucedine vocis, & in voracitate, scilicet mortuorum oblationum, & in fœtore Spiritus, & in garrulitate, & in furto.

De clericis diutius ab ecclesia sua absentibus. Ex Concil. Agathen.

7.q. Si quis.) Si quis in clero constitutus, ab ecclesia sua diebus solennibus defuerit, id est, nativitate Domini, epiphania, pascha vel pentecoste, dum potius secularibus lucris studet quàm servitio Dei parere, convenit ut triennio à communicatione suspendatur. Similiter diaconus vel presbyter, si per tres hebdomadas ab ecclesia sua defuerit, huic damnationi succumbat.

Venationes Episcopis prohibitæ.

Dist.34.C. Quorundam.) Exemplum ponitur cujusdam Lanfredi Episcopi venationibus intenti, & jubetur admoneri, atque si desistere nolit, excommunicari.

Et ibidem mox sequitur. C. Episcopum. Ex Concilio Aurelianen. IV. Episcopum, presbyterum aut diaconum, canes ad venandum, aut accipitres, aut hujusmodi res habere nõ licet. Quòd si quis talium personarum, in hac voluptate sæpius detentus fuerit, si Episcopus est, tribus mensibus à communione suspendatur. Diaconus verò ab omni officio & communione suspendatur.

Ex mox. C. Omnibus.) Omnibus servis Domini venationes & sylvaticas vagationes cum canibus, & ut accipitres aut falcones habeant, interdicimus.

Dist. 86. C. Esau.) Hieronymus in Psal. 82. Esau venator erat, quoniam peccator erat. Et penitus non invenimus in scripturis sanctis, sanctum aliquem venatorem, piscatores invenimus sanctos.

Satius esse paucos bonos habere ministros, quàm multos inutiles.

Dist.23.C. Tales.) Tales ad ministerium eligantur clerici, qui dignè possunt Dominica Sacramenta tractare. Melius est enim Domini sacerdotium paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quàm multos inutiles, qui onus grave ordinatori adducant.

Deponendos esse illicitè viventes.

Dist 81. C Maximianus.) Qui sancti non sunt, sancta tractare non possunt, atque alieni efficiantur à ministerio, quod vivendo illicitè polluerunt.

Qualis debeat esse Clericorum conversatio. Isidorus.

Dist. 13.

*Dist.*13.*C.His igitur.*) His igitur lege patrum cavetur, ut à vulgari vita seclusi, à mundi voluptatibus se abstineant, non spectaculis, non pompis intersint, convivia publica fugiant, privata non tantum pudica sed sobria colant, usuris nequaquam incumbant, neque turpium occupationibus lucrorum, non fraudibus cujuscunque studium appetant. Amorem pecuniæ quasi materiam cunctorum criminum fugiant, & secularia negotia, officiaque abnuant. Honoris gradum per ambitionem non suscipiant. Pro beneficiis medicinæ Dei munera non accipiāt. Dolos & conjurationes caveant. Odium, æmulationes, obtrectationes, atque invidiam fugiant. Non vagi oculis, non effreni lingua, aut petulanti fluidoque gestu incedant, sed pudorem & verecundiam mentis, simplici habitu incessuque ostendant. Obscœnitatem etiam membrorum & verborum sicut & operum penitus execrentur. Viduarum & virginum frequentationes penitus fugiant. Contubernia extranearum fœminarum nullatenus appetant. Castimoniam quoque non violati corporis perpetuò observare studeant, AUT CERTE UNIUS MATRIMONII VINCULO FOEDERENTUR. Senioribus quoque debitam prębeant obedientiam, neque ullius jactantiæ studio semetipsos attollant. Postremò, doctrinæ, lectionibus, psalmis, hymnis, canticis, exercitio jugiter incumbāt. Tales enim debent esse, qui divinis cultibus sese emancipandos student, scilicet ut dum scientiæ operam dant, doctrinæ gratiam populis administrent.



CONTRA LUXUM Sacerdotum.

CAPUT XXV.

Clericos secularia non debere tractare.

*Dist.*10.*C.Quoniam idem.*)

Item 21. *q.* 3. *Molliciis.*) Molliciis & secularibus rebus laqueisque obligari non debent, qui divinis rebus & spiritualibus occupati sunt, nec ad terrenos, & seculares actus vacare. Vide ibidem plura.

*Dist.*88.*C.Episcopus.*) Ex Can. Apost. Episcopus aut sacerdos aut diaconus, nequaquam seculi curas assumant, sin aliter, dejiciantur.

Item ex Concilio Carthaginen. III. Episcopus nullam rei familiaris curam ad se revocet; sed lectioni & orationi, & verbo prædicationis tantummodo vacet.

Clericos nihil proprij possidere debere.

12.*q.*1.*Clericus.*) Qui Dominum possidet & una cum Propheta dicat, pars mea Dominus, nihil extra Dominum habere potest. Quòd si quippiam aliud habuerit præter Dominum, pars ejus non erit Dominus, verbi gratia: si aurum, si argentum, seu possessiones, si variam suppellectilē, cum istis partibus non dignatur Dominus fieri pars ejus.

Et mox: Cui portio Deus est, nihil debet curare nisi Deum. Vide ibidem plura.

Clericis non licere sua repetere.

14.*q.*1. Quòd autem sua repetere non possint, facilè videtur probari. Ait enim Dominus, si vis perfectus esse, vade & vende omnia quæ habes, & da pauperibus. Quia ergo isti iter perfectionis arripiunt, non licet eis sua habere. Multo ergo minus licet eis repetere, quia non debet repeti quod possideri non licet.

Episcopi victus & suppellex qualis esse debeat.

Dist.41.C.Episcopus.) Episcopus vilem supellectilem & mensam ac victum pauperem habeat, & dignitatis suæ auctoritatem, fidei & vitæ meritis quærat, hospitium quoque non longè ab ecclesia habeat.

De habitu clericorum. Ex Concil. Carthaginen.IV.

Dist.41.C.Clericus.) Clericus professionem suam & habitu & incessu probet, & ideo nec vestibus nec calceamentis decorem quærat.

De luxu sacerdotum.Hier.

Dist.44.C.Cum autem.) Tibi ô sacerdos de altari vivere nō luxuriari permittitur. Ibidem, quòd non ebrietati vacare debeant, aut gulæ.

12.*q.2.Gloria Episcopi.*) Hier.ad Paulinum. Crates ille Thebanus homo quondam ditissimus, cum ad philosophandum Athenas pergeret, magnum auri pondus abjecit, neque putavit se posse & virtutes & divitias simul possidere. Nos suffarcinati auro Christum pauperem sequimur, & sub prætextu eleemosynæ pristinis opibus incubantes, quomodo possumus aliena fideliter distribuere, qui nostra timidè reservamus?

De vestitu Clericorum.

21.*q.4.C.Omnis.*) Omnis jactura & ornatura corporalis à sacrato ordine aliena est. Eos ergo Episcopos vel Clericos, qui se fulgidis & claris vestibus ornant, emendari oportet. Quòd si in hoc permanserint, epitimio (id est suspensioni unius septimanæ, ut glossator habet, Epitimium dicitur increpatio, vel est genus pœnæ) contradantur, similiter & eos qui unguentis unguntur, &c. Ex VII. Synodo.

Et mox. Priscis enim temporibus, omnis sacratus vir cum mediocri aut vili veste conversabatur. Omne quippe quod non propter necessitatem suam sed propter venustatem accipitur, elationis habet calumniam, quemadmodum magnus ait Basilius. Sed neque ex sericis texturis vestem quis variatam induebat, neque apponebat variorum colorum ornamēta in summitate vestimentorum, Audierat enim, quia qui in mollibus vestiuntur in domibus regum sunt.

Delicatulos principes ecclesiæ ejiciendos in tenebras exteriores.

Dist, 35. C. Ecclesiæ principes.) Ecclesiæ principes, qui delitiis affluunt, & inter epulas atque lascivias pudicitiam servare se credunt, propheticus sermo describit, quòd ejiciendi sunt de spaciosis domibus, lautisque conviviis, & multo labore epulis conquisitis. Et si vis scire quo ejiciendi sunt propter malas cogitationes & opera sua, Evangelium lege. In tenebras scilicet exteriores, ubi erit fletus & stridor dentium. An non confusio & ignominia est, Jesum crucifixum, pauperem & esurientem, fartis prædicare corporibus, & jejuniorum doctrinam rubentes buccas, tumentiaque ora proferre? Si in Apostolorum loco sumus, non solum sermonem eorum imitemur, sed etiam conversationem & abstinentiam. (*Origenes.*

Qui nam ecclesiam faciant speluncam latronum.

16.*q.7.Et hæc diximus.*) Nunc autem arbitror templum Dei ex lapidibus vivis constructum esse ecclesiam Christi. Sunt autem multi in ea, non sicut condecet spiritualiter viventes, sed secundum carnem militantes, qui & domum orationis de vivis lapidibus constructam, faciūt esse spelūcam latronum actibus suis, non ecclesia Dei digni, sed spelunca latronum.

Qui

Qui enim considerat, in multis ecclesiis talium Christianorum peccata inveniet, arbitrantes quæstum esse pietatem, & cum deberent de Evangelio vivere, secundum quod decet vivere servos Dei, hoc non faciunt, sed divitias & multas possessiones acquirunt: nonne dices speluncam latronum factam esse sub illis ecclesiam? &c.

DE FORNICATIONE Sacerdotum.

Caput XXVI.

Pudicos esse debere sacerdotes.

Dist.43. C. Pudicus.) Pudicus quoque debet esse sacerdos, ut & moribus & verbis pudorem indesinenter exhibeat. Unde in Canticis Canticorum, Genæ sponsæ, id est, prædicatores turturi comparantur.

Fornicarios in sacerdotium non recipiendos.

1.q.7. Si quis omnem.) Et si in fornicationem lapsus est aliquis post baptismum, in sacerdotium non recipitur, canones enim hoc prohibēt. Si quis verò cum hoc peccato ad sacerdotium provectus est, cognitus degradetur.

De pœna sacerdotum fornicantium. Ex Can. Apostolorum.

Dist.81. C. Si quis Episcopus.) Si quis Episcopus, aut presbyter, aut diaconus, post diaconii acceptum gradum fuerit fornicatus aut mœchatus, deponatur, & ab ecclesia projectus inter laicos agat pœnitentiam.

Officium fornicariorum non audiendum. Greg.

Dist.81. C. Si qui.) Omnibus per regnum Italicum & Theutonicorum. Si qui sunt presbyteri, diaconi vel subdiaconi, qui in crimine fornicationis jaceant, interdicimus eis ex parte Dei omnipotentis, & sancti Petri authoritate, ecclesiæ introitum, usque dum pœniteant & emendent. Si qui verò in peccato suo perseverare maluerint, NULLUS VESTRUM EORUM PRÆSUMAT AUDIRE OFFICIUM, quia benedictio eorum vertetur in maledictionem, & oratio in peccatum, testante Domino per Prophetam, Maledicam inquit benedictionibus vestris. Qui verò huic saluberrimo præcepto obedire noluerint, idololatriæ peccatum incurrent, Samuele testante, & B. Greg. instruente.

Clericos solos cum mulieribus versari aut miscere sermones non debere.

Dist.81. C. Clericus.) Clericus solus ad fœminæ tabernaculum non accedat, neque properet sine majoris natu sacerdotis jussione. Nec solus presbyter cum sola fœmina fabulas misceat. Nec Archidiaconus sub prætextu humilitatis aut officii frequenter intret domicilia matronarum, aut fortè per clericos aut domesticos matronæ mandet aliquid secretè. Si agnitum fuerit, & ille deponatur, & illa à liminibus ecclesiæ arceatur.

Non esse audiendam missam presbyteri concubinam habentis.

Dist.32. C. Nullus.) Nullus missam audiat presbyteri, quem scit concubinam indubitanter habere, aut subintroductam mulierem. Hæc Nicol. Papa omnibus Episcopis scribit.

Et mox. C. Præter. Alexander II. Præter hoc autem præcipiendo mandamus, ut nullus missam audiat presbyteri quem scit concubinam habere indubitanter, vel subintroductam mulierem. Unde etiam sancta Synodus hoc capitulum

ſub excommunicatione ſtatuit dicens, Quicunque Sacerdotum, diaconorum, ſubdiaconorum poſt conſtitutum beatæ memoriæ prędeceſſoris noſtri ſancti Leonis Papæ & Nicolai, de caſtitate clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & authoritate principum Apoſtolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, ut miſſas non cantet, nec etiam Evangelium legat, neque epiſtolam ad miſſam, neque in presbyterio cum his ad divina officia, qui præfatæ conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab eccleſia ſuſcipiat.

Clericos mulieres ſecum non debere habere, niſi fortè matres, aut ſorores, aut alias, quæ non poßint eſſe ſuſpectæ. Ex Niceno Concilio.

Diſt. 32. C. Interdixit.) Interdixit per omnia ſancta ſynodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, non Subdiacono, non alicui omnino qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierẽ, niſi fortè aut matrem aut ſororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones.

Et mox. Item Hieronymus. Hoſpitiolum tuum, aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. Quia non poteſt toto corde cum Deo habitare, qui fœminarũ acceſſibus copulatur, fœmina conſcientiam ſecũ pariter habitantis exurit. Nunquam de mulierum formis diſputes. Fœminæ nomen tuum neſciant. Fœminam quam bene videris converſantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum eſt mulierem non tangere, malum ergo eſt tangere.

Diſt. 81. C. oportet.) Gregorius. Neque enim hoc ſilere debeo, quod cum gravi animi triſtitia & amaritudine dico. Sacerdotes cum fœminis habitare conſpicio, quod nefarium eſt dicere vel audire, & contra ſanctorum Canonum ſancita. Ubi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hoſtis ſtimuli non deſunt.

Item. C. Volumus. Symmachus. Volumus ut ſacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus converſentur, excepta dũtaxat matre vel ſorore vel UXORE, quæ caſtè regenda eſt.

Et mox C. Legitur.) Legitur quòd B. Auguſt. nec cum ſorore cohabitare conſenſerit, dicens, Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.

Item C. *In omnibus.*) Certè ſolum ad ſolam accedere, nulla religionis ratio permittit.

Item ex Concil. Carthaginen. C. *Cum omnibus.*) Cum omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, &c.

Item ex Concil. Toletano. C. *Quidam.*) Clerici legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum vel ancillarum ſuarum (quæ interdicta ſunt) conſortia appetunt. Ideo quæcunque clericis taliter conjunctæ ſunt, ab Epiſcopo auferantur & venundentur, illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos ſua libidine infecerunt.

Item. C. *Fœminas.*) Siricius Papa. Fœminas non alias in domo clericorum eſſe patimur, niſi eas tantum, quas propter ſolas neceſſitudinis cauſas habitare cum eis Synodus Nicena permiſit.

De pœna ſacerdotum, ex quibus infantes procreantur. Innocentius.

Diſt. 81 C. Propoſuiſti.) Propoſuiſti quid de his obſervari debeat, quos in diaconii miniſterio, aut in officio presbyterii poſitos,

sitos, incontinentes esse aut fuisse, generati filii prodiderunt. De his etiam manifesta est divinarum legum disciplina, & beatæ recordationis Siricii Episcopi monita evidentia commonstrarunt, ut incõtinentes in officiis positi talibus, omni honore ecclesiastico privarentur, nec admittantur ad tale ministerium, quod sola continentia oportet impleri.

Quæ pœnitentia imponenda sacerdoti fornicario. Ex Gangren. Concilio.

Dist. 82. C. Presbyter.) Presbyter si fornicationem fecerit, quanquam secundum canones Apostolorum debeat deponi, tamen juxta authoritatem B. Sylvestri, si in vitio non perduraverit, si sua sponte confessus ad, ecit ut resurgat, decem annis in hunc modum pœniteat. Tribus quidem mensibus à cæteris remotus, pane & aqua à vespere in vesperam utatur, tantum autem diebus Dominicis & præcipuis festis modico vino, & pisciculis atque leguminibus recreetur sine carne, & sagimine ovis & caseo utatur, sacco indutus humi adhæreat, die ac nocte misericordiam Dei omnipotentis imploret. Finitis tribus mensibus continuis exeat, tamen in publicum nõ procedat, ne grex fidelis in eo scãdalum patiatur, nec enim debet sacerdos publicè pœnitere sicut laicus. Postea aliquantisper viribus resumptis, unum annum & dimidium in pane & aqua expleat, &c. Vide plura ibidem.

De Episcopis ferentibus fornicationem suorum clericorum. Gregor. VII.

Dist. 83. C. Si quis Episcopus.) Si quis Episcopus in fornicationem presbyterorũ, diaconorum vel crimẽ incestus in sua parochia pretio vel precibus interveniente consenserit, vel commissum authoritate officii sui non impugnaverit, ab officio suspendatur.

Et mox August. Episcopus qui talium crimina non corrigit, magis dicendus est canis impudicus quàm Episcopus.

De spuriis clericorum. Ex Conc. Tolet. IX.

15. *q.* 8. *Cum multa.*) Cum multæ super innocentiam ordinis clericorum hactenus emanaverint sententiæ patrũ, & nullatenus ipsorum firmari correctio morũ quiverit, usq; adeò sententiam judicantium protraxêre commissa culparum, ut non tantum inferretur ultio in actores scelerum, verumetiã in progeniem damnatorum. Ideoque quilibet ab Episcopo usq; ad subdiaconum deinceps vel ex ancillæ vel ex ingenuæ detestando connubio in honore constituti, filios procreaverint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur. Proles autem aliena pollutione nata, nõ solùm hæreditatem nunquam accipiet, sed etiam in servitutem ejus ecclesiæ, de cujus sacerdotis vel ministri ignominia nati sunt, jure perenni manebunt.

De pœna sacerdotum, cum filiabus spiritualibus (hoc est, his, quas vel baptizarunt, vel quæ illis confessæ sunt) rem habentium.

30. *q.* 1. *Si quis.*) Si quis sacerdos cum filia spirituali fornicatus fuerit, sciat se grave adulterium commisisse. Iccirco fœmina, si laica est, omnia derelinquat, & res suas pauperibus tradat, & cõversa in monasterio Deo usque ad mortem serviat. Sacerdos autem qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat, postea verò ad monasterium vadat, ibique cunctis diebus vitę suæ Deo serviat.

Item. Non debet Episcopus aut pres-

ſub excommunicatione ſtatuit dicens, Quicunque Sacerdotum, diaconorum, ſubdiaconorum poſt conſtitutum beatæ memoriæ prędeceſſoris noſtri ſancti Leonis Papæ & Nicolai, de caſtitate clericorum, concubinam palam duxerit, vel ductam non reliquerit, ex parte omnipotentis Dei, & authoritate principum Apoſtolorum Petri & Pauli præcipimus, & omnino contradicimus, ut miſſas non cantet, nec etiam Evangelium legat, neque epiſtolam ad miſſam, neque in preſbyterio cum his ad divina officia, qui præfatæ conſtitutioni obedientes fuerint, maneat, neque partem ab eccleſia ſuſcipiat.

Clericos mulieres ſecum non debere habere, niſi fortè matres, aut ſorores, aut alias, quæ non poßint eſſe ſuſpectæ. Ex Niceno Concilio.

*Diſt.*32.*C.Interdixit.*) Interdixit per omnia ſancta ſynodus, non Epiſcopo, non Presbytero, non Diacono, non Subdiacono, non alicui omnino qui in clero eſt, licere ſubintroductam habere mulierē, niſi fortè aut matrem aut ſororem, aut amitam, aut etiam eas idoneas perſonas, quæ fugiant ſuſpiciones.

Et mox, Item Hieronymus. Hoſpitiolum tuum, aut raro aut nunquam mulierum pedes terant. Quia non poteſt toto corde cum Deo habitare, qui fœminarū acceſſibus copulatur, fœmina conſcientiam ſecū pariter habitantis exurit. Nunquam de mulierum formis diſputes. Fœminæ nomen tuum neſciant. Fœminam quam bene videris converſantem, mente dilige, non corporali frequentia. Si bonum eſt mulierem non tangere, malum ergo eſt tangere.

*Diſt.*81.*C.oportet.*) Gregorius. Neque enim hoc ſilere debeo, quod cum gravi animi triſtitia & amaritudine dico. Sacerdotes cum fœminis habitare conſpicio, quod nefarium eſt dicere vel audire, & contra ſanctorum Canonum ſancita. Ubi enim talis fuerit commorantium cohabitatio, antiqui hoſtis ſtimuli non deſunt.

Item. C. Volumus. Symmachus. Volumus ut ſacerdotes prohiberi debeant, ne cum mulieribus converſentur, excepta dūtaxat matre vel ſorore vel UXORE, quæ caſtè regenda eſt.

Et mox C. Legitur.) Legitur quòd B. Auguſt. nec cum ſorore cohabitare conſenſerit, dicens, Quæ cum ſorore mea ſunt, ſorores meæ non ſunt.

Item C. *In omnibus.*) Certè ſolum ad ſolam accedere, nulla religionis ratio permittit.

Item ex Concil. Carthaginen. C. *Cum omnibus.*) Cum omnibus omnino clericis extraneæ fœminæ non cohabitent, &c.

Item ex Concil. Toletano. C. *Quidam*) Clerici legitimum non habentes conjugium, extranearum mulierum vel ancillarum ſuarum (quæ interdicta ſunt) conſortia appetunt. Ideo quæcunque clericis taliter conjunctæ ſunt, ab Epiſcopo auferantur & venundentur, illis pro tempore relegatis ad pœnitentiam, quos ſua libidine infecerunt.

Item. C. *Fœminas.*) Siricius Papa. Fœminas non alias in domo clericorum eſſe patimur, niſi eas tantum, quas propter ſolas neceſſitudinis cauſas habitare cum eis Synodus Nicena permiſit.

De pœna ſacerdotum, ex quibus infantes procreantur. Innocentius.

*Diſt.*81 *C.Propoſuiſti.*) Propoſuiſti quid de his obſervari debeat, quos in diaconii miniſterio, aut in officio presbyterii poſitos,

ſitos, incontinentes eſſe aut fuiſſe, generati filii prodiderunt. De his etiam manifeſta eſt divinarum legum diſciplina, & beatæ recordationis Siricii Epiſcopi monita evidentia commonſtrarunt, ut incõtinentes in officiis poſiti talibus, omni honore eccleſiaſtico privarentur, nec admittantur ad tale miniſterium, quod ſola continentia oportet impleri.

Quæ pœnitentia imponenda ſacerdoti fornicario. Ex Gangren. Concilio.

Diſt. 82. *C. Presbyter.*) Presbyter ſi fornicationem fecerit, quanquam ſecundum canones Apoſtolorum debeat deponi, tamen juxta authoritatem B. Sylveſtri, ſi in vitio non perduraverit, ſi ſua ſponte confeſſus ad ecit ut reſurgat, decem annis in hunc modum pœniteat. Tribus quidem menſibus à cæteris remotus, pane & aqua à veſpere in veſperam utatur, tantum autem diebus Dominicis & præcipuis feſtis modico vino, & piſciculis atque leguminibus recreetur ſine carne, & ſagimine ovis & caſeo utatur, ſacco indutus humi adhæreat, die ac nocte miſericordiam Dei omnipotentis imploret. Finitis tribus menſibus continuis exeat, tamen in publicum nõ procedat, ne grex fidelis in eo ſcãdalum patiatur, nec enim debet ſacerdos publicè pœnitere ſicut laicus. Poſtea aliquantiſper viribus reſumptis, unum annum & dimidium in pane & aqua expleat, &c. Vide plura ibidem.

De Epiſcopis ferentibus fornicationem ſuorum clericorum. Gregor. VII.

Diſt. 83. *C. Si quis Epiſcopus.*) Si quis Epiſcopus in fornicationem presbyterorũ, diaconorum vel crimẽ inceſtus in ſua parochia pretio vel precibus interveniente conſenſerit, vel commiſſum authoritate officii ſui non impugnaverit, ab officio ſuſpendatur.

Et mox Auguſt. Epiſcopus qui talium crimina non corrigit, magis dicendus eſt canis impudicus quàm Epiſcopus.

De ſpuriis clericorum. Ex Conc. Tolet. IX.

15. *q.* 8. *Cum multa.*) Cum multæ ſuper innocentiam ordinis clericorum hactenus emanaverint ſententiæ patrũ, & nullatenus ipſorum firmari correctio morũ quiverit, uſq; adeò ſententiam judicantium protraxêre commiſſa culparum, ut non tantum inferretur ultio in actores ſcelerum, verumetiã in progeniem damnatorum. Ideoque quilibet ab Epiſcopo uſq; ad ſubdiaconum deinceps vel ex ancillæ vel ex ingenuæ deteſtando connubio in honore conſtituti, filios procreaverint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica cenſura damnentur. Proles autem aliena pollutione nata, nõ ſolùm hæreditatem nunquam accipiet, ſed etiam in ſervitutem ejus eccleſiæ, de cujus ſacerdotis vel miniſtri ignominia nati ſunt, jure perenni manebunt.

De pœna ſacerdotum, cum filiabus ſpiritualibus (hoc eſt his, quas vel baptizarunt, vel quæ illis confeſſæ ſunt) rem habentium.

30. *q.* 1. *Si quis.*) Si quis ſacerdos cum filia ſpirituali fornicatus fuerit, ſciat ſe grave adulterium commiſiſſe. Iccirco fœmina, ſi laica eſt, omnia derelinquat, & res ſuas pauperibus tradat, & cõverſa in monaſterio Deo uſque ad mortem ſerviat. Sacerdos autem qui malum exemplum dedit hominibus, ab omni officio deponatur, & peregrinando duodecim annis pœniteat, poſtea verò ad monaſterium vadat, ibique cunctis diebus vitę ſuæ Deo ſerviat.

Item. Non debet Epiſcopus aut preſ-

byter commisceri cum mulieribus, quæ ei sua fuerint confessę peccata. Si fortè (quod absit) hoc contigerit, sic pœniteat, quomodo de filia spirituali, Episcopus quindecim annos, presbyter duodecim, & deponatur, tamen si in conscientiam populi devenerit.

Lapsos clericos non iterum in ordinem assumendos.

*Dist.*50. Multis hoc agitur, quòd lapsi non debeant iterum in ordinem assumi. Item quòd post perpetratum homicidium, sacerdotale officium administrari non possit.

Ibidem. C. *Pervenit.*) Gregor. Qui post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine careat, & ad altaris ministerium non accedat.

Item. C. *Si post.*) Martinus Papa. Si post ordinationem suam quispiam in lapsum ceciderit, & si prævaricationis peccato fuerit deprehensus obnoxius, omnimodo prohibendus est cum manibus lutulentis atque pollutis mysteria nostræ salutis tractare.

Mox tamen diversum probatur. Nam C. *Ponderet.*) Calixtus Papa inter alia inquit: Errant itaque qui putant, sacerdotes post lapsum, si condignam egerint pœnitentiam, Domino non posse ministrare, & suis honoribus frui, si bonā deinceps vitam duxerint, & suum sacerdotium dignè custodierint. Et ipsi qui hoc putant, non solùm errant, sed etiam traditas ecclesiæ claves despicere videntur, de quibus dicitur: Quodcunque solveritis super terram, erit solutum & in cœlo.

Presbyteros fornicantes minus ferendos quàm uxoratos. Ex Conc. Neocæsar.

*Dist.*28. *Presbyter.*) Presbyter si uxorem duxerit, ab ordine deponi debet. Quòd si fornicatus fuerit, vel adulterium commiserit, extra ecclesiam abjici, & ad pœnitentiam inter laicos redigi oportet.

Concubinas sacerdotum non ferendas.

*Dist.*27 C. *Presbyteris.*) Presbyteris, diaconibus, & monachis, cōcubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdicimus.

Item. *Dist.*28. C. *Decernimus.*) Decernimus ut hi qui in ordine subdiaconatus & supra, uxores duxerint, aut concubinas habuerint, officio atque ecclesiastico beneficio careant. Cum enim ipsi templum & vasa Domini, sacrarium Spiritus sancti debeant esse & dici, indignum eos est cubilibus & immunditiis deservire. Innocentii II.

Castitatem servandam clericis.

*Dist.*28. C. *Priusquam.*) Scribit Gregorius nobilibus civibus Neapolitanis de Joanne quodam qui filiam habebat parvulam, & tamen ab illis electus erat in Episcopum, & non vult eum confirmare, dicens, quòd nec ipsi eum eligere debuissent, nec ipse electioni consentire, cùm (filia teste) convincatur corporis sui continentiam non habuisse.

Et mox. C. *De his.*) Subdiaconibus cum ad diaconatum promoti sint, præcipitur, ne quando suæ sponsionis immemores, aut ad terrenas nuptias, aut ad furtivos concubitus ultro concurrant.

DE CONJUGIO, SECUNDIS nuptiis, & divortio.

CAPUT XXVII.

De contemptoribus conjugij. Ex Concilio Gangrensi.

*Dist.*30 C. *si quis.*) Si quis propter Deum virginitatem professus, in conjugio positos

tos per arrogantiam vituperaverit, anathema ſit.

Ibidem. Si quis vel virginitatem vel continentiam profeſſus in conjugio tanquam abominabiles nuptias judicat, & non propter hoc ſolùm, quòd continentiæ & virginitatis bonum ſanctum propoſitum ſit, anathema ſit.

Et paulò poſt ibidem C. *Si quis.*) Si quis nuptias in accuſationem duxerit, & mulierem fidelem ac religioſam cũ viro ſuo dormientem abominandam crediderit, aut etiam accuſandam, tanquam non poſſe conjugatos in regnum Dei ingredi, anathema ſit.

Item. *Diſt.*31.*C.Si quis.*) Ex Conc.Gangren. Si quis vituperat nuptias, & dormientem cum viro ſuo fidelem ac religioſam deteſtatur, aut culpabilem æſtimat, velut quæ regnum Dei introire non poſſit, anathema ſit.

Item. Quicunque virginitatem cuſtodiens aut cótinentiæ ſtudens, vel ut horreſcens nuptias, nec propter hoc quod bonum & ſanctum eſt, nomen virginitatis aſſumit, anathema ſit.

Secundas nuptias non damnandas.

*Diſt.*23.*C.Qui Epiſcopus.* In examine Epiſcoporum inter alia requiritur etiam ab eo, ſi nuptias non prohibeat, ſi ſecunda matrimonia non damnet, ſi carnium perceptionem non culpet.

De ſecundis nuptiis. Chryſoſt.

31.*q.*1.*Hac ratione.*) Hac ratione & Apoſtoli præceperunt ſecundas adire nuptias propter incontinétiam hominum. Nam ſecundam quidem accipere ſecundum præceptum Apoſtoli licitum eſt. Secundum autem veritatis rationem verè fornicatio eſt. Sed cum permittente Deo publicè & licenter committitur, fit honeſta fornicatio. Vide an ſic de permiſſionibus divinis loquendum ſit?

Sed mox ibidem Auguſt. ad Pammachium, in Apologetico contra Jovinianum, C. *Aperiant.*) Aperiant quæſo aures obtrectatores mei, & videant me ſecundas nuptias & tertias in Domino conceſſiſſe. Qui ſecundas & tertias nuptias non damnavi, primum potui damnare matrimonium?

Idem. Non damno bigamos, imò nec trigamos, & ſi dici poteſt, octogamos.

Idem. Ego nunc voce proclamo libera, non damnari in eccleſia bigamiam, imò nec trigamiam, & ita licere quinto & ſexto & ultra, quomodo & ſecundo marito rectè nubere.

Et mox. Deus maſculum & fœminam propagandi generis cauſa nuptiali caſtitate conjunxit, & ſecundas nuptias, quæ in utroque Teſtamento permittuntur, licitas eſſe monſtravit.

Item idem. Quòd ſi dormierit vir ejus, non dicit primus, vel ſecundus, vel quartus, nec nobis diffiniendum eſt, quod nó diffinivit Apoſtolus. Unde nec ullas debeo damnare nuptias, nec eis verecũdiam inferre numeroſitatis. Dominus autem ſeptemviram non damnavit.

23.*q.*4. *Quod autem.*) Poſt mortem Saræ Abraham Cethuram duxit uxorem, ne ſecundum Auguſt. Chriſtiani putarent eſſe peccatum poſt mortem uxoris aliam ducere. Et mox idem ex Auguſt. libr. 2. contra adverſarium Legis & Prophetarum.

Conjugium cum infidelibus non contrahendum.

28.*q.*1.*Cave*) Cave Chriſtiane gentili aut Judæo filiam tuam tradere. Cave inquit gentilẽ vel Judæam atq; alienigenã,

hoc est, omnem hæreticam & alienam à fide tua accipere tibi uxorem,&c.

Parentum consensum in nuptiis requiri.

30.*q* 5.*Aliter.*) Aliter legitimum non sit conjugium nisi ab his qui super ipsam fęminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur uxor petatur, & à parentibus & propinquioribus sponsetur,&c.

Et mox. Aliter verò præsumpta, non conjugia, sed adulteria, vel contubernia vel stupra,aut fornicationes potius quam legitima conjugia esse non dubitatur.

32.*q*.2.*Non omnis.*) Gratianus. Paterno arbitrio fœminæ viris junctæ carent culpa.

Et mox.Cum ergo dicitur paterno arbitrio fœminæ junctæ viris, datur intelligi, ꝙ paternus consensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimæ nuptiæ habeantur,juxta illud Evaristi Papæ, Aliter non sit legitimum conjugium, nisi à parentibus tradatur.

Item Ambrosius in lib. de Patriarchis: Honorantur parentes Rebecæ, muneribus consulitur puella, non de sponsalib⁹, illa enim judicium expectat parentum, non est enim virginalis pudoris eligere maritum.

36.*q*.2.*Placuit ut hi.*) Ex libr.1. Instit.de Nuptiis. Justas autem nuptias inter se cives Romani contrahunt, qui secundum præcepta Legis coeunt: Masculi quidem puberes, fœminæ viri potentes, sive patresfamiliâs sint,sive filiifamiliâs,dum tñ filiifamiliâs consensum habeant parentum,quorum in potestate sunt.Nam hoc fieri debere, & civilis & naturalis ratio persuadet.

Pueros non esse matrimonio jungendos. Nicolaus Papa.

30.*q* 2.*Vbi non est.*) Ubi non est cõsensus utriusq;, ibi non est conjugium. Ergo qui pueris dant puellas in cunabulis, & è converso,nihil faciunt,nisi uterq; puerorum postquam venerit ad annos discretionis,consentiat.Nec est conjugium nisi sit consensus utriusque,etiamsi pater & mater hoc voluerint & fecerint.

Non judicem, sed crimen facere divortium. Isidorus.

33.*q*.2.*Quos Deus.*)Quos Deus conjunxit, homo non separet. Quæris quomodo? subaudi, violenter, sine lege, absq; ratione,quos Deus conjunxit homo non separet. Non enim homo separat quos pœna condemnat, quos reatus accusat, quos maleficium coarctat.

Sine culpa relinqui posse uxorem, quæ cum fideli marito habitare non vult.

28.*q*.1.*Vxor.*) Uxor legitima societate conjuncta, sine ulla culpa relinquitur, si cum viro Christiano pmanere noluerit.

Et mox. Si aliquem cogat uxor sacrificare idolis, qui talem dimittit, causa fornicationis eam dimittit, non tantum illius,sed etiam suæ. Illius, quia fornicatur, suæ,ne fornicetur.

Item. Non solùm mœchatio est illius, quę carnem suam coinquinat, sed etiam quæ simulachrũ facit, mœchatur. Quòd si in his factis perseverat,& pœnitentiam non agit, recede ab illa, & noli vivere cũ illa. Sin autem, & tu particeps peccati illius eris.

Item ibidem. Ambr. Si infidelis, dicit Apostolus discedit, discedat, non est servituti subjectus frater aut soror in hujusmodi,id est,si infidelis, noluerit esse cum conjuge sua fideli. Hic cognoscat fidelis suam libertatem,nec ita se subjectum putet servituti, ut ipsam dimittat fidem, ne conjugem amittat infidelem.

Et

Et mox ex August. Conjunx fidelis relinquere conjugem licitè potest infidelem.

Item. 28. *q.* 2. *Si infidelis.*) Si infidelis discedit odio Christianæ fidei, discedat, non enim est frater aut soror subjectus servituti in hujusmodi, NON EST ENIM DIMISSO PECCATUM PROPTER DEUM, SI ALII SE COPULAVERIT. Ergo post dimissionem alii se copulare licet.

DE CONJUGIO SACERDOTUM.

CAPUT XXVIII.

Continentiam ministrorum altaris non fuisse semper.

Dist. 28. *C. De Syracusana.*) Gratianus confitetur tempore Neocęsariensis Concilii & Anchiritanæ Synodi nondum introductam fuisse continentiam ministrorum altaris. Item: Orientalem ecclesiam non suscipere generale votum castitatis.

12. *q. Præcipimus.*) Sed notandum est Episcopos Orientales uxores habere & filios.

Clericis licere uxores habere. Ex Concilio Toletano.

33. *q.* 2. *Placuit.*) Dicitur, quòd clericis, si uxores ipsorum adulterium commiserint, liceat eas sine mortis acerbitate habere in custodia, & ad jejunia eas cogere, non tamen usque ad necem affligere. Ex quo sequitur manifestè, licere illis uxores habere.

Conjugatos olim fuisse sacerdotes. Gratianus dicit.

Dist. 56. *C. Cenomanensem.*) Cum ergo ex sacerdotibus nati in summos Pontifices suprà legantur esse promoti, non sunt intelligendi de fornicatione, sed de legitimis conjugiis nati, quę sacerdotibus ante prohibitionem ubique licita erant, & in Orientali ecclesia usque hodie eis licere probantur.

De concubinis ducendis. Ambrosius.

33. *q.* 4. *Dicat aliquis.*) Præsta concubinę tuæ libertatem & nomen uxoris, ne adulter sis potius vetus quàm maritus.

Vxoratus quidam in Episcopatum promotus.

Dist. 28. *C. De Syracusana.*) Quidam habens uxorem & liberos à Pelagio PP. cum non esset alius magis idoneus, intercedente Cethego patritio prætore, confirmatur in Episcopatu Syracus.

Olim promotos subdiaconos non promissa continentia.

Dist. 31. *C. Ante triennium.*) Hic glossator dicit. Olim promovebantur subdiaconi non promissa continentia, & licitè utebantur uxoribus & beneficiis. Postea Pelagius prædecessor Gregorii statuit, ut vel contenti essent uxoribus tantum, vel beneficiis tantum. De qua constitutione Gregor. facit mentionem 27. q. 2. Multorum. Postea idem Pelagius aliam ædidit constitutionē, in qua præcisè prohibuit, ut subdiaconi nullo modo commisceri debeant à modo uxoribus suis. Et illam constitutionem quidam subdiaconi servabant, quidam non. Sed quia illa constitutio fuit (N. quod ipsemet confitetur eam iniquam fuisse) retractatur à Gregorio loco prædicto, & statuitur, quòd si qui subdiaconi non sunt, non cogantur continere, nisi velint. Si qui autem in futurum sint ordinandi, non admittantur, nisi promittant continentiam.

Conjugatos presbyteros non discernendos, nec ab eorum communione abstinendum. Ex Concilio Gangren.

Dist. 28. *C. Si quis discernit.*) Si quis discernit presbyterum conjugatum tãquam occasione nuptiarum, quòd offerre non debeat, & ab ejus oblatione ideo abstinet, anathema sit.

Castitatem esse cum propria uxore concubitum, etiam in Episcopis & presbyteris.

*Dist.*31. C. *Nicæna Synodus.*) Nicæna Synodus volens corrigere hominum vitam in ecclesiis commorantium, posuit leges, quas canones vocamus. In quorum tractatu videbatur aliquibus introducere legem, ut Episcopi, presbyteri, diaconi, subdiaconi, cum conjugibus, quas ante consecrationem duxerant, non dormirent. Surgens autem Paphnutius professor contradixit, Honorabiles confessus nuptias, & castitatem dicens esse cũ propria conjuge concubitum. Sua sit itaque Concilio, ne talem poneret legẽ, gravem esse asserens causam, quæ aut ipsis aut eorum conjugalibus occasio fornicationis existeret. Et hoc quidem Paphnutius (licet nuptiarum esset inexpertus) exposuit. Synodusq; laudavit sententiam ejus, & nihil ex hac parte sancivit, sed in uniuscujusq; voluntate non necessitate permisit.

Propter religionem conjugium non deserendum esse. Ex Gangren. Concilio.

*Dist.*30. C. *Si qua mulier.*) Si qua mulier derelicto viro discedere voluerit, soluto vinculo conjugali, nuptias contemnendo, anathema sit,

Causa religionis conjugia non solvenda esse.

27. *q* 2. *Sunt qui dicunt religionis gratia conjugia debere dissolvi.* Verùm sciendum est, si hoc lex humana concessit, Lex tamen divina prohibuit. Per se enim Veritas dicit, Quos Deus conjunxit, homo non separet. Qui etiam ait, Non licet dimittere uxorem, excepta causa fornicationis.

Et mox ex VIII. Synodo. Si quis conjugatus vult converti ad monasterium, non est recipiendus, nisi prius à conjuge castitatem profitente fuerit absolutus. Nam si illo vivente illa per incontinentiam alteri nupserit, proculdubio adultera erit, nec recipietur apud Deum ejus viri conversio, cujus sequitur conjugalis fœderis prostitutio.

Item August. Si tu abstines sine uxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tuæ imputabitur abstinentiæ.

Vxorem propter religionem non contemnendam. Ex Canonibus Apostolorum.

Dist. 28. *C. Si quis.*) Si quis docuerit sacerdotem sub obtentu religionis propriam uxorem contemnere, anathema sit.

*Dist.*10. *C. Lege.*) Beatus Gregorius scribens ad Theotistam patritium, ait inter cætera, Si religionis causa conjugia debere dissolvi dicantur, sciendum est, quia etsi hoc lex humana concessit, lex tamen divina prohibuit.

Nubentes post votum etiam non esse separandos. August. in lib. de bono conjugali.

*Dist.*37. *C. Quidam.*) Quidam nubentes post votum asserunt adulteros esse, ego autem dico vobis, quòd graviter peccant qui tales dividunt.

Et paulò ante ex Decreto Martini Papæ. Tanta est vis in Sacramento conjugii, quòd nec ex violatione voti potest dissolvi ipsum conjugium.

Idem copiosè tractatur 27. q. 1. Nuptiarum, & objectiones refelluntur.

Presbyteri & diaconi nullo modo à legitimis dissolvantur uxoribus. Ex VI. Synodo.

*Dist.*31.

Dist.31.C.Quoniam.) Quoniam in Romani ordine canonis esse cognovimus traditum, eos qui ordinati sunt diaconi vel presbyteri, confiteri, quòd non suis jam copulentur uxoribus, antiquum sequentes canonem apostolicæ diligentiæ, & constitutiones sacrorum virorum, legales nuptias à modo valere volumus, nullo modo cum uxoribus suis eorum connubia dissolventes, aut privantes eos familiaritate adinvicem in tempore opportuno. Quicunque ergo diligens inventus fuerit in subdiaconali ordinatione aut diaconali aut sacerdotali, hi nullo modo prohibentur ad talem ascendere gradum, pro uxoris suæ cohabitatione, nec etiam tempore ordinationis suæ profiteri castitatem cogantur, quod abstinere debeant à legalis uxoris familiaritate.

Deponendum eum qui aliquem presbyterorum aut diaconorum privare vult communione legalis uxoris.

Ibidem. Si quis igitur præsumpserit cõtra Apostolicos canones, aliquos presbyterorum & diaconorum privare à contactu & à communione legalis uxoris suæ, deponatur.

Excommunicandum presbyterum & diaconum, uxorem religionis causa expellentem.

Ibidem. Similiter & presbyter aut diaconus, qui religionis causa uxorem suam expellit, excommunicetur, si verò in hoc permanserit, deponatur.

Subjungit his Gratianus. Hoc autem ex loco intelligendũ est. Orientalis enim ecclesia, cui VI. Synodus regulam vivendi præscripsit, votũ castitatis in ministris altaris non suscepit, &c. Quasi non Apostolus omnibus dixerit, Episcopus sit unius uxoris maritus, & Dominus: Qui potest capere, capiat.

De virginitate

32. q.1. Nuptiæ terram implent, virginitas paradisum. Sed mox Gratianus addit. Verum hoc ad exhortationem non ad necessitatem observandæ virginitatis refertur. Vnde Ambrosius ait:

Integritas corporis expetenda à nobis est, quam ego pro consilio suadeo, nõ pro imperio præcipio. Sola est enim virginitas, quæ suaderi potest, imperari non potest, res magis voti quàm præcepti est.

DE MONACHIS, MONIALIBUS & claustris.

CAPUT XXIV.

Monachos solitarios esse debere. Ex Nicæna Synodo.

16.q.1. *Placuit.*) Placuit omnibus residentibus in sancta Nicæna synodo, ut monachorũ conversatio & vita secundũ etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim Græcè, Latinè singularis dicitur. Unde Monachum per omnia singulariter agere oportet. Quamobrem firmiter & indissolubiliter omnes præcipimus, ut aliquis monach. pœnitentiam nemini tribuat, nisi sibi invicem, ut jussum est: mortuum non sepeliat, ni monachum in monasterio secum commorantem, vel si fortuitu quenquam advenientium fratrum ibi mori contigerit.

Ibidem. Si cupis. Hier. ad Paulinum. Si cupis esse quod diceris, monachus, id est, solus, quid facis in urbibus? quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum, &c.

Abbates etiam ostiario subesse debere. Ex Synodo Sylvestri.

Dist.93.C.A Subdiacono.) Abbates etiam Ostiario subesse jubentur, Dicitur enim ostiario Abbas, Abbati monachus in omni loco repræsentet obsequium.

Monachos

Monachos ecclesiasticis deservire non posse. Gregor.

16.q.1. *Nemo potest.*) Nemo potest ecclesiasticis deservire officiis, & in monastica regula ordinatè persistere. Et mox inde cõcludit Gratianus, quòd parochianis ecclesiis monachi præfici non possint.

Et mox. Hier. ad Pipatium & Desiderium. Monachus non docentis sed plangentis habet officium, ne vel se vel mundum lugeat, & Domini pavidus præstoletur adventum.

Item. C. Adjicimus. Leo Papa, Adjicimus illud etiam, quod nobis propter improbitatem quorundam monachorum religionis vestræ verbis mandastis, per vicarios vestros hoc specialiter statuentes, ut præter Domini sacerdotes nullus audeat prędicare, sive monachus, sive laicus ille sit, qui cujuscunque scientiæ nomine glorietur.

Item. C. Hinc est etiam. Hier. contra Vigilantium. Monachus non doctoris sed plangentis habet officium. Et ad Heliodorum. Alia causa est Monachi, alia clerici.

Et mox. Monachos verò usque ad tempus Eusebii, Zosimi & Syricii monachos simpliciter & non clericos fuisse, ecclesiastica testatur historia.

Monasteria olim fuisse scholas, ex quibus ministri sumpti. Hier.

16.q.1.C. *Sic vive.*) Sic vive in monasterio, ut clericus esse merearis. Multò tempore disce quæ postmodum doceas. Et inter bonos semper sectare meliores. Quòd si populus vel Episcopus te in clericum elegerit, age ea quæ clerici sunt.

Et paulo ante ibidem. C. De præsentium. Faciat autem Deus, ut tales sint hi, vel quià nobis in isto habitu nutriuntur, vel in monasteriis crescunt, ut perfecta ætate & vita probata, non ad litigiorum officia, sed ad sacerdotium valeant promoveri.

Abbates & Monachos nihil proprii habere. Ex synodo VIII.

*Dist.*54. *C. Abbati.*) Abbati vel Monacho Monasterii servum non licebit facere liberũ. Qui enim nihil propriũ habet, libertatem rei alienæ dare non potest.

Monachos lucri gratia de monasterio non debere egredi. Eugenius Papa.

16.*q.*1. *Placuit communi.*) Placuit communi nostro Cõcil. ut nullus monachorũ pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat. Neque pœnitentiã dare, neque filiũ de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmũ visitare, neque mortuum sepelire, neque ad ecclesiam secularem transire, neq; aliis qualibuscunque negotiis sese implicare. Sit claustro suo contentus, quia sicut piscis sine aqua caret vita, ita sine monasterio Monachus. Sedeat itaque solitarius & taceat, quia mundo mortuus est, Deo autem vivit. Agnoscat nomen suum. Monos enim græcè, latinè est unus. Achos græcè, latinè est tristis. Unde dicitur Monachus, id est, unus tristis. Sedeat ergo tristis, & officio suo vacet.

Itẽ paulo ante, C. si cupis. Quem senseris tibi aut semper aut crebro de nummis loquentem (excepta eleemosyna, quæ indifferenter omnibus patet) institorem potius habeto quàm Monachum. Præter victum & vestimẽtum & magnas necessitates, nihil cuiquam tribuas, ne filiorum panem canes comedant.

Monachos debere laborare.

*De Con. Dist.*5. *Nunquam de manu.*) In desideriis est omnis ociosus. Ægyptiorum mona-

monasteria hunc ordinem tenent, ut nullum absque opere & labore suscipiant, non tam propter victus necessaria, quàm propter animæ salutem, ne vagentur perniciosis cogitationibus, & ad instar fornicantis Hierusalem omni transeunti divaricent pedes suos.

Carnem Monacho gustare non licere.

Ibidem. Carnem.) Carnem cuiquam Monacho nec gustandi nec sumendi est concessa licentia.

Monachis non licere ad fœminas accedere.

18. *q.* 2. *Pervenit.*) Neque commatres sibi facere, neque ad fœminas accedere monacho licet.

Episcopos monasteria frequenter visitare, & corrigenda corrigere debere. Ex Concilio Agathen.

18. *q.* 2. *Non semel.*) Non semel sed sæpius in anno Episcopi visitent monasteria Monachorum, & si aliquid corrigendum fuerit, corrigatur.

Duplicia monasteria fieri non debere. Ex VII. Synodo.

18. *q.* 2. *Diffinimus.*) Diffinimus minimè duplex monasterium fieri, quia scandalum, id est, offendiculum multis efficitur.

Et iterum. C. In nullo loco. Ex Registro Gregorii. Monachos & Monachas non debere cohabitare simul, sed & duplicia monasteria tollenda.

Item ex Concilio Agathen. Monasteria puellarum longius à monasterio monachorum, aut propter insidias diaboli, aut propter oblocutionem hominum collocentur.

Qua ætate virgines sacra velanda & conservanda sint.

20. C. *q.* 1. *Juvenculas.*) Ante sexagesimũ ætatis suæ annum virgines non consecrentur.

Et mox ex Concil. Carthaginen. III. Sanctimoniales ante annum quadragesimum non velentur.

Item ex Concil. Aphricano IV. Placuit ut ante vigintiquinque annos nec diacones ordinentur, nec virgines consecrentur.

Item Pius Papa. Virgines non velentur ante vigintiquinque annos.

De Monialibus, & his qui cum illis scortantur. Gregor.

27. *q.* 1. *Si qua.*) Si qua Monacharum, vel per antiquiorem licentiam, vel per impunitatis pravam consuetudinem ad lapsum adulterii deducta fuerit, aut in stupri fuerit deducta voraginẽ, hãc, post competentis severitatem vindictæ, in aliud districtius monasterium virginum in pœnitentia volumus redigi, ut illic orationibus & jejuniis vacet, & sic pœnitendo proficiat, & metuendum cæteris arctioris disciplinæ præstet exemplum. Is autem qui cum hujusmodi fœminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, omni communione privetur, si laicus est, si verò clericus, à suo quoq; remotus officio, pro suis continuò lugendis excessibus in monasterium detrudatur.

Mulierem religionis gratià non tondendam. Ex Gangrensi Concilio.

Dist. 30. C. *Quacunque.*) Quæcunq; mulier religioni judicans convenire, comam sibi amputaverit, quam Deus ad velamen ejus, & ad memoriam subjectionis illi dedit, tanquam resolvens jus subjectionis, anathema sit.

De his qui astu circumventi in Monasteria detrusi sunt. Ex Concilio Maguntien.

16. *q.* 7. *Constituit.*) Constituit sanè sacer iste conventus, ut Episcopi sive Abbates, qui nõ in fructum animarum, sed in avaritiam

ritiam & turpe lucrum inhiantes, quoslibet homines circumveniendo totonderunt, & res eorum tali persuasione surripuerunt, pœnitentiæ canonicæ, utpote turpis lucri sectatores subjaceant. Hi verò qui illecti comam deposuerunt, in eo quod ceperunt perseverare cogantur, res verò eorum hæredibus reddantur.

Pertrusi in monasteria, præter voluntatem, non retineantur.

20.*q*.1. *C.Sicut qui.*) Extra voluntatem propriam retrusi, in monasteriis, non retineantur.

Non licet novos ordines constituere.

Ne nimia religionis diversitas gravem in ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus, ne quis de cætero novam Religionem inveniat: Sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam & institutionem accipiat de approbatis. Cur ergo Jesuitarum & aliorum quorundam ordines posterius sunt inventi?

Hoc decretum est in Concilio generali Lateranensi, sub Innocentio 3. anno 1215. Et citatur à Gregorio in Decret. lib. 3. De Religiosis domibus. Et appenditur.

Illud etiam prohibemus ne quis in diversis monasteriis locum monachi habere præsumat, NEC UNUS ABBAS PLURIBUS MONASTERIIS PRÆSIDERE.

DE JEJUNIO.

CAPUT XXX.

*De pœnit. Dist.*5. *C. Sint tibi.*) Sint tibi quotidiana jejunia, & refectio satietatem fugiens. Nihil enim prodest tibi biduo vel triduo transmisso vacuum portare ventrem, si post pariter obstruatur.

Et mox C. Sint tibi jejunia pura, continua moderataque, id est, quotidie esurire, & quotidie prandere.

Item. C. Nihil enim prodest homini jejunare & orare, & alia religionis bona agere, nisi mens ab iniquitate, & ab obtrectationibus prohibeatur.

Item. C. Non mediocriter. Nonne rationabiliter homo dignitatem amittit, qui vel jejunium charitati, aut vigilias præfert sensus integritati?

Item. C. Jejunium. Jejunium autem magnum & generale est abstinere ab iniquitatibus, & ab illicitis voluptatibus seculi. Quod est perfectum jejunium in hoc seculo.

12.*q*.2. *Gloria Episcopi.*) Hier. ad Paulinum. Plenus venter facilè de jejuniis disputat.

Dist.4.*C.In istis.*) Telesphorus instituit, ut non à carnibus modo, sed & à deliciis clerici abstinerent. Et additur ibi. Quoniam moribus utentium hoc approbatum non est, aliter agentes, transgressionis nos non arguit.

Et mox C. Sacerdotes. Cæterum piscium esus ita Christiano relinquitur, ut hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Denique qui à carne abstinẽt, nequaquam sumptuosiora marinarum belluarum convivia præparent. Vinum quoque ita bibere permittitur, ut ebrietatem omnino fugiamus, alioquin restat, ut omnia quę corporibus libent, similiter faciamus.

Dist.23.*C. Qui Episcopus.*) ab Episcopo in examine illius etiam requiritur, si carnium perceptionem non culpet

De pœnitentia.Dist.3.*C.Nihil.*) Nihil prodest

deſt homini jejunare & orare, & alia religionis opera facere, niſi mens ab iniquitate revocetur.

De jejunio ſuperſtitioſo. Auguſt. de Doctrina Chriſt.

Diſt.41. C. Quiſquis.) Quiſquis rebus prætereuntibus reſtrictius utitur, quàm ſeſe habent mores eorum cum quibus vivit, aut intemperans aut ſuperſtitioſus eſt. Quiſquis verò ſic eis utitur, ut metas conſuetudinis bonorum, inter quos verſatur, excedat, aut aliquid ſignificat, aut flagitioſus eſt. Vide ibidem plura.

DE CONFESSIONE AURICULARI.

CAPUT XXXI.

Confeſſionem auricularem non eſſe ad ſalutem neceſſariam multis authoritatibus Gratianus probat. De pœnitentia. Diſt.1. mox ab initio ſic ſcribens:

Sunt qui dicunt, quamlibet criminis veniam ſine confeſſione facta eccleſiæ & ſacerdotali judicio poſſe promereri, juxta illud Ambroſii ſuper Lucam: Petrus doluit & flevit quia erravit ut homo. Non invenio quid dixerit, ſcio quòd flevit, lachrymas ejus lego, ſatisfactionẽ nõ lego.

Item Chryſoſt. Lachrymæ lavant delictum, quod pudor eſt confiteri.

Item propheta. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies.

Item David. Dixi confitebor adverſum me injuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei. Quod Auguſt. exponens ait, Magna pietas Dei, ut ad ſolam promiſſionem peccata dimiſerit. Nondum pronunciat ore, & tamen Deus jam audivit in corde, quia ipſum dicere quaſi quoddam pronunciare eſt. Votum enim pro operẽ reputatur.

Et aliquanto poſt. Scindite. Scindite corda veſtra & non veſtiméta, oſtendens contritionem cordis, quæ in ejuſdem ſciſſione intelligitur, non in confeſſione oris (quæ pars eſt exterioris ſatisfactionis, quam ſciſſuram veſtium nominavit, à parte totum intelligens) peccata dimitti.

Hinc etiam per eundem prophetam ait, dicens: Convertimini ad me in toto corde veſtro, & ego convertar ad vos, converſio autem dicitur, quaſi cordis undique verſio. Si autem cor noſtrum undique à malo ad Deum vertitur, mox ſuæ converſionis fructum meretur, ut Deus ab ira ſua ad miſericordiam converſus, peccati præſtet indulgentiã, cujus primò pręparabat vindictam. Unde datur intelligi, quòd etiã ore tacente, veniam conſequi poſſumus. Hinc etiam leproſi illi, quibus Dominus præcepit ut oſtenderent ſe ſacerdotibus, in itinere antequam ad ſacerdotes venirent, mundati ſunt. Ex quo facto nimirum datur intelligi, quòd antequam ſacerdotibus ora noſtra oſtendamus, id eſt, peccata confiteamur, à lepra peccati mundamur, &c. Vide ibidem plura.

Ibidem. C. Omnis. Non ergo in confeſſione peccatum remittitur, quod jam remiſſum eſſe probatur. Fit itaque confeſſio ad oſtenſionem pœnitentiæ, non ad impetrationem venię. Et ſicut circumciſio data eſt Abrahæ in ſignum juſtitiæ, non in cauſam juſtificationis, ſic confeſſio ſacerdoti offertur in ſignum veniæ acceptæ, non in cauſam remiſſionis accipiendæ.

Item. C. Verbum Dei. Verbum Dei dimittit peccata, ſacerdos eſt judex. Sacer-

dos quidem suum officium exhibet, & nullius potestatis jura exercet. Ibi Glossa addit. Judex, id est, minister, Ministerio enim non authoritate habet dimittere.

Item. C. Quis aliquando. Chrysost. super epistolam ad Heb. Non dico tibi ut te prodas in publicum, neque apud alios te excuses (aliàs accuses) sed obedire te volo prophetæ dicenti: Revela ante Deum viam tuam. Ergo tua confitere peccata apud Deum verum judicem, cum oratione delicta tua pronuncia, nõ lingva, sed conscientiæ tuæ memoria, & tunc demum spera te misericordiam posse consequi.

In eandem tamen distinctionem Gratianus diversas quoque collegit authoritates. Dicit enim C. Omnis. Alii è contra testantur, dicentes sine Confessione oris & satisfactione Operis neminem à peccato posse mundari, si tempus satisfaciendi habuerit. Tandem distinctionem hanc Gratianus his fermè verbis concludit: Quibus authoritatibus, vel quibus rationum firmamentis utraque sententia satisfactionis & confessionis innitatur, in medium breviter exposuimus. Cui autem harum potius adhærẽdum sit, lectoris judicio reservatur. Utraque enim fautores habet sapientes & religiosos viros. Quibus verbis mox subjungit verba Theodori Cantuariensis Episcopi, qui utramque quoque probat sententiam. Deo autẽ confiteri, perfectorũ esse dicit.

De pœnit. Dist. 5. C.) In pœnitentia. Glossator in margine dicit. Videndum est quando oris confessio sit instituta, utrum necessaria sit, vel tantum voluntaria, qualiter sit facienda, & cui, & quando. Dicunt quidam institutam fuisse in paradiso, statim post peccatum, dicente Domino ad Adam, Adam ubi es? Ideo enim quæsivit, ut ipso confitente peccatum, daretur forma aliis in posterum confitendi. Sed quia in illa interrogatione Dominus minus expressè videbatur ad confitendum monuisse, ideo postea exquisivit à Cain fratricida expressius, Ubi est Abel frater tuus? Alii dicunt quòd sub Lege fuit primò instituta, quando Josue præcepit Achor crimen suum confiteri & lapidatus est 45. Dist. Sed & illud. Alii dicunt quòd in Novo Testamento à Jacobo dicente, Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. SED MELIUS DICITUR eam institutam fuisse à quadam universalis ecclesiæ traditione potius, quàm ex novi vel veteris testamenti authoritate. Et traditio ecclesiæ obligatoria est (ut præceptum art. 11. Dist. In his rebus.) Ergo necessaria est confessio in mortalibus apud nos. APUD GRÆCOS NON, QUIA NON EMANAVIT APUD ILLOS TRADITIO TALIS. Sicut nec conficiunt in azymis, sed in fermentatis. Illud ergo Jacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra, fuit consilii primò, alioquin ligaret & Græcos, non obstante eorum consuetudine.

DE FERIIS.

De die Dominico.

CAPUT XXXII.

De Con. Dist. 3. C. Pervenit.) Aliud quoque ad me perlatum est vobis à perversis hominibus esse prædicatum, ut Dominico die nullus debeat lavari. Et quidem si pro luxuria & pro voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec die Dominico prohibemus.

Et mox

Et mox infra C. Jejunia. Die autem Dominica nihil aliud agendum est, nisi Deo vacandum, nulla operatio in illa die sancta agatur, nisi tantùm hymnis & Psalmis & canticis spiritualibus dies illa transigatur.

De feriis humanis.

24.*q.*1.*Odi & projeci.*) Hieronymus. Odit autem Deus, & non solùm odit, sed projicit festivitates eorum, qui non celebrant festivitates Dei, sed suas.

De saltationibus in diebus festis.

*De Con.Dist.*3. C. *Irreligiosa.*) Irreligiosa consuetudo est, quam vulgus per sanctorum solennitates & festivitates agere cõsuevit. Populi qui debent divina officia attendere, saltationibus turpibus invigilant, cantica non solùm mala canentes, sed etiam religiosorum officiis perstrepunt. Hoc enim ut ab omnibus provinciis depellatur, sacerdotum & judicum à Concilio sancto curæ committitur.

DE ELEEMOSYNIS ET OBlationibus ex rebus injustè acquisitis.

Caput XXXIII.

14.*q* 5.*Quòd verò.*) Quòd verò eleemosynæ non sint faciendæ ex fœnore vel usuris, nec quolibet malè acquisito, Augustinus testatur in lib. de Verbis Domini Tract.35. Nolite velle eleemosynas facere de fœnore & usuris.

Item Augustinus. Immolans ex iniquo, oblatio est maculata. Dona iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus iniquorum, nec in multitudine sacrificiorum eorum propitiabitur peccatis. Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui.

Item. C. *Denique.* Denique si non potest subveniri alteri, nisi alter lædatur, commodius est neutrum juvari, quàm gravari alterum.

Item. C. *Scriptum est.* Scriptum est, Victimæ impiorũ abominabiles sunt Deo, Vota justorum placabilia. Neque enim in omnipotentis Dei judicio quid, sed à quo detur inspicitur. Hinc est enim quod scriptum est, Respexit Deus ad Abel & ad munera ejus, ad Cain autem & ad munera ejus nõ respexit. Dicturus quippe quia Dominus respexit ad munera, præmisit sollicitè quia respexit ad Abel. Ex qua re patenter ostenditur, quia non offerens à muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Dona quippe iniquorum non probat altissimus, nec respicit in oblationibus eorum, nec in multitudine sacrificiorum propitiabitur peccatis eorum.

1.*q.*1.*Non est putanda.*) Leo Siagrio Episcopo. Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur, quod ex illicitis rebus acquiritur, quia qui hac intentione mala accipit, ut bene dispenset, gravatur etiam potius quàm juvetur. Unde etiam certum est, quia etsi monasteria vel xenodochia, vel aliquid aliud ex pecunia, quæ pro sacris ordinibus datur, construantur, non proficit mercedi. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, prohibet scriptura, dicens: Hostiæ impiorum abominabiles sunt Domino, quæ offeruntur ex scelere. Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei nõ placat iracũdiam, sed irritat. Hinc rursum scriptum est: Honora Deum de tuis justis laboribus. Qui ergo malè tollit, ut quasi bene prębeat, cõstat quia sine dubio Do-

minum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: Qui offert sacrificium de substantia pauperis, idem est ac si victimet filiũ in conspectu patris. Quantus autem dolor sit patris perpendamus, si in ejus conspectu filius victimetur, & hinc facilè cognoscitur, quantus apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur.

DE PEREGRINATIONIBUS religionis ergò, & locis sacris.

CAPUT XXXIV.

12.q.2. *Gloria Episcopi.*) Hieronymus ad Paulinum. Non Hierosolymis fuisse, sed Hierosolymis benè vixisse, laudandum est.

Dist. 40. C. *Non est facile.*) Hieron. Non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum.

Et mox. Gregorius. Nos qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus, nec urbium claritate, sed fidei puritate.

Idem Anastasio presbytero. Non loca vel ordines creatori nostro nos proximos faciunt, sed nos aut merita bona ei conjungunt, aut mala disjungunt.

Item Ambrosius ibidem. Extra paradisum, hoc est, inferiori loco, vir factus, melior invenitur: & illa quæ in meliori loco, hoc est, in paradiso facta est, inferior invenitur.

Item Gregorius. Loth in ipsa perversa civitate fuit justus, in monte peccavit.

Et mox. Quid enim paradiso jucundius, quid cœlo securius? & tamen homo ex parad so, & angelus de cœlo peccando cecidit.

Item Chrysost. ibidem. Multi sacerdotes & pauci sacerdotes, multi in nomine & pauci in opere. Videte ergo fratres quomodo sedetis super cathedram, quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram. Nõ locus sanctificat hominem, sed homo sanctificat locum. Nõ omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos. Qui benè sederit super cathedram, honorem accipit, qui malè sederit injuriam facit cathedræ, ideoq; malus sacerdos de sacerdotio suo crimen acquirit, non dignitatem.

DE SEPULTURA, PURGAtorio, & defunctorum exequiis.

CAPUT XXXV.

Nihil prodesse sepulturas & exequias operosas.

13.q.2. *Anima*) Curatio verò funeris, conditio sepulturæ, pompa exequiarum, magis sunt vivorum solatia, quàm subsidia mortuorum. Si aliquid prodest impio sepultura pretiosa, oberit pio vilis aut nulla.

Nihil referre ubicunque sepeliamur.

13.q.2. *Ubicunque.*) Chrysost. in epist. ad Heb. Ubicunque sepeliamur, Domini est terra & plenitudo ejus.

Sacra loca impios defunctos nihil juvare.

13.q.2. *Quibus peccata.*) Augustin. Quibus peccata dimissa non sunt, à sacris locis post mortem adjuvari non possunt, quia quos peccata graviora deprimunt, si in sacris locis se sepeliri faciunt, restat ut de sua præsumptione judicẽtur, quia eos sacra loca non liberant, sed de culpa temeritatis accusant.

Et mox Gregorius. Quos peccata gravia deprimunt, ad majorem cumulum damnationis potius quàm ad solutionem eorũ corpora in ecclesiis ponuntur.

De sepulturis nihil exigendum esse.

13.*q.*2. Quæritur, an pro sepultura mortuorum aliquid sit exigendum? Ubi inter alia. C. Questa est. Gregor. in Registro Januario Episcopo Sardiniæ scribit.

Questa est nobis Nereida fœmina clarissima, quòd ab ea solidos pro filiæ suæ sepultura fraternitas vestra velit exigere. Hoc autem vitium & nos, postquam Deo authore ad Episcopatus honorem accessimus, de ecclesia nostra omnino vetuimus, & per pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus, memores quia dum Abraham à filiis Ephron, hoc est, à filiis Seor, sepulchrum pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum de cadavere videretur consecutus. Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Unde, hoc avaritiæ vitium, ne in alienis denuo tentari præsumatur, admoneo. Sed si quãdo aliquem in ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes, pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti verò aut aliquid exigi omnino prohibem⁹, ne quod valdè irreligiosum est, aut venalis, quod absit, dicatur ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorũ cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium.

Ibidem. ex Cõcilio Triburiensi. Quid terra terram vendis? Memento quòd terra es, & in terram reverteris. Et alibi de homine dictum est, Terram teris, terram geris, & in terram converteris, qui de terra sumeris. Domini est terra & plenitudo ejus, non hominis.

Item ex Concilio Vaten. Præcipiendum est secundum canonum authoritatem, ut de sepulchris & hominibus sepeliendis nihil muneris exigant.

De purgatorio igne.

27.*q.*1.*C.Impudicus.*) Pœnitentia purificatorius vocatur ignis. Et est Canon Concilii Triburiensis.

Defunctos ignorare res nostras.

13.*q.*2.*Qui divina.*) De mortuis autem quæritur utrum sciant ea quæ à vivis geruntur. Esaias ex persona populi afflicti ait, Abraham pater noster nescivit.

Augustinus quoque in libro de agenda cura pro mortuis illud idem testatur, dicens. C.*Fatendum est.*) Fatendum est nescire quidem mortuos quid hic agatur dum hic agitur. Postea verò audire ab eis qui hinc ad eos moriendo pergunt, non quidem omnia, sed quæ sinuntur etiam isti meminisse, & quæ illos, quibus hæc indicantur oportet audire, &c.

De exequiis. August. in libr. de Cura pro mortuis agenda.

13.*q.*2.*Non æstimemus.*) Corpori humano quicquid impenditur, non est præsidium salutis, sed humanitatis officium.

Orationes viventium defunctis non prodesse. Hier.

13.*q.*2.*In præsenti.*) In præsenti seculo scimus, sive orationibus sive consiliis invicem posse nos adjuvari, cum autem ante tribunal Christi venerimus, nec Job, nec Daniel, nec Noë rogare posse pro quoquam, sed unumquenque portare onus suum.

Quòd defuncti non poßint nec excommunicari nec absolvi.

24.*q.*2.*Quod autem.*) Quòd autem post mortem nullus excommunicari valeat vel absolvi, ex verbis Evangelii monstratur,

tur, quibus dicitur: Quodcunque ligaveris super terram, &c. Super terram inquit, non sub terra, &c.

Et mox. C. *Legatur.*) Gelasius Papa. Mortuos suscitasse Christum legimus, in errore mortuos absolvisse non legimus. Et quia hoc tantùm faciendi solus habuit potestatem, beato Petro Apostolo principaliter mandavit: Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cœlis, & quodcunque ligaveris super terram, &c. Super terram inquit, nam in ligatione defunctum, nunquam dixit absolvendum. Atque hæc est symphonia catholica juris canonici, quantum ad decretum Gratiani attinet, cum scripturis canonicis, adeoque consensus orthodoxus doctrinæ ecclesiæ hodiè reformatæ, & veteris, prout illius dogmata compilavit Gratianus.

SUMMA LIBRORUM Juris quod vocant Canonici.

Primò continent Decretum à Gratiano collectum, Quod habet partes tres.

1. Continet Distinctiones 101.
2. Causas 36. intermixto tractatu de pœnitentia septem distinctiones continente. In causis tractantur non nisi juridica.
3. Tractatum de consecratione. Is habet distinctiones quinque.

Secutus Gregorius IX. libros quinque Decretalium compilavit.

1. De summa Trinitate & fide Catholica.
2. De Judiciis.
3. De vita & honestate clericorum.
4. De sponsalibus & matrimoniis.
5. De accusationibus, inquisitionibus & denuntiationibus.

Postea Bonifacius VIII. Sextum Decretalium addidit in Concilio Lugdunensi. Is habet libros quinque ut supra.

1. De summa Trinitate & fide catholica. Titulos habet. 22.
2. De Judiciis Tit. 15.
3. De vita & honestate clericorum Tit. 24.
4. De spõsalibus & matrimoniis Tit. 3.
5. De Accusationibus, Inquisitionib⁹, & Denuntiationibus.

Inde sequuntur Clementis V. constitutiones in Concilio Vienensi edita, quæ Clementinæ vocantur. Habent libros quinque.

1. De summa Trinitate & fide catholica.
2. De Judiciis.
3. De vita & honestate clericorum.
4. De consanguinitate & affinitate.
5. De magistris, & ne aliquid exigatur pro licentia docendi.

Postremò Extravagantes Ioannis XXII.

Sed nunc redeamus ad nostra PARATITLA.

JUS AD REM, & jus IN RE. Hæc duo differunt ut minus & majus. Sic v. g. infans natus ex Christianis parentibus habet jus ad baptismum: quando jam baptizatus est, habet jus in baptismo. Nos, quamdiu sumus in ecclesia militante, habemus jus ad vitam æternam: jam translati in ecclesiam triumphãtem, habemus jus in vita æterna.

JUSTITIA. Est 1. proprietas Dei essentialis *Psal.* 97. 6. *Esa.* 28. 29. 2. attributum Christi, ut est sponsor & mediator noster *Rom.* 5. *vers.* 18. 21. 3. vestis illa, quam nos in Christo induti subsistimus coram Deo ad vitam æternam *Genes.* 15. 6. *Matth.* 5. 6. *Rom.*

5.6.*Rom*.4.3. 2.*Cor*.5.21. 4. integritas, cui debemus ſtudere per univerſam vitam *Gen*.6.9. 5. juſtitia judicialis, quæ in foro & vita civili requiritur *Ezech*.45.9. 6. eleemoſyna, quæ eſt pars magna juſtitiæ *Matth*.6.1. 7. lex naturæ, *Rom*.1.32. 8. religionis Chriſtianæ profeſſio *Matth*.5.10. Huc itaque pertinent iſtæ diſtinctiones. Juſtitia eſt 1. increata, vel creata. 2. perſonæ, vel cauſæ ſive conſcientiæ. 3. Evangelica & imputata, vel legalis & inhærens. 4. univerſalis, vel particularis. 5. propria, vel aliena.

JUSTUS. Dicitur hæc vox 1. de Deo *Exod*.9.27.*Deut*.32.4. 2. de bonis angelis. 3. de Chriſto mediatore *Ierem*.33.16. 4. de homine, qui gratiam à Deo Patre propter mediatorem Chriſtum conſecutus, vitam ſuam ad præſcriptum legis divinæ magis magisque inſtituit. *Pſalm*.1.*v*.5.6. *Rom*.1.17. 5. de homine innocente, qui æquitatis & rectitudinis eſt amans *Exod*. 23.7. de hypocrita, qui ſe juſtum eſſe ſomniat, & talis haberi cupit. *Matt* 9.13.*Marc*. 2.17.*Luc*.5.32.

JUSTITIA SECULORUM, ſive, ÆTERNA. Angelus Gabriel in compendio Evangelii *Dan*. 9.24. inter Meſſiæ beneficia & hoc recenſet, tanquam colophonium, *Vt adducatur juſtitia ſeculorum*. Quibus verbis *primò* triſtem & deplorandum morbi noſtri ſtatum tacitè indicat: videl. privationem juſtitiæ & integritatis originalis, in quâ homo ab initio creatus erat: cujus defectum primi parentes noſtri ſtatim poſt lapſum ſenſerunt, quando ſe nudos animadverterunt, & à Dei conſpectu propterea abhorruerunt *Geneſ*.3 7.8.10. Pudendam iſtam nuditatem Hebræi ſignificanter vocant עֶרְוָה quam protoplaſti tegere conati ſunt foliis ficulneis. Sed fucus iſte Deum non latebat: ideoq; rejectis his naturæ corruptæ perizomatis, ipſemet eis tunicas pelliceas parat, iiſdemque eos induit: non quòd hæc revera veſtis eſſet, quâ עֶרְוָה noſtra coram Dei oculis rectè tegi potuiſſet, ſed quòd typus eſſet juſtitiæ Meſſiæ. Hæc eſt vera illa veſtis, quam angelus hoc loco appellat צֶדֶק עֹלָמִים *juſtitiam ſeculorum*, id eſt, ejuſmodi juſtitiam, quæ omnibus ſeculis, inde à conditu mundi uſque ad ejus finem, Deo ſit probata, & in quâ omnes ſancti inde à primordio rerum ſe coram Deo ſtiterint, & in eâdem gratiam ſint conſecuti. *Actor*. 4.12.*Hebr*.11.4. *& ſeqq*. Quemadmodum enim à condito mundo unus idemque æternus & univerſalis, adeoque omnium ſeculorum ſacerdos fuit, quem David *Pſalm*. 110. vocat לְעוֹלָם כֹּהֵן *ſacerdotem æternum*: ita etiam una eademque eſt juſtitia, per quam poſſunt homines corã throno Dei cõſiſtere. Sicut aũt una ſalutis ratio inde ab initio à Deo inſtituta fuit: ſic etiam una ejus doctrina & cognoſcendi ratio in mundo viguit. Quæ cauſa eſt, quòd *Apocal*.14.6. doctrina de Chriſto, per quam juſtitia hæc omnium ſeculorum credentibus, contradicente dracone & beſtiâ, annuntiata & applicata fuit, eodem prorſus ſenſu ÆTERNUM EVANGELIUM nuncupatur. Cæterùm phraſis illa, *Iuſtitia ſeculorum*, etiam notat juſtitiam æternùm valituram, & convenit cum iſta Eſaiæ, *cap*.45.17. *Iſraël per Dominum ſervatus eſt* SALUTE AETERNA: *non erubeſcetis, nec pudefietis in omnem æternitatem*. Porrò de juſtitia ſeculorum angelus dicit, illam *adduci* ſive *adferri*. Utitur enim voce לְהָבִיא, ut oſtendat juſtitiam illam extra nos in Chriſto eſſe quærendam: quippe quæ extra

nos ſita eſt, & extrinſecus nobis applicatur. Hic eſt habitus ille ſplendidus *Pſalm.* 45. 10. hæc veſtis illa nuptialis *Matth.* 21. 11. hæc tunica illa pretioſa *Luc.* 15. 22. hæ ſtolæ illæ albæ *Apocal* 6. 11. *cap.* 7. 14. hoc byſſinum illud ſplendidum *Apocal.* 19. 8. Confer *Ierem.* 23. 6. *In diebus ejus* (. Meſſiæ.) *ſalvabitur Iuda, & Iſrael habitabit fiducialiter: & hoc nomen ejus, quo vocabit eum:* JEHOVA JUSTITIA NOSTRA. Locus parallelus eſt 1. *Corint.* 1. 30. 31. Cur verò *Ierem.* 33. 16. de eccleſia dicitur, illam vocatum iri, JEHOVA JUSTITIA noſtra? *Reſp.* Id non activè, ſed paſſivè eſt intelligendum, eodem ſenſu, quo eccleſia 1. *Timoth* 3. 15. appellatur *columna & firmamentum veritatis.* Nimirum ſicut eccleſia eſt columna & firmamentum veritatis, non quod ipſa in ſe veritas ſit, aut veritatem ex ſe progignat, ſed quod ſola in mūdo per veritatem illuſtretur: ita eadem appellatur *Iehova juſtitia noſtra*, propterea, quòd Meſſias Jehova eam juſtificat & ſanctificat.

JUSTIFICO. Ex vi originis eſt juſtum facio. Sic *Apocal.* 22. *verſ.* 11. *Qui juſtus eſt, juſtificetur adhuc*, Cyprianus lib. de bono patientiæ ſic explicat: *Iuſtus adhuc juſtiora faciat*, hoc eſt, juſtior efficiatur virtute & opere. Frequentiſſimè tamen *juſtificare* in S. literis uſurpatur ut vox judicialis, & eſt idem, atque juſtum cenſere, declarare, pronuntiare, ſeu agnoſcere juſtitiam, quæ eſt in aliquo. Et hoc modo juſtificatio eſt actio Dei, peccatorem iræ obnoxium, ex mera ſua gratia propter Chriſti juſtitiam, pro nobis præſtitam, ac fide acceptam, juſtum cenſentis & pronuntiantis, adeoque vitam æternam ipſi adjudicantis. Unde patet τὸ juſtificare hoc loco eſſe, 1. idem, quod juſtum conſtituere, ſive cenſere & reputare *Roman.* 4. 11. 2. idem, quod juſtum pronuntiare ſeu abſolvere. *Roman.* 8 *verſ.* 33. 34. Prius illud eſt cauſa poſterioris. Plura de hujus vocis ſignificationibus vide in noſtris Polemicis.

Καρδιογνώσης. Eſt inſpector cordis, ſive, ut in hymno Ambroſii dicitur, Judex cordium. Hoc verò ſolius Dei eſt proprium: de quo ita Dracontius:

Quem non celantur, quæcunque obſcura geruntur.

Et Juvencus:

——— *Nil abdita clauſum*
Pectoris antra tegunt: præſens Deus omnia cernit.

Itaque

Peccatum vitæ, cernit Deus omnia Iudex.

Et, ut eſt in hymno Prudentii.

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, nec manus,
Oculive peccent lubrici,
Nec noxa corpus inquinet.

Speculator aſtat deſuper,
Qui nos diebus ſingulis,
Actuſq; noſtros proſpicit
A luce prima in veſperam.

Hic teſtis, hic eſt arbiter,
Hic intuetur quidquid eſt,
Humana mens quod concipit.
Hunc nemo fallit judicem.

KARAIM. Sunt lectionarii, ſcripturarii, textuales, à מִקְרָא ר, id eſt, lectione ſeu textu. Hoc nomine primitùs fuerunt appellati Sadducæi, qui legi ſcriptæ adhærebant, legem oretenus traditam, quam vocant, repudiantes. *Scaliger libro ſecundo de emend. temp.* ſummatim hæc habet: Hebræorum & Moſicolarum ſumma

ma divisio est in eos, qui πατροπαραδότους διαπεράσεις observant, & eos, qui ab eis sunt alieni. Priores appellantur Damasceni, Israelitæ, Hebræi, & Syri: posteriores Græci, & Babylonii. Tametsi enim & alteri ex reliquiis Babyloniorum erant reducti in patriam: tamen cognomine Hebræorum sive Israelitarum distincti sunt, quòd semper Hebraicis lectionibus operam dederũt, sicut alteri tantùm Græca Biblia in synagogis legerunt, adeò ut pauci inter illos Hebraicè scirent. In Actis Apostolorum non semel utrumque genus distinguitur ἑβραίων καὶ ἑλληνιστῶν appellatione. Vide suprà HELLENISTÆ.

Καταβαίνειν εἰς ᾅδου, *Descendere ad inferos.* Ad humiliationem Christi pertinet, quod in symbolo Apostolico dicitur, ipsum ad inferos descendisse. Quæ verba etsi lecta olim non fuerunt in ecclesiæ Romanæ aut Orientalis symbolis, & à vetustissimis quibusdam Patribus, dum vel summam fidei Christianæ colligunt, vel Apostolicum symbolum exponunt, nec quando inserta sint symbolo, certò statui possit: non sunt tamen nihili, si ad fidei analogiam exigatur ipsorum interpretatio. Nos primò recitabimus varias interpretationes, & nostram deinde subjungemus.

1. & 2. Quidam hunc descensum ad corpus Christi referunt, & intelligunt sepulturam, vel moram in sepulchro.

3. Quidam dicunt, animam Christi revera descendisse ad loca damnatorum.

4. Quidam animam Christi revera in limbum Patrum descendisse contendũt.

5. Quidam ajunt, animam Christi descendisse ad locum damnatorum, at non reali præsentia, sed tantùm divinitatis suę efficacia.

6. Quidam statuunt animam Christi descendisse in limbum Patrum, at non reali præsentia, sed tantùm virtuali.

7. Quidam existimant his verbis contineri anacephalæosin omnium quæ de externa humiliatione Christi dicta sunt.

8. Quidã putant descensum Christi ad infernum esse descensum ad mortem.

9. Quidam statuunt Christi descensum ad inferos esse actum illum, quo ipse mortuorum statum subivit.

10. Quidam arbitrantur intelligi dolores infernales, quos Christus à Deo veluti desertus pertulit.

Ex his interpretationibus tertia cum nona conjuncta est genuina. Nam Christus anima sua à corpore separata primò descendit in infimas partes terræ, id est, in locum damnatorum (. hic enim est infimus, sicut locus beatorum est suprem⁹.) ut præsentia sua pœnam eorum augeret, atque ab eo descensu triumphum suum inchoaret. Deinde anima ipsius in cęlum ascendit *Luc.* 23. 43. Deniq; corpus ipsius in sepulchro detentum fuit, atque hoc modo ipsi non solùm ab hostibus insultatum, sed etiam à discipulis derogatum. Atq; hæc tria complent statum mortuorum.

Καταλεισοι. 2. *Maccab.* 2. narratur ingens tumultus Hierosolymis factus, cùm Heliodorus urbem esset ingressus, ad templi thesauros regi Syriæ deferendos missus. In hoc tumultu αἱ κατάκλεισοι τῶν παρθένων. αἱ μὲν συνέτρεχον ἐπὶ τοὺς πυλῶνας, αἱ δὲ ἐπὶ τὰ τείχη, *Virginum, quæ conclusæ erant, aliæ ad vestibula concurrebant, aliæ ad parietes*, ut est vers. 19. d. c. Baronius hæc verba interpretatur de *virginibus reclusis in templo*: ita ut in populo Judaico fuerint virgines reclusæ, non minùs quàm po-

ſteriora ſecula monachos & moniales ἐγκλείστους, *incluſos*, quorum in eccleſiaſti-ſtica hiſtoria non infrequens mentio. Ad verba textus ſic adnotat Gloſſa ordinaria: *Virgines quæ concluſæ erant, id eſt, de domibus parentum non exibant, ratione verecundiæ & pudicitiæ virginalis: tamen in illâ turbatione exibant præter morem ſolitum currentes ad Oniam. Aliqui tamen exponunt hoc, dicentes, quòd aliquæ virgines nobiles prope templum cuſtodiebantur incluſæ, uſquequò nuptui traderentur.* Sic Gloſſa. Prior interpretatio eſt vera: poſterior, mera eſt hariolatio. Fruſtra itaque eſt Baronius, qui poſteriorem interpretationem ſequitur. Nam virgines κατάκλειστοι, *concluſæ*, non ſunt religionis cauſa recluſæ: ſed eſt honeſtiorum virginum epithetum, ut Grammatici appellant, perpetuum. Olim enim apud Judæos, Græcos pleroſque & Romanos, virgines domi continebantur in propriis œcis, quos Græci appellarunt παρθενῶνας, *cellas virginales*: eratque ea pars gynæconitidis. Icci rco non minùs apud poëtas Græcos, quàm in libris Maccabaicis, virgines dicuntur κατάκλειστοι. Sic Hebræi virginem appellant עלמה q.d. abſconditam, κατάκλειστον. Unde Hieronymus in Quæſtionibus, ſeu Traditionibus Hebraicis: ALMA, *quod interpretatur abſcondita, id eſt, virgo nimiâ diligentiâ cuſtodita.* Multa de hoc inſtituto Judaico ſcribit Philo in libro de legibus in ſpecie. Vide *Caſaubonum exercit.* I. *num.* 23. Κηφᾶς. Vide *Cipha*.

Κλειδουχία. Eſt κλειδῶν ἐξουσία, id eſt, poteſtas clavium, ſeu poteſtas ligandi & ſolvendi, Eccleſiæ à Chriſto relicta. Hæc autem nihil eſt aliud, quàm poteſtas peccata retinendi condonandique, & regnū divinum aperiendi & claudendi eo, quo Chriſtus juſſit, modo.

Κοινωνία. Vide COMMUNIO. Hîc ſolùm illud obſerva. Etſi communio noſtra cum Chriſto à Spiritu ſancto ordinariè efficitur per verbum & ſacramenta: tamen nomen *Communio* Euchariſtiæ tribuitur κατ' ἐξοχήν. Hinc Thomas part. 3. quæſt. 73. artic. 4. *Dicendum, ait, quòd id quod eſt commune omnibus ſacramentis, attribuitur huic antonomaſticè, propter excellentiam.* Et Dionyſius hierarch. eccleſ. cap. 3. ait, κοινωνίαν ἐνιαίως ἀναχόρευθαι, *communionem peculiariter uſurpari*, de euchariſtia; quòd illa perficiat reliqua ſacramenta, & ſit illorum quaſi conſummatio. Nam peculiari modo hoc ſacramentum inſervit conjūctioni noſtræ cum Chriſto: videl. per manducationem & bibitionem myſticā.

Κοινωνία ἰδιωμάτων. Vide COMMUNICATIO IDIOMATUM.

Κρύφιον δόγμα. Eſt doctrina clandeſtina. Hoc nomine Celſus, ut refert Origenes, ludibrii cauſa religionem Chriſtianā ſubinde vocitabat. Origenes verò hanc calumniam diluens, oſtendit, falſum eſſe capita doctrinæ Chriſtianæ omnia occultari.

Κύριε ἐλέησον. Vulgo pronuntiatur *Kyrie eleiſon*, eſtq; Latinè, Domine miſerere. *Gregor. M. epiſt. 63. l. 7.* ſic ait de hâc precandi formula: Kyrie eleiſon autem neq; diximus, neq; dicimus, ſicut à Græcis dicitur. Quia in Græcis ſimul omnes dicunt. Apud nos autem à clericis dicitur, à populo reſpondetur, & totidem vicibus etiam Chriſte eleiſon dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. Cæterùm hæc precum formula etiam paganis in ore fuit, ut colligere eſt ex *Arriano libr. 2. cap. 7.* Νῦν δὲ τρέμοντες τὸ ὀρνιθάριον κρατοῦμεν, καὶ τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι

μενοι

μένοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον, ἐπίτρεψόν μοι ἐξελθεῖν. Sed de formula hac, prout Christianis fuit usitata, vide *Basilium epist.63. & August.epist.178.*

LABARUM. *Sozomenus hist. eccles. lib. 5. de Constantino M.* Jussit viros eruditos ex auro & lapidibus pretiosis in vexillum crucis conformare signum, quod *labarum* vocabatur, τὸ παρὰ Ῥωμαίοις καλούμενον λάβωρον. Hoc enim signum bellicum inter alia pretiosius erat, eò quòd imperatorem præcedere, & adorari illud à militibus moris esset. *Aldhelm. de laud. virg.* Præmisso Christi labaro tutus, & Christi vexillo armatus. *Prudentius libr. 1. contra Symmachum:*

Christus purpureum gemmati textus in auro
Signabat labarum —— ——

Monebat milites de imperatoriæ causæ justitia, quam Dei gratia essent defensuri. Ergo fiducia læti eventus per hoc signum erectum ad laborem fortiter obeundum milites excitabantur. Hinc putatur dictum quasi *laborum* levamen, καμάτων λυτήριον, ut ait *Gregor. Nazianz. orat. 1. in Iulian.* Alii alias adferunt notationes. *Lilius Gyraldus dial. 25.* adfert duas hasce: *quòd labarum* σημεῖον τῆς μεγάλης εὐσεβείας *signum magnæ pietatis fuerit*: aut *quòd à Constantino captum fuerit labarum*: nempe à λαβεῖν, unde εὐλάβεια *religio*. Itaque labarum cum Hadriano Junio potest verti *vexillum sacrum*, ein Kirchenfahne. De labaro vide *Ambros. lib. 5. ep. 29. Minutium dialog. adversus gentes. Euseb. l. 2. de vita Const. Niceph. l. 7. c. 36. Paul. Diac. lib. 11. hist.*

LABIUM. Est 1. pars corporis *1. Sam. 1. 13.* 2. idioma, sive sermo *Gen. 11. v. 1. 6. 9.* os, lingua, & loquendi facultas & actus *Exod. 6. v. 12. Iob. 1. 22. Prov. 4. 24. 1. Petr. 3. 10.* 4. limbus, seu ora extrema alicujus rei. *Exod. 25. v. 24. 25. 1. Reg. 7. 23.*

LABOR. Hoc nomē 1. significat ipsum officium, seu opus *Iob. 5. 7.* 2. est molestia tum corporis, tum animi in quacunque vocatione *Gen. 3. 17. Eccles. 1. 3.* 3. est perversitas. *Psal. 55. 11. Esa. 59. 4.* 4. tribuitur Deo per ἀνθρωποπάθειαν *Esa. 43. 24. Malach. 2.*

LACUS IRÆ DEI. Sicut in Apocalypsi per mare non semel significatur doctrina evangelii, ut illa per totum orbem viget: ita per lacum iræ Dei ibid. *cap. 14. 19,* intelligitur doctrina regnumque Antichristi, quod etsi magnum sit, tamē non est mare, sed lacus, qui suis litoribus, h.e. ecclesiæ Romano-Catholicę (sic ipsimet loquuntur) finibus includitur, intraque eosdem ita coarctatur, ut à mari, quasi manufactus quidam lacus, separetur. In hunc lacum impii conjiciuntur, ut ibi torqueantur ipsorum conscientiæ. Hîc velim notari, ecclesiam catholicam, quatenus illa externa sensuiq; exposita est, ab aliquot seculis in tres ferè partes fuisse distributam: in ecclesiam nempe Latinam, Græcam, & Æthiopicam. Harum autem omniū ea fuit ratio, ut à puritate sua sensibiliter degeneraverint, sed ita, ut Græca & Æthiopica in multis puriores manserint, quàm Latina, quæ per suos characteres à reliquo catholico orbe, tanquam à mari, regnum suum, tanquam lacum, separavit. In hoc lacu moriuntur animalia, id est homines, qui aquas ejus, i.e. dogmata hauriunt.

LAICUS. Est plebejus, popularis, communis, à λαός. *1. Sam. 21. v. 4.* in veteri versione leges *panes laicos*, apud Ariam Montanum *panem laicorum*, id est, quo laici, seu quilibet homines, possunt vesci. *Cujacius ad Novell. 3. Iustin.* hæc habet: Cle-

rici sic definiuntur, qui divino cultui ministeria religionis impendunt. Hujusmodi sunt presbyteri, diaconi utriusque sexus, subdiaconi, archidiaconi, lectores divinæ scripturæ, exorcistæ, ostiarii, psaltæ, & Hermiæ ὑποβολεῖς, id est, monitores, vel potiùs interpretes, ut apud Nicetam; qui omnes ministri etiam Christianæ legis dicuntur in constitutionibus. Propriè cùm clericos dicim⁹, acoluthos, copiatas, parabolanos non dicimus. Cæteri, qui nullum habẽt, ut loquuntur, clericorum σχῆμα, plebeji appellantur, idiotæ, laici, mundani. Quæ distinctio Christianorum vetus est: licet, si generaliter rem tractes, omnes sint clerici, omnes sacerdotes. *Theophylactus in Marc.* 4. Οἱ μὲν εἰσι παρθένοι καὶ ἐρημικοί. ἄλλοι μεγάδλες καὶ ἐν κοινοβίῳ. ἕτεροι λαϊκοὶ καὶ ἐν γάμῳ. Aliter laici dicuntur seculares, & opponuntur ecclesiasticis.

LAMPADARIUS. Λαμπαδάριος erat inter officia ecclesiastica: Præferebat facem imperatori & imperatrici in liturgia, processu, aut profectione aliqua. Atque hæc quidem fax, si imperatoris esset, corolla aurata gemina cingebatur: si imperatricis aut patriarchæ, unâ tantùm. Idem cum patriarchâ jus habebant, ex speciali imperatoris indulgentia, archiepiscopi Bulgariæ & Cypri, & pauci nonnulli metropolitani, qui αὐτοκέφαλοι erant, nec patriarcham Constantinopolitanum pro superiori agnoscebãt. Innuebat autem hæc fax, curandum illis esse, ut ita luceret lux eorum, secundùm textum evangelii, qui est *Matth. cap.* 5. Sic *Meursius in Gloss. Græcobarb.*

LAMPAS. In Scripturis est hieroglyphicum fidei salvificæ, quæ profert opera instar lãpadis lucẽtia. *Matt.* 25. *v.* 1. 3. 4. 7. 8.

LANGUORES. Peccata electorum, quæ Christus expiavit, hoc nomine appellantur *Esa.* 53. 4. illustri sanè metaphora.

LAPIS. Est 1. vulgaris *Gen.* 28. 11. 2. pretiosus *Gen.* 2. 12. *Exod.* 24. & 28. 3. symbolum perfugii & protectionis. *Gen.* 49. 24. 4. symbolum fundamenti *psal.* 118. 22. *Esa.* 28. 16. 5. symbolum offensionis. *Esa.* 8. 14.

LAPIDATIO. Erat supplicii genus apud Judæos. Lapidabantur autem 1. incestuosus accedens ad matrem, patris uxorem, filii uxorem, puellam desponsatam, masculum, jumentum. 2. blasphemus. 3. idololatra, offerens de semine suo idolo Molech. 4. violans sabbatum. 5. maledicens patri aut matri. 6. impellens, seu incitans ad idololatriam. 7. filius immoriger⁹.

LAPIDES MYSTICI. Sunt ædificium spirituale ecclesiæ *Esa.* 54. *v.* 11. 12. 1. *Petr.* 2. 5. Deinde etiam adumbrant summam ecclesiæ triumphantis felicitatem *Apoc.* 21. *v.* 11. 18. 19.

LAQUEUS. Est 1. laqueus aucupis *Prov.* 7. 27. 2. laqueus suspendii *Matth.* 27. 4. 3. laqueus Dei, h.e. judicium Dei adversus homines *Esa.* 8. 14. 4. laqueus diaboli. 1. *Tim.* 3. 7. 5. laqueus hominis h.e. periculum ab homine paratum *Psal.* 9. 16. 6. laqueus conscientiæ 1. *Cor.* 7. 35.

LATITUDO. Usurpatur etiam de spiritualibus: ut *Ephes.* 3. *v.* 18. dicitur salutis latitudo, longitudo, altitudo & profunditas: quia salus nobis parta est omnibus suis numeris & partibus absoluta. *August. serm. in fest. omn. sanct.* aliò transfert: Latitudo, *inquit*, est in bonis operibus: longitudo in longanimitate & perseverantia bonorum operum: altitudo in supernorum expectatione præmiorum: propter q̃ altitudinem dicitur tibi, ut sursum habeas cor. Benè operare, & in bonis operib. persevera

ſevera propter beneficia. Terrena pro nihilo æſtimes: ne cùm tibi aliquo ſapientis iſtius flagello terra iſta fuerit perturbata, dicas, te ſine cauſa coluiſſe Deum, ſine cauſa bona opera feciſſe, ſine cauſa in bonis operibus perſeveraſſe. Faciendo enim bona opera quaſi latitudinē habuiſti: perſeverando in eis, quaſi habuiſti longitudinem: ſed terrena conquirendo, non habuiſti altitudinem. Attende profundum. Gratia Dei eſt in occulto voluntatis. *Ibidem coaptari hæc jubet cruci Domini, & ait*: Latitudo in cruce tranſverſum lignum, ubi figuntur manus: propter bonorum operum ſignificationem. Longitudo eſt in ea parte ligni, quæ ab ipſo tranſverſo ad terram tendit. Ibi enim corpus crucifigitur & quodammodo ſtat: & ipſa ſtatio perſeverantiam ſignificat. Altitudo autem in illo ligno eſt, quod ab eodē tranſverſo ſurſum verſus ad caput eminet: & eâ ſignificatur ſupernorum expectatio. Ubi profundum, niſi in ea parte quæ terræ defixa eſt? Occulta eſt enim gratia, & in abdito latet. Non videtur: ſed inde eminet, quod videtur. Quomodo poſſint hæc in variis locis theologicis adhiberi vide in noſtra Propheticâ. Eſt etiam quædam *latitudo amoris*, qua cor noſtrum explicamus erga Deum, ut ei grata faciamus promtè & hilariter, & qua, quoad ejus per conſcientiam poſſumus, nos proximi ædificationi accommodamus, & ei veluti cōdeſcendimus. Hęc eſt lex, ut *Auguſtinus ait conc.* 11. *in pſal.* 118. quæ filiis æternæ hæreditatis ſancto Spiritu, tanquam digito Dei, in mente datur, & in cordibus ſcribitur: non quam memoria teneant & vita negligant, ſed quam ſciant intelligendo, faciant diligendo *in latitudine amoris*.

LATRIA. Λατρεία eſt ſervitus: ſicut & δουλεία. Iſta tamen diſtinguuntur. Nàm Græcis Patribus λατρεία eſt adoratio uni Deo debita, & mediatori Chriſto θεανθρώπῳ: δουλεία autem & Deo & hominibus tribuitur. Itaque λατρεία erit ſummus ſervitutus gradus; qui, ut & dilectionis, ſoli Deo debetur. Hinc *Auguſtinus quæſt. ſuper Exod. li.* 2. 94. ait: Δουλεία *debetur Deo, tanquam Domino*: λατρεία *verò non niſi Deo tanquā Deo*. Itaq; falſis diis λατρεύειν eſt idololatria. Gręci Patres λατρείαν vocant quidquid fit in cultum & honorem Dei: ut ſunt pſalmodia, matutina & veſpertina liturgia, ſynaxis ſacra &c. *Auguſtinus contra Fauſt. Manich. lib.* 20. *c.* 21. egregiè hac de re diſſerit: Colimus martyres, eo cultu dilectionis & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſentimus. Sed illos tantò devotiùs, quantò ſecuriùs, poſt incerta omnia ſuperata: quantò etiam fidentiore laude prædicamus jam in vita feliciore victores, quàm in iſta adhuc uſq; pugnantes. At illo cultu, qui Græcè latria dicitur, Latinè uno verbo dici non poteſt, cùm ſit quædam propriè divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum Deum. Cùm autem ad hunc cultum pertineat oblatio ſacrificii, unde idololatria dicitur eorum, qui hoc etiam idolis exhibent: nullo modo tale aliquid offerimus, aut offerendum præcipimus, vel cuiquam martyri, vel cuiquam ſanctæ animæ, vel cuiquam angelo: & quiſquis in hunc errorem delabitur, corripitur per ſanam doctrinam, ſive ut corrigatur, ſive ut caveatur. Ipſi enim ſancti, vel angeli, vel homines exhiberi ſibi

nolunt;

nolunt, quod uni Deo deberi norunt. *Thomas 3. secunda d. 9. art. 1. Scot. d 9. l. 3.* Sic docent hac de re: Nomen *latria* potest æquivocè accipi: uno modo pro cultu sive reverentia exhibita Deo in actu interiori, ratione summi dominii, vel summi boni: vel pro reverentia exhibita Deo actu exteriori, vel actu inclinante ad talem actum. *Bonaventura d. 9. a. 2. q. 3. l. 3.* Si latria dicitur cultus interior, cùm ille cõsistat in credẽdo, & diligendo, & sperando Deum: sic est virtus theologica. *Iac. de Valent. Psal.* 28. Latria est cultus soli Deo debitus ratione summæ omnipotentiæ, & majestatis, & sapientiæ, & bonitatis; & in munere & confessione laudis & adoratione consistens. Et sic de jure propter seipsum debetur Deo ipsa latria. Sed adhuc Christo & Deo Patri, respectu nostri, debemus & tenemur exhibere latriã propter tria beneficia recepta, scil. creationis, redemtionis, & glorificationis, & ratione victoriç & triumphi, quem Christus obtinuit de mundo & diabolo. *Idem Psal.* 95. Latria consistit in tribus, scil. in confessione fidei & laudis cum munditia cordis, & in oblatione & adoratione. Ex his constat, latriam deberi Deo & Christo. Et Deo quidem: tanquam summo bono. Christo autem duobus modis. 1. quatenus est Deus unà cum Patre & Spiritu sancto. 2. quatenus est redemtor. Qui posterior latriæ modus dicitur ἀξίωμα Christi proprium. Hac de re *Zacharias Ursinus in refutatione Catechismi Anabaptistici & Samosatenici* eleganter differit hunc in modum: Honor, qui Christo debetur, est agnitio perfectionis & gloriæ, quæ utriusque naturæ propria est, & officii, ac beneficiorum, quæ totius personæ ex utraque natura constantis ἀποτελέσματα θεανδρικὰ sunt, i. e. effectus, ad quos utriusque naturæ operatio requiritur. Hinc fit, ut quemadmodum officii, sic honoris nomina, si pro toto officio vel honore sumantur, personæ Christi utriusque naturæ respectu tribuantur. Realiter enim utrique naturæ competunt, licet non eodem sensu & modo. Sicut Christus vivificat, sic etiam ab ipso petenda & fide accipienda est vivificatio, & gratiarum actione celebranda. Neutri naturæ vel sua beneficia detrahit, vel alterius naturæ propria tribuit, vera erga Deum & Filium ejus gratitudo. Neque propterea duplex fit fides, aut adoratio. Eadem enim & una est persona, constans duabus naturis. Quapropter una quoque & eadem fides, unus honor est, tribuens huic personæ, quod cujusque naturæ proprium est. Neque fit naturarum confusio, sed honoris utrique naturæ debiti in persona conjunctio. Apprehendit ergo fides totũ Christum, & utramque ejus naturam, & utriusque beneficio salutem se consequi statuit: sed non eadem statuit de utraque ipsius natura: de Deitate credit, quæ Dei propria sunt: de humanitate, quæ non tantùm humanitatis, sed etiam humanitatis Deo unitæ propria sunt. *Ibidem ait*: Fides in Christum duo complectitur, fiduciam divinæ potentiæ Christi, dandi seu conferendi nobis salutem & vitam æternam; & fiduciam meriti sive sacrificii & intercessionis ipsius, propter quam nobis Deus dat vitam per ipsum. *Item*: Christi & Dei Patris & Filii idem honor est: at non deitatis & humanitatis Christi idem honoris gradus vel eædem honoris partes: nisi per idiomatum communicationem loquendo: sicut unus honor defertur homini, & tamen non eædem partes

illius

illius honoris tribuuntur ei, animæ & corporis respectu. Idem docet *Augustinus tract.* 23. *in Iohan.* his verbis: Honoratur Christus homo, sed nō sicut Pater Deus. Is enim est honos, qui soli Deo debetur. *Scotus in sent. lib.* 3. *dist.* 9. ait: Non debet excludi à termino adorationis caro: licet ipsa non sit ratio adorandi. *Ibidem*: Christus secundùm naturam humanam etsi fuit redemtor, non tamen secundùm istā naturam principaliter effecit redemtionem, sed tota Trinitas: & ita salutem nobis collatam per redemtionem, tantùm effecit meritoriè ut homo. Plura vide suprà ad titulum DULIA. Teneantur hîc illa Epiphanii, *Lib.* 3. *contra Pneumatomachos, hæresi* 74. ait: οὐ λατρευτέα δὲ κτίσις, Non adoranda autem creatura. Et *lib.* 2. *contra Origenem, hæresi* 64. πᾶν γὰρ τὸ κτιστὸν, οὐ προσκυνητὸν, Omne creatum, non adorandum. Objicitur ex *Psalm.* 99. *v.* 5. *Adorate scabellum pedum ejus.* Sed tenendum, vulgò sic verti perperam. Nam in Hebræo est, *Incurvate vos ad scabellum pedum ejus.* Itaque locus adorationis, non verò objectum, quod est solus Deus, indicatur.

Λατρεία τῆς οἰκονομίας. Epiphanius ita vocat sacram cœnam q.d. cultum dispensationis. Eadem dicitur λατρεία ἀναίμακτος, *cultus incruentus.*

LAZARUS. Est nomen viri *Luc.* 16. *Tertulliano* appellatur Eleazar, *libro de idololatria*, his verbis: Seculo gaudente lugeamus: & seculo postea lugente gaudebimus. Sic & Eleazar apud inferos in sinu Abrahæ refrigerium consecutus, contrà dives in tormento ignis constitutus alternas malorum & bonorum vices æmula retributione compēsant. Sunt quidam dies munerū, qui apud alios honoris titulum, apud alios mercedis debitum expungunt. Juxta hanc sententiam Lazarus erit *adjutorium Dei*, tāquam עזר אל. Sed placet etymon Fulleri, qui lib. 1. miscell. sacr. c. 10. ait, *Lazarus* esse nomē compositum ex Syriaco לא & עזר, pro quo Hebræi dicunt לא עזר, *non auxilians*, scil. ei. Hoc pacto Lazarus erit idem quod Inops. Cæterùm ex nomine Λάζαρος fecerunt & Græci appellativum: unde & *Lazaretum.* Ita verò dicuntur leprosus, & domus leprosorum. Ille quidem Lazarus, hæc autem Lazaretum.

LAVACRUM. In Scriptura fit mentio duplicis lavacri mystici: videl. sangvinis Jesu Christi, & baptismi. Confer *Eph.* 5. 26. *Tit.* 3. 5.

LAUS. Hæc vox significat 1. cultum glorificationis & gratiarum actionis soli Deo debitum. *Psal.* 8. 3. & 22. 26. *Luc.* 16. 43. *Eph.* 1. *v.* 6. 12. 14. 2. Ipsum Deum. Ille siquidem metonymicè dicitur laus suorum, i. e. subjectum & argumentum laudis atque gloriæ quam fideles ei tribuunt, & in quo gloriantur ac exultant *Exod.* 15. 2. *Deut.* 10. 21. *Psal* 22. 4. & 109. 1. & 118. 14. *Esa.* 12. 2. *Ierem.* 17. 14. 3. gloriam quæ tribuitur fidelibus. *Sophon.* 3. 19. *Rom.* 2. 29. 1. *Cor.* 4. 5. 4. hymnū sive psalmū *Ps.* 72. 20.

LEO. Hebraicum אריה putatur compositum ex ארר, *fascino illigavit*, & ראה, *vidit*: quòd animalia conspecto leone terreantur & veluti fascinentur. Quæ notatio optimè quadrat in diabolū & clerum antichristianum. Unde ille leo appellatur 1. *Pet.* 5. huic capita leonina tribuunt. *Apoc.* 9. Ubi & illud observādū est, perpetuum leonum προσκείμενον esse fœdū oris halitum, quo plus nocere traduntur animalibus, quàm terribili dentium acie. Præterea rictus & mugitus leonis est terroris plenus. Confirmatur itaq; per hæc con-

ſcientiarum illa excarnificatio, qua diabolus & antichriſtus animam torquent. Deinde Deus figuratè dicitur leo, à judiciorum effectu *Thren.*3.10. Tertiò Chriſtus appellatur leo de tribu J da, quia eſt rex & protector eccleſiæ oriundus ex tribu iſta. *Apoc.* 5. 5. Quartò leo dicitur quivis incredulus & impius, voce Chriſti cicurãdus, & ad communionem ſanctorum adducendus, ut ferocitate omni depoſita pacem colat, & ovis ingenium induat *Eſa.*11.*v.*6.7.*c.*65.25. Quintò leonum effigies ex auro & ære conflatæ appellantur leones 1.*Reg.*7. Denique homines crudeles, nominatim tyrãni, & eccleſiæ perſecutores appellantur leones *Pſal.*22.22. 2.*Tim.*4.*v.*17.

Leviathan. Eſt balæna *Iob.*40.*&*41. *&* *Pſ.*104. Metaphoricè ſignificat proceres in mundo, qui ſe cum Satana efferunt adverſus populũ Dei, propter vim & fraudes, quas exercent in homines, ut balæna in piſces. *Eſa.*27.*v.*1.

Levita. Eſt nomen patronymicum: vid. qui eſt ex familia Levi. Deinde ex patronymico ceſſit in religioſum nomen: quia Levitæ aſſumti ſunt ad eccleſiaſticarum rerũ adminiſtrationem; aſſumti, inquam, loco primogenitorum, qui initiò à tẽpore cædis primogenitorũ in Ægypto Deo erant conſecrati. *Num.*3 *&* 4. Plutarchus horum Levitarũ meminit *in fine* 4. *Symp.* Sed ineptè illos à Lyſio vel ab Evio dictos putat. Porrò hoc nomen tranſtulerunt etiã ad N. Teſtamentum. Nam *Iſidorus li.*7.*c.*12. ait, Levitas Græcè diaconos, Latinè miniſtros dici.

Lex. Primò ſignificat regulã vitæ. Quo ſenſu Scriptura dividitur in legẽ & evangelium. Eſt a. lex alia *archetypa*, putà Deus, omnis ſanctitatis norma perfectiſſima: alia *ectypa*, expreſſa ad divinum originale. De hac Rabbini ſcribunt, illam à quatuor legislatoribus profectam eſſe: videl. ab *Adamo*, qui trium (.alii dicunt ſex.) præceptorum legẽ tradiderit: à *Noacho*, qui ſeptem: ab *Abrahamo*, qui decẽ habuerit: & tandem à *Moſe*, qui 613. (.quot literæ ſunt in decalogo.) præceptorũ legẽ, adeoq; omnium perfectiſſimã, promulgaverit. Quem præceptorũ numerũ in duas claſſes dividunt: in præcepta nimirum, jubentia ſeu affirmativa, & prohibentia ſeu negativa, ſive, ut ipſi loquuntur,

מְעֹוֹת עֲשֵׂה וְלֹא תַעֲשֶׂה

Jubentium 248. numerant, quot dicunt eſſe mẽbra corporis humani: prohibentia verò 365. ſtatuunt, juxta numerũ dierum anni ſolaris. Per hoc ergo indicatum volunt, Moſis legẽ tam perfectam eſſe, ut univerſum hominem cum omnib. potentiis, facultatibus, & mẽbris ſuis, per ſingulos anni dies, & omnia temporũ momenta obliget. Porrò ſexcẽta iſta & tredecim præcepta (.cujus numeri ſymbolum eſt בְּתוֹרָה.) à nemine mortaliũ impleta eſſe ipſi fateri coguntur. Hinc de *Davide* dicũt, quòd illa omnia impleverit, exceptis illis undecim, quorũ *Pſal.* 15. mentionẽ facit. Quod ſi ita eſt, & David illa viri boni κατορθώματα, quæ ibidem recenſet, ipſemet non obſervavit, neceſſe eſt, eum omnium mortalium nequiſſimũ fuiſſe. De *Eſaia* verò iidem nugantur, eum ſuperaſſe Davidẽ quinq; præceptorum obſervatorum adjectione: ſex tamẽ illa, quæ recẽſet *cap.*33.15. ad plenã perfectionem ei defuiſſe. Verùm ſi Eſaias in iſtis ſex defecit, quid de illius perfectione ſtatuendũ ſit, nemo nõ videt. Sed Eſaiæ ſupervenit *Micheas*, qui juxta illorum judicium in impletione legis uſq; ad tria præcepta progreſſus eſt, in quibus nempe

nempe ejus virtus defecit: quæ ab illo recitantur *cap.6.* 8. Sed hos omnes tandem unus *Habbacuc* perfectione vicit. Nā huic ad plenariam omnium præceptorum observationem unum saltē defuit, fides nimirū, propterea quòd ipsemet dicat *c.2.4.* *Justus per fidem suam vivet:* quorum verborum hunc sensum esse volunt: Tum demum pro justo haberi potuissem, si fidem servassem. Secundùm q̄ opinionē ei, quē in summo perfectionis gradu collocant, nihil defuit, quàm quòd perfidus & infidelis fuit. Deinde lex ectypa est *nō scripta, vel scripta.* Illa mentibus omnium est impressa à Deo *Rom.2* hæc literis est consignata; idq; vel à Deo, vel ab hominibus. Unde dividit̄ hæc lex in divinā & humanam. Rursus lex divina est moralis, ceremonialis, vel judicialis. *Lex moralis* est expositio legis naturalis à Deo p angelos & Mosen tradita. *Lex ceremonialis* est sciagraphia & delineatio cultus divini, ad formā reip. Israeliticæ accōmodata. *Lex judicialis,* sive forēsis, est sciagraphia officiorum civilium in repub. Israelitica. Tertiò lex est *perpetua, vel temporaria.* Quartò lex est *simplex, vel mixta*: & hæc est vel ceremonialis & judicialis, vel judicialis & ceremonialis, vel ceremonialis & moralis, vel denique judicialis & moralis. Deniq; lex est *vetus, vel nova.* Lex vetus dicitur ambiguè. Aut enim significat legem moralē à Mose traditam, aut leges ceremoniales & politicas populi Judaici. Similiter lex nova dicitur ambiguè. Aut n. significat evangelii doctrinā, aut legem moralē à Christo renovatam, id est, à glossis Pharisæorū vindicatā & pristino nitori restitutam, aut deniq; mādata Christi de baptismi & cœnæ administratione. De phrasi ista *lex gratiæ* idē est judiciū. Sed paulò altiùs repetamus significationes hujus vocis. Lex dicit̄ respectu Dei, vel hominū. Respectu Dei lex est 1. doctrina universa divinitùs patefacta *Ps.1.2.* 2. doctrina Mosis in pentateucho tradita, præsertim moralis & ceremonialis *Deut.4.8.* 3. Lex moralis *Exod.24.12.* 4. lex ceremonialis *Exod.12.49.* 5. lex judicialis *Exo.18.16.* 6. Genesis *Gal.4.21.* 7. Exodus *Neh.8.14.* 8. Leviticus. *Ioh.8.5.* 9 Numeri. *Heb.7.5.* 10. Deuteronomium *Ios.8.31.* 11. rigor legis *Ro.6.14.* 12. doctrina evangelii *Esa.2.3. Ier.31.33. 1.Cor.9.21.* 13. vis Spiritus Dei *Ro.7.23.* 14. doctrina quælibet *Ro.3.27.* 15. religio. *Phil.3.27.* Respectu hominum lex est 1. statutum *Esth.3.8.* 2. institutio recta *Prov.1.8.* 3. vis peccati. *Rom.7.23.*

LEX NOVA. Hoc nomine solent appellari præcepta evāgelica: ut cùm Christus ait *Ioh.13. Præceptum novum do vobis, ut inter vos ametis, ad quem modum ego vos amavi.* Atq; hinc est, q̄ Christus appellatur *legifer* in Antiphonâ *O sapientia*, his verbis: ò Emanuel rex, & legifer noster, expectatio gentium, & salvator earum: veni ad salvādum nos Domine Deus noster. Cæterùm præcepta evangelica sunt: vel de fide, ut *Credite evangelio*: vel de operibus ex fide præceptis, ut *Ita luceat lux vestra coram hominibus*: vel denique de ceremoniis essentialibus & perpetuis in N. T. ut *Ite & docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.*

LIBELLATICI. *Erasmus in Annotat. supra Cypr.* hāc vocē breviter sic explicat: *Sacrificati* dicebant̄ eā ætate, qui metu malorū eò ptrahebantur, ut idolis etiam sacra facerent. Hos eosdē alicubi vocat *thurificatos.* Qui nō incendissent thura idolis, sed p libellos tantùm dedissent nomina, *libellatici* vocantur. Vide *Cyprianum l.4. epist.2.* Cùm inter ipsos, qui sacrificaverunt (*sunt*

verba Cypriani.) multa sit diversitas: quæ inclementia esset, quæ acerba duritia libellaticos, cum iis, qui sacrificarint, jungere? *Et paulò antè*: Nec tu existimes, frater charissime (.sicut quibusdam videtur.) libellaticos cum sacrificatis æquari oportere: quando inter ipsos etiã, qui sacrificaverint, & conditio frequẽter & causa diversa sit? *Ibidem ait*: Iste, qui libello maculatus est. *Augustinus epist.* 164. Ex quo autẽ genere sunt, qui vel thurificare idolis, vel codices divinos tradere, quàm mori maluerunt, nisi ex eorum, qui sua quærunt, non quæ Jesu Christi.

LIBELLUS IN ORE DULCIS, IN VENTRE AMARUS. Per hunc *Apoc.* 10. indicatur, mysterium iniquitatis mundo ita debere obrepere, ut illud non solùm nõ respuat, sed etiã tanquã suaves delicias appetat; ita quidẽ, ut malignitas ejus nõ deprehẽdatur priùs, quàm postquã ad intestina pervenit, & per sequẽtes phialarum plagas in ecclesia & politia operari cœpit. Tum, inquam, quando huic pesti non ampliùs resisti poterit, stultitiam suam deprehendent ii, qui in bestiæ amplificatione tantum devotæ operæ posuerint. Hoc cœpit impleri superiori seculo, & hoc nostro magis magisque implebitur: ita ut de hoc tempore usurpari possit illud *Zach.* 5. 4. de quo alibi diximus ad tit. FUR.

LIBER. Est 1. justum volumen, ut liber Samuelis 1. *Chron.* 29. 29. 2. brevis recensio *Gen.* 5. 1. 3. syngrapha, sive contractus, & tabella emtionis *Ier.* 32. *v.* 10. 11. 12. 14. 16. 44. 4. epistola *Esa.* 37. 14. & 59. 1. *Ier.* 29. *v.* 25. 29.

LIBER ABSCONDITUS. Hoc nomine à quibusdam appellatur Apocalypsis Johannis.

LIBER DEI. LIBER VITÆ. LIBER VIVENTIUM. Hæc sunt synonyma, & significant prædestinationem divinã, quâ certos homines elegit ad vitam æternam. *Exod.* 32. *v.* 32. 34. *Dan.* 12. 2. *Philip.* 4. 3. *Apoc.* 3. 5. *c.* 13. 8. *c.* 17. 8. *c.* 20. *v.* 12. 15. *c.* 21. 27. *c.* 22. 19. *Psalm.* 69. 29. Interdum etiam liber Dei significat universalem & specialem Dei providentiam *Psal.* 139. 16. Illustris autem est hæc metaphora: utpote quæ significat immutabile Dei consilium, & distinctam notitiam.

LIBERATIO. Rabbini super textum *Exod.* 6. 6. 7. ita commẽtantur. In his duobus versibus occurrunt quatuor vocabula, sub quibus præcipua Dei beneficia Israeli præstita & præstanda, sive quatuor principaliores ejus liberationes indicantur. Horum primum est הוצאתי, quod propriè est *Educere*: secundum est הצלתי id est, *Eripere tanquam ex incendio*: tertium est גאלתי, quod est, vel *jure vindicare*, vel *soluto pretio redimere*: quantum est לקחתי, *Assumam*, sive *recipiam*. Has autem liberationes fermè sic applicant, ut eas ad quatuor monarchias accommodent: ità ut sub monarchia Babylonica eductionem populi ex Ægypto; sub Persica difficilem ejusdem liberationem ex Babylone; sub Macedonica conservationem sub Antiocho; sub Romana plenariam populi restitutionem sub Messia intelligant. Duæ priores non malè applicantur. Tertium verò vocabulum גאלתי augustioris est significationis, quàm ut Maccabæorum rebus gestis propriè tribui possit. Significat enim, ut jam dictum est, *vindicare*, *jure asserere*, *persoluto pretio redimere*. Unde ii, quibus hoc juris competit, Hebræis in forensi praxi גאלים *vindices* sive *Redemtores* appellãtur; adeo-

adeoque nomen hoc ipsi Messiæ tribuitur à Jobo *cap.* 19. 25. quod etiam Esaiæ in prophetiis de Christo in frequenti est usu. *Lucas* 7 37. illud Græcè λυτρωτὴν interpretatur. Porrò quod attinet ultimam applicationem, illa est falsa, ex Judaicæ incredulitatis officina profecta. Vera itaque applicatio hæc fuerit. Duo priora vocabula indicant duas corporales liberationes, *eductionem* videl. *ex Ægypto*, & *reductionem ex Babylone*: duo posteriora totidē spirituales, quarum typum illæ gesserint, & quæ illis κατ᾽ ἐναλλὰξ respondeant: *redemtio* nimirum *ecclesiæ ex regno diaboli*, per redemtionis pretium à Messia persolutum; & *sponsæ deinceps assumtio*, sive domum deductio, quam sponsus rediens ei aliquando de facto præstabit, & sic omni captivitati & liberationi gloriosum finem imponet.

LIBERTAS. *Bernhardus de gratiâ & libero arbitrio* ait: Cùm, prout interim potuit nobis occurrere, triplex sit nobis proposita libertas, à peccato, à miseria, à necessitate: hanc ultimo loco positam contulit nobis in conditione naturæ, in prima restauramur à gratia, media nobis reservatur in patria. Dicatur igitur prima libertas naturæ, secunda gratiæ, tertia vitæ & gloriæ. Primò nempe in liberam voluntatem, & voluntariam libertatem conditi sumus, nobilis à Deo creatura. Secundò reformamur in innocentiam, nova in Christo creatura. Tertiò sublimamur in gloriam, perfecta in spiritu creatura. Prima ergo libertas habet multum honoris, secunda plurimum etiam virtutis, novissima cumulum jucunditatis. Ex prima quippe præstamus cæteris animantibus: in secunda carnem, per tertiam mortem subjicimus. Vel certè sicut in prima subjecit Deus sub pedibus nostris oves, & boves, & pecora campi: ita quoque per secundam spirituales bestias hujus aeris (de quibus dicitur, Ne tradas bestiis animas confitentes tibi.) prosternit æquè & conterit sub pedibus nostris: in ultima tandem nos ipsos nobis pleniùs submissurus super victoriam corruptionis & mortis, quando sc. novissima die destruetur mors, & nos transibimus in libertatem gloriæ filiorum Dei. *Augustinus de verâ relig. cap.* 48. Quem delectat vera libertas, ab amore rerum mutabilium liber esse appetat. Et quem regnare delectat, uni omnium regnatori Deo subjectus sit, plus eum diligendo, quàm semetipsum. Et hæc est perfecta justitia, quâ potiùs potiora, & minùs minora diligimus. *Idem de correptione & gratiâ in fine ca.* 11. Potuit non peccare primus homo, potuit non mori, potuit bonum non deserere. Numquid dicturi sumus, Non potuit peccare, qui tale habebat liberum arbitrium? aut non potuit mori, cui dictum est, si peccaveris, morte morieris? aut, non potuit bonum deserere, cùm hoc peccando deseruerit, & ideo mortuus sit? Prima ergo libertas volũtatis erat, posse nõ peccare: novissima erit multò major, non posse peccare. Prima immortalitas erat, posse non mori: novissima erit multò major, non posse mori. Prima erat perseverantiæ potestas, bonum posse non deserere: novissima erit felicitas perseverantiæ, bonum posse non deserere. *Idem in libro de civit. Dei cis finem*: Primum liberum arbitrium, quod homini datum est, quando primùm creatus est rectus, potuit non peccare, sed potuit & peccare: hoc autem nouissimum eo potentius erit, quo peccare non poterit. Verùm hoc quoque Dei munere, non

suæ possibilitate naturæ. Aliud est enim esse Deum, aliud participem Dei. Deus naturâ peccare nō potest: particeps verò Dei ab illo accipit, ut peccare non possit. Servandi autem gradus erant divini muneris, ut primùm daretur liberum, quo non peccare posset homo: novissimum, quo peccare non posset: atque illud ad comparandum meritum, hoc ad recipiēdum præmium pertineret. Sed quia peccavit ista natura, cùm peccare potuit, largiore gratiâ liberatur, ut ad eam perducatur libertatem, in quâ peccare non possit. Sicut enim prima immortalitas fuit, quam peccando Adam perdidit, posse non mori, novissima erit, non posse mori: ita primum liberum arbitrium, posse non peccare; novissimum, non posse peccare. Sic enim erit inamissibilis voluntas pietatis, & æquitatis, quomodo est felicitatis. Nam utique peccando, nec pietatem, nec felicitatem tenuimus: voluntatem verò felicitatis, nec, perdita felicitate, perdidimus. Certè Deus ipse, nunquid quia peccare nō potest, ideo liberum arbitrium habere negandus est? Erit ergo illius civitatis & una in omnibus, & inseparabilis in singulis libera voluntas, ab omni malo liberata, & impleta ab omni bono, fruens indeficienter æternorū jucunditate gaudiorū, oblita culparū, oblita pœnarū, nec tamen ideo suæ liberationis oblita, ut liberatori suo sit ingrata.

Libertini. Vide Synagoga.

Liciani prophetæ. Sic dicuntur prophetæ valde illuminati, qui plus aliis vident. Nomen videtur ductum à luce. Sic Esaias ab Hieronymo putatur in numero Evangelistarum propter illustria vaticinia. Possit itaque dici propheta Licianus.

Lignum crucis Christi. Paulinus huic ligno indetribilem soliditatem tribuit, quòd nō potuerit minui, utut etiam totus orbis terrarum partibus ejus fuerit impletus, ut scribit Cyrillus in Catechesi 4. sed quis non videt hanc esse fabulam?

Lilium inter spinas. *Ambros. in Psal. 118. serm 5.* Pulcherrimè lilium dicitur ecclesia. Sicut n. lilium fulget: ita etiā splendent opera Sanctorū. Pulcherrimè etiam dictum est lilium convalliū, quia in humilibus magis elucet gratia. Sed hoc liliū in medio spinarū, hoc inter Judæos & hæreticos; hoc inter solicitudines hujus seculi, quæ mentem hominis animumque compungunt. Possumus ēt aliter accipere; quia, sicut liliū inter spinas eminet, ita super oēs conventus ecclesia Dei refulget. Refert etiam considerare, ꝙ hoc lilium splendore circūfusum sit, intus aūt ꝙ habet, rubeū sit, boni & ipsum odoris, eò, quòd caro Christi velut morali divinitatis claritudine circumsepta, cœlestis habuerit protectionem gratiæ. Confer *Cant. 2. v. 1. 16. c. 4. 5. c. 5. 13. c. 6. 2. c. 7. 2.* Porrò ut lilium spinarū aculeis pungitur, sed non extinguitur: ita Dei ecclesia circumstantium adversariorum machinis premi potest, sed non opprimi. Nam & princeps infidelium hujus mundi diabolus interdum leoninâ feritate, interdum serpentinâ calliditate, adversus ecclesiā certat; & ministri illius, Christi ecclesiæq; hostes conjurati, eandē partim apertâ vi, partim opertâ fraude frustra oppugnāt. Ac vi qdem utunt tyranni, fraude verò hæretici.

Limbus. Scholasticis theologis est pars inferorū, & quædam extremitas, ut limbus est extremitas vestis. De totâ hâc re *Durandus in lib. 3. sent dist. 22. q. 4.* ait: Sciendum, ꝙ quadruplex est infernus, secundùm

dùm quadruplex pœnarum genus. Quibusdam enim datur pœna damni, h.e. perpetua carentia visionis divinæ, & perpetua pœna sensus, ratione peccati actualis, mortalis, in quo decesserunt. Et ii dicuntur esse in inferno damnatorum. Aliis debetur perpetua pœna damni absque pœna sensus, scil. decedentibus in solo peccato originali; qui dicuntur esse in limbo puerorũ. Aliis debetur pœna sensus & damni, non quidem perpetua, sed temporalis, illis scil. qui decesserunt in gratia, debitores alicujus pœnæ, eò quòd in præsenti vita non satisfecerunt plenè de culpis commissis. Et isti dicuntur esse in purgatorio. Aliis verò debetur sola pęna damni absque ulla pœna sensus: & isti dicebantur esse in limbo Patrum: qui ꝓhibebantur ante passionem Christi à visione divina, eò quòd non erat satisfactũ pro peccato totius naturæ, quamvis hi non essent obnoxii alicui pœnæ pro peccatis suis personalib. Hæc opinio est cerebrina, ut loquuntur: & tamen adeo invaluit, ut *Gennadius* inter ecclesiastica dogmata *c.* 78. hoc quoque scribat: Ante passionem & resurrectionem Domini oẽs animæ sanctorum in inferno sub debito prævaricationis Adæ tenebantur, donec authoritate Domini per indebitam ejus mortem à servili conditione liberarẽtur. *Et c.* 79. Post ascensionem Domini ad cęlos, omniũ sanctorum animæ cũ Christo sunt, & exeuntes de corpore ad Christum vadũt. Sic plurimum Patres: nominatim *Gregor. lib.* 4. *in Ioh. c.* 32. *Augustinus in Psalm.* 85. dubitanter loquens, dicit: *Fortasse duo inferna, quorum in uno quieverunt animæ justorum, in altero torquentur animæ impiorum.* Cũ de inferno inferiori & ista & alia dixisset, concludit: *Fratres, sive illud, sive istud sit, hìc me scrutatorem verbi Dei, non temerarium affirmatorem teneatis.* Parvulis quoque non circumcisis & non baptizatis, eis quoque qui ex fidelibus parentibus nati fuerunt, salutem negant: ut *August.* contra Julian. Pelag. lib. 5. c. 8. lib. 4. c. 3. de Genesi ad lit. lib. 10. c. 15. de anima & ejus origine libr. 1. c. 11. Ambros. lib. 2. de Abrahã Patriarcha c. 11. Prosper de vocat. gent. lib. 2. c. 8. Gennad. de eccles. dogm. cap. 74. *Baptizatis tantùm iter esse salutis credimus.* Sed hæc omnia ἄπερ γραφῆς. Videntur multis esse desumta speculationes Platonis, de quibus Marsilius Ficinus in 10. Platonis de rep. sic ait: *Post limbum & purgatoriũ descendit ad inferos. Sed Platonicos velle scito, nõ solùm in purgatorio tẽporales esse pœnas, verùm etiam in cœlesti quadã regione temporalia gaudia: ut utrinq; par pari respondeat. Sic enim distinguunt. Aut sensus in vita omninò paruit rationi, aut omnino ratio sensui, aut semper invicẽ pugnaverunt: atque in ea pugna vel sensus plurimùm, vel ratio superabat. Animæ igitur, in quib. sensus rationi per habitum confirmatum prorsus obtemperavit, sempiternum præmium consequũtur. Contra verò affectæ sempiternis suppliciis condemnantur. Mediæ verò si superavit ratio, ad temporalia præmia; sin verò sensus, ad temporalia supplicia transferuntur. Quibus verò nullum consultandi datum est tẽpus, limbus apud Platonicos servatur, eligendi locus, hìc sub prati nomine designatus &c.*

LIMPIDUS. In vulgata versione est 1. lævis, politus 1. *Sam.* 17. 40. 2. apertus, detectus *Ezech.* 24. *v.* 7. 8. *c.* 26. *v.* 4. 14. *Sap.* 17. *v.* 5. 20. *Eccles.* 22. 21.

LINGUA. Est 1. corporis membrum *Iob* 33. 2. 2. idioma, seu certa ratio loquendi, pro nationũ ingenio & differentiis usitata *Gen.* 10. *v.* 5. 20. 31. 3. extremitas alicujus rei

Esa. 5.

*Esa.*5.24.*Ios.*15.*vers.*2.5.*cap.*18.19.*Esa.*11.15. 4.sermo Dei *Esa.*30.27.

LINGUATUS. In vulgata versione ponitur pro loquace.*Eccles.*8.4.*c.*25.27.

LINGUOSUS. In vulgata versione ponitur pro maledico. *Psalm.*139.13, *Eccles.* 9.25.

LITANIA. Est precatio supplex, cujus usus est in rebus adversis. Vox est originis Græcæ, à λιτανεύω, *supplico*: quod est à λιτὴ, *preces supplices.* Ridiculum itaque est etymum in veteri dictionario: *Latania rogatio vel invocatio, & propriè pro mortuis facta, & dicitur à letum &c.* Cæterùm Gentiles frequenter utebantur Litaniis, circa statuas & aras, in fortuna adversa, ut sæpe narrant Livius & Dionysius Halicarnasseus, qui dicere solet, λιτανείας ποιεῖσθαι πρὸς ἕδεσι θεῶν καὶ βωμοῖς, *supplicare ad deorum templa & aras.* Sed in Ecclesia *Litaneiai* sunt preces supplices ad Deum verum. Solennis hîc est formula, quæ incipit.

Kyrie
Christe } Ἐλέησον.
Kyrie

Isidorus in fine lib.6. Letaniæ Græco nomine appellantur, quæ Latinè dicuntur rogationes. Inter Letanias verò & exomologesin hoc differt, quòd exomologeses pro sola confessione peccatorum aguntur: Letaniæ verò dicuntur propter rogandum Dominum & impetrandam in aliquo misericordiam ejus. Sed nunc jam utrumque vocabulum sub una significatione habetur: nec distat, utrum letaniæ an exomologeses dicantur. Sic Isidorus.

LITURGIA. λειτουργεῖν prima notione est opus facere publicum, vel publicè: sed latiùs postea vox illa est accepta. Apud Græcos scriptores, Platonem, Aristotelem, Demosthenem, & alios, λειτουργεῖν est publico præstare, vel operam, vel pecuniam: λειτουργία, ejusmodi præstatio sive operæ, sive pecuniæ. περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργεῖν, & λειτουργεῖν τὴν περὶ τὰς ἀρχὰς λειτουργίαν *Aristoteli l.4.polit.* dicuntur magistratus, qui remp. curant. Ibidem οἱ εὔποροι, *divites & pecuniosi*, qui tenebantur privato sumtu functiones publicas obire, dicuntur λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις, *opibus suis reip. inservire.* Dicitur λειτουργεῖν etiam ille, qui artem aliquam exercet, aut negotium curat, ex quo ad publicum redit aliqua utilitas. Sic παιδογονία, *procreatio liberorum*, & illorum educatio. *Aristoteli 7.politicorum* est genus λειτουργίας. *Nazianzenus in epitaphio Gorgoniæ* ait, ipsam totam se Deo consecrasse, λειτουργήσασαν κόσμῳ καὶ φύσει, ὅσον ὁ τῆς σαρκὸς ἐβούλετο νόμος, *Postquam debitam operam præstitisset mundo, & naturæ, quantum lex carnis postulabat.* C*lemens quoque Alexandrinus in 5. Stromat.* scribit, nuptias habere λειτουργίας καὶ διακονίας τῷ Κυρίῳ διαφερούσας, *functiones quasdam, & ministeria ad Dominum pertinentia,* hoc est, quorum ratio Domino sit reddenda, sive illa rectè obieris, sive secus: illa autem ministeria esse ait curam liberorum & uxoris. Interdum quævis ἐργασία & operæ præstatio, etiam inhonestæ, dicitur λειτουργία. Nam in *Novellâ Iustinian.* 14. meretrices dicuntur τὴν ἀνοσίαν λειτουργίαν πληροῦν, turpem operam præstare. Quin etiam res ipsæ dicuntur λειτουργεῖν, quibus est aliqua pensitatio imposita, *Novella* 44. συγχωρείτω τὰ ἐργαστήρια λειτουργεῖν τὰ συνήθη τε καὶ νενομισμένα, *Officinæ haud gravatim suppeditent ea, quæ usu recepta sunt & legitima.* Loquitur de officinis mille & centum novæ Romæ (*Constantino-*

stantinopoleos.) quæ tenebantur sumtus ad funera præstare: de quibus & Leo loquens *Nov.* 12. ait ea esse ἀποτεταγμένα εἰς ταύτην λειτουργίαν, *destinatas ad hanc pensitationem.* Et ita quidem hæc vox usurpatur nunc latè, nunc strictè de rebus politicis. Sic & de rebus divinis cùm usurpatur, habet significationem modò latiorem, modò angustiorem. *Aristot.* 7 *polit.* αἱ πρὸς θεοὺς λειτουργίαι, dicuntur omnia erga deos officia, ad quæ opus pecuniâ. *Iustinus initio libri de monarchia*, originem idololatriæ inde repetit, quòd primis tẽporibus, viris potentioribus inferiores instituerint τελετὰς καὶ λειτουργίας τελεῖν, id est, cultus quosdam exhibere Deo potiùs, quàm hominibus debitos. LXX. Interpretes vocem עֲבֹדָה, quæ Dei cultum & latriam significat, passim verterũt λειτουργίαν. At *Ezech.* 29. *v.* 40. pro פעלתו, *operam, vel mercedem illius*, dixerunt, ἀντὶ τῆς λειτουργίας αὐτοῦ. 1. *Paral.* 28. *v.* 9. מלאכה, *opus artificij*, verterunt λειτουργίαν. *Num.* 8. *v.* 24. λειτουργεῖν λειτουργίαν posuerunt pro eo, quod in Hebræo dicitur, *militiam militare*, i.e. obire ministerium, & in se exercere. Paulus Apostolus *Rom.* 16. *vers.* 27. per λειτουργεῖν ἐν τοῖς σαρκικοῖς, *ministrare alicui in rebus carnalibus*, intelligit id ipsum, quod ex Aristotele adferebamus, λειτουργεῖν ταῖς οὐσίαις, *inservire præbendâ pecunia.* In epistola ad Philippenses non multò aliter usurpantur λειτουργὸς & λειτουργεῖν, de officiis privatim Paulo exhibitis. Alibi λειτουργὸς dicitur, qui operam Deo, aut officium pietatis vel ministerii, qualecũque id sit, præbet. De angelis dicitur *Heb.* 1. *vers.* 14. πνεύματα λειτουργικά: de ipso Christo, τῶν ἁγίων λειτουργὸς, *sanctuarij minister. Heb.* 8. *v.* 2. de magistratibus, *Rom.* 13. *v.* 6. Apud Chrysostomum hoc sensu etiam usurpatur de quovis fideli vitam piè instituente: ut cùm *serm.* 3. *in Annam* patres monet, dent operam, ut filii sui fiant cives civitatis cœlestis: quò τὴν ἐκεῖ λειτουργίαν ἀξιωθῶσιν ἐπιτελεῖν, *digni reperiantur, qui functiones obeant illius civitatis.* Et postea sæpissimè repetit, eos qui vitam piè agunt, τὴν λειτουργίαν ταύτην τελεῖν, *hoc fungi officio*, pietatis. Ergo λειτουργία est quodcunq; pietatis officium, præstitum vel publicè (.sic quidem Scriptura & Patres usurpant.) vel privatim, ut Chrysostomus usurpat hanc vocem. Peculiariter tamen usus ecclesiæ vocem communem aptavit ministerio & cultui, qui publicè exhibetur Deo, & ejus cultus ministris. Sed hîc quoq; multiplex diversitas. Vide paulò post vocem λειτουργός. Sum̃a hæc est. Λειτουργὸς est omnis minister ecclesię: propriè tamen illi, qui ministrant ad altare: & λειτουργία laxè quidem est omne ministerium, quod ad sacra pertinet: sed propriè magis, ministerium cultus divini circa mensam Domini. Paulus *Rom.* 15. *v.* 16. dicit ἱερουργεῖν τὸ εὐαγγέλιον, pro *fungi sacro ministerio prædicationis Evangelij.* Balsamon ad Concilium Sardicense λειτουργεῖν exponit ἱερουργεῖν. Ab hâc ratione dictæ sunt λειτουργίαι, *descriptiones quædam ordinis servandi in sacris celebrandis*: cujusmodi sunt, quæ hodiè circumferuntur sub titulis partim veris, partim falsis, Petri, Jacobi, Andreæ, Basilii, Chrysostomi, & similes Liturgiæ. Latini vocant *Ordinem Agendi, Agenda, & Officium*: Græci (.ut Balsamon non semel.) ἀκολουθίαν. Quemadmodum autem res dividitur, vetustissimo Christianorum instituto, in cultum matutinum & vespertinum: ita in Patrũ libris fit mentio Liturgiæ matutinæ & vespertinæ. In Actis Concilii Ephesini pag.

295. ἐπιτελέσαι μὴ συγχωρήσαντες τὰς ἑσπερινὰς ἢ τὰς ἑωθινὰς λειτουργίας, *Obire non permittentes vespertinas aut matutinas functiones.* Et notat Balsamon, λειτουργίαν aliquando constare sola oratione, sine ulla sacramentorum administratione. Obtinuit tamen, ut Liturgia peculiariter dicatur, quæ celebrationem corporis Christi continet. Itaque *Iustinianus* Novellâ 7. ἱερὰν λειτουργίαν *sacram functionem*, describens, duas illius partes cõmemorat, recitationem divinarum scripturarum, & participationẽ S. cœnæ: ἐν οἷς, inquit, ἱερὰ γέγονε λειτουργία τῶν τε θείων ἀναγινωσκομένων γραφῶν, τῆς τε ἱερᾶς καὶ ἀῤῥήτου μεταδιδομένης κοινωνίας, *In quibus sacrum ministerium peractum est, tum divinis Scripturis legendis, tum sacrâ & ineffabili communione dispensandâ.* Ex his efficitur, *Baronium in anno* 44. *num.* 83 locum illum *Actor.* 13. *vers.* 2 λειτουργούντων, quem vetus Interpres rectè vertit, *ministrantibus*, malè vertere, *sacrificantibus*: & Bellarminum errore, quando lib. 1. de Missa, cap. 13. ait: *Cùm accommodatur hoc verbũ* (. λειτουργεῖν.) *ad sacra, & absolutè ponitur in Scripturis, ubique accipitur pro ministerio sacrificii.* At *Luc.* 1. *vers.* 23. λειτουργία non est sacrificium; sed generalis vox, quæ complectitur omnia ministeria à Levitis aut Sacerdotibus præstari solita, cùm obibant vices suas. Adde quòd Lucas ibi loquitur de cultu Judaico. Similiter epistola ad Hebræos iis locis, quos indicat Bellarminus. Idem *Bellarminus initio lib.* 1. *de Missa* scribit, vocabulum λειτουργία à Patribus Græcis vix aliter accipi, quàm pro ministerio sacrificii Eucharistiæ offerendi. Sed hæc observatio ex ante dictis facilè refutatur. Et nemo versatus in Græcorum Patrum lectione, ignorat, λειτουργίαν persæpe illis dici, quid-quid fit ad Deum colendum. Itaque cantus Psalmorum, etiam in domo privata, & ad mensam, appellatur Chrysostomo λειτουργία *in Psalm.* 41. οὐδὲ ῥαθυμοῦντες ποτε προησόμεθα τὴν καλὴν ταύτην λειτουργίαν, *Neque unquam per ignaviam abjiciemus piam hanc Psalmorum cantionem.* Idem Pater commentariis in Acta, λειτουργούντων exponit κηρυττόντων, *prædicantibus.* In canonibus denique Concilii Ancyrani λειτουργία, sive ἱερατικὴ λειτουργία commune nomen est omnium sacrarum functionum, quæ obeuntur ab Episcopo vel Presbytero, ut προσφέρειν, κηρύττειν, sive ὁμιλεῖν, *offerre, prædicare, concionari* &c. Sed in pauca contrahamus, quæ pluribus persecuti sumus. λειτουργία à λήϊτος, *publicus*, in genere significat quamlibet functionem publicam: in specie notat sacram functionem in ecclesia, qua generatim totum ministerium verbi divini, & sigillatim administratio sacræ cœnæ significatur. Specialiùs à quibusdam dicitur ἱερουργία, *sacrorum operatio.* quæ vox significat Evangelii prædicationem *Rom.* 15. 16. & sacram eucharistiam, apud ecclesiæ doctores.

Liturgus. In genere est, qui publica operatur. In specie est minister, qui publico servit; ut reip. vel ecclesiæ: vel etiam minister in genere. In ecclesia specialiter usurpatur. Nam apud Patres λειτουργὸς dicitur, qui operam Deo aut officium pietatis vel ministerii, qualecunque sit illud, præbet. Adhuc specialius λειτουργὸς est minister ecclesiæ: specialissimè & propriissimè, qui ministrat ad altare. Apud Dionysium Areopagitam in ecclesiastica hierarchia λειτουργοὶ sunt diaconi: ut ἱερεῖς sacerdotes, ἱεράρχαι Episcopi, qui aliter ἀρχιερεῖς. Basilio, Gregoriis Na-

 ziazeno

zianzeno & Nysseno, Chrysostomo, & cæteris Patribus ministri ecclesiæ omnes, præsertim verò presbyteri & episcopi vocantur λειτεργοὶ τοῦ θεοῦ, vel τοῦ θυσιαστηρίου, vel τῆς καινῆς διαθήκης, & οἱ τὴν λειτεργίαν τοῦ θυσιαστηρίου πεπιστευμένοι, *ministri Dei, altaris, novi Testamenti, quibus ministerium altaris est commissum.* Glossarium: λιτουργὸς, munifex: λιτουργία, munificentia, munium functio. *Liturgicus* est ministerialis, ministratorius. Quo sensu *Hebr.* 1. angeli dicuntur πνεύματα λειτουργικά. Speciali sensu est sacerdotalis. Hinc Suidas: λειτουργικὴ κυρίως μὲν ἡ ἱερατικὴ, καταχρηστικῶς δὲ ἡ δουλική.

LIVOR. In genere est plaga tumida, tumex, vibex. *Esaia* 1. 6. in specie significat passionem JESU CHRISTI *Esaia* 53. 5. 1. *Petr.* 2. 24. Ponitur autem livor Christi per synecdochen pro omni passione, quam sustinuit toto vitæ suæ tempore, nominatim pro ea, quam expertus est paulò ante mortem & in morte sua. Nā tota Christi passio est nostra liberatio: tota, inquam, inde à primo momento nativitatis usque ad ultimum momentum mortis. Quòd autem Scriptura in sanguine & morte Christi ponit λύτρον, ideo fit, quia sine morte Christi antecedentes passiones non fuissent sufficientes.

LOCUS. Hebræis dicitur מָקוֹם à קוּם *surrexit, substitit:* cui affine est קִיֵּם. *sustentavit.* Unde illi ex antiquissima traditione Deum vocant מָקוֹם id est, locum: non ideo solummodo, quòd sub se omnia comprehendat, ut Kimchi vult: sed etiam, quòd rerum omnium substantiam conservet, juxta illud Pauli *Act.* 17. 28. *In ipso vivimus, movemur, & sumus.* Sic itaque per locum indicatur status & conditio rei. Unde perspicitur, quomodo illud *Psalm.* 1. sit intelligendum, ubi de impiis dicitur לא יקמו במשפט, *Non subsistent in judicio*, hoc est, non erit eis pars cum sorte justorum. Eadem loci significatio locum habet *Apocal.* 12. 14. ubi Johannes dicit, ecclesiam volare in locum suum à facie Draconis: quem locum *vers.* 6. ei divinitùs præparatum affirmat. Ubi non oportet intelligere spatium physicum, sed humilem & despectam conditionem. Hinc patet vocem *Locus* interdum non tam externum corporis situm, quàm rei habitum & conditionem significare. Porrò locus in Scripturis etiam significat textum aliquem Scripturæ *Luc.* 4. 17. *Hebr.* 2. 6. *cap.* 4. 4. *cap.* 5. 6. item opportunitatem *Iob.* 24. 23. *Actorum* 25. 16. *Hebr.* 12. 17. denique modum & rationem patefaciendæ Dei gratiæ sub novo fœdere. *Hebr.* 8. 7. Hîc duo breviter expediemus. 1. quomodo Deus sit in loco. 2. an locus sit necessarius cuilibet creaturæ. De 1. Deus est illocalis, id est, supra & extra locum. Itaque non est in loco per locationem passivam, id est, ita ut localis fiat, sive locetur: sed per modum omnipræsentiæ, quia est in omni loco, hoc est, nusquam inclusus, nusquam exclusus. De 2. Locus ita est necessarius omni enti creato & finito, ut illud extra locum esse non possit: & simul ita, ut non possit esse nisi in uno loco. Nam habet fines essentiæ suæ, & quidem ita, ut essentia illa non sit multiplex, sed una.

LOCUSTA. Hoc animal quibusdam in regionibus est edule. Hinc in Evangelio Johan. Baptista dicitur comedisse locustas & mel sylvestre. Siberius ad prosam

Victorii de Johanne Baptistâ sic annotat ad illa verba

Cum locustis mel sylvestre
Sumsit in edulium.

Locustis, vel cancris, καράβοις: vel herbis, quorum alterum nomen μέλαγρα: vel arborum gemmis, ἀκροδρύοις. Sed cùm fuerint populi ἀκριδοφάγοι, cur non locusta hoc loco sit insectum, cui nomen positũ ab uredine locorũ, quos attingit? Quam postremam sententiam paucis confirmare non ab re fuerit. *Matthiolus in Dioscoridem lib. 2. cap. 46.* Sic scribit: Nostro tempore volvente anno Domini 1542. locustæ ex paludibus Mœosidibus profectæ, non solùm universam Pannoniam, maximamque Germaniæ partem, sed totam etiam Italiam occuparunt, non sine magna omnium è terra nascentium pernicie: siquidem omnem segetem, omnemque virentem herbam radicitùs devorarunt. Hæ Parthis in cibo gratæ. Quamobrem admirandum non est, si sacris literis mandatum sit, ut *Levitici* 11. *cap.* legitur, à Mose probatas esse in cibis. Nec mirum etiam divum Johannem Baptistam iis & sylvestri melle victitasse in deserto: tametsi non desint interpretes, qui velint pro locustis, quasdam herbarum radices intelligi: alii verò nonnullas arborum summitates. At me hercule in horum sententiam devenire nunquam potui: quin potiùs certò crediderim, ipsum, nempe legis Mosaicæ sectatorem acerrimum, hisce locustis animantibus victitasse, quemadmodum etiam sentit divus Augustinus, exponens divi Pauli epist. ad Romanos. *Clenardus in epistolâ scriptâ Fessa in Africâ, anno* 1541. Paucis ante diebus Fessæ vidisses cœlum obductum locustarum agminibus, quę hîc non solùm saltant, sed avium ritu volitant. Jam coram video minas priorum prophetarum. Multis in locis nocte unâ sata perdunt universa. Bellum strenuè cum eis gerunt rustici. Nam plaustra plena locustis advehunt Fessam. Nam hos hostes vulgò hîc comedunt. Vide quoque *Scaligerum exercit.* 192. His addamus ꝙ *Petr. Kirstenius notis in Arabicum Evangeliũ Matth. c.* 3. ex sui præceptoris Arabici ore refert, ipsum affirmasse se circa Jordanẽ sæpius fuisse, & illîc locustas comedisse. Historiã ab eo hanc addit: Locustas illîc esse ejusdẽ speciei cum nostris, sed majores, nã pro regionum diversitate variãt. In Indiis n. sunt ingentis magnitudinis: has autem circa Jordanem dicebat esse mediocris magnitudinis, instar avium nostrarum mõtanarum, quas sylvestres vocare solemus. Modum præparandi talem significabat. Captis locustis, alæ & pedes abripiuntur, reliquum corpus collo suspẽditur, Solique illîc locorum satis ferventi, per aliquod temporis spatium exponitur. Ubi incaluerunt à sole probè, ebulliunt quasi & intumescunt: ubi satis intumuerunt, & spumescere incipiunt, sufficienter præparatæ sunt. Cibum enim exhibent suavissimũ. In Africa vero aliisque locis ad ignem coqui & assari ajebat. *Ita Kirstenius.* Quare ne quis amplius putet ἀκρίδας, quibus vescebatur Johannes Baptista; fuisse vel cancros fluviatiles, vel ἀκρέμονας φυτῶν, ut ait Isidorus Pelusiota, *summitates herbarum*, quæ aliis dicuntur ἀκρόδρυα. Sed inquis, austeritas in Johanne notatur eo ipso, quòd ἀκρίδας comederit. At locustas esitare apud *Theophylactum in epistola, cujus est τὸ ποιμ· initium*, dicitur fuisse lautum convivium inter rusticos. Εἰσίων χθὲς τὸν τρυγίαν λαμπρῶς· ἰσχιάδες γὰρ ἦν

μοι

μοι καὶ ἀκρίδες τὸ ὄψα. ὁ δὲ θεσπέσιος οὗτοσὶ νεανίας τῶν ἰσχάδων τὰ πλεῖστα ἐκβέβρωκε καὶ τὰς ἀκρίδας οὐκ οἶδ' ὅπως ἐξερρόφησεν. ὁ δὲ Τρυγίας ἐκεχήνει. *Excipiebam heri Trygiam splendido convivio: nam carica & locustæ meum erant obsonium. Divinus autem hic adolescens caricas quàmplurimas comedit, & locustas nescio qua ratione exsorpserit: Trygias verò inhiaverat.* Itaque esus ἀκρίδων non facit ad austeritatem vitæ. E contrario inter alimenta eorum, qui erant rigidissimi jejuniorum observatores, fuerunt ἀκρόδρυα, *fructus arborum*, ut constat ex *Epiphanio lib. 3. extremo austeritatis intendenda circa jejunia.* His igitur victitavit Johannes. Resp. Austeritas notata in Johanne, non in eo est, quòd locustas esitaret: nam id ipsi commune erat cum aliis tenuiter victitantibus: sed in eo potiùs, quòd solis locustis vesceretur & melle sylvestri. Sed dicamus aliquid de locustis spiritualibus *Apoc.* 9. Locusta Hebræis dicitur ארבה à multiplicando, quòd copiosissima fœtura scaturiat & celerrimè disseminetur. Mysticè significat sophistas, quorũ cantus in veræ pietatis schola est ἀνόητος, utpote ex quo præter sonorum stridorem nihil percipitur. *Apoc.* 9. Locustæ istæ opponuntur citharœdis illis Dei, qui *Apoc.* 15. 23. canticum Mosis & Agni modulãtur. Sanè locusta est stridulum & mirè canorum animal, sed cantus ejus non est gratus. Est insuper ventrosum, & otiosum insectum, quod ceu caducus terræ fœtus cum appropinquante æstate exoritur, cumque eadem declinante occidit. Quæ omnia in sophistas illos optimè quadrãt, ita ut ipsorum innumerabilis multitudo, insuavis coccysmus, studium rerũ terrenarum, & denique conditio πρόσκαιρος, quâ fit ut frigore persecutionis facilè emoriantur, hoc uno vocabulo ob oculos nobis ponantur. Porrò locustæ illæ apocalypticæ decẽ characteribus insigniuntur, hoc modo. 1. *Oriuntur ex fumo* opinionum ambitiosarum. 2. *Sunt similes equis militaribus* quantum ad superbiam spiritus, & indomitam contendendi libidinem. 3. *Habent coronas aureis similes*, quatenus per mitras, galeros, cucullos, tonsuram, & similes tesseras mentiuntur dona prophetiæ, quæ *Apoc.* 4. designantur nomine coronarum aurearum. 4. *Sunt prædita facie humana* i.e. hypocritæ, qui composito vultu præ se ferunt magnam pietatem & humanitatem. 5. *Habent capillos muliebres*, i.e. sunt delicati, molles, evirati. 6. *Habent dentes leoninos*, h.e. præditæ ore impudente, maledicentia truce, crudeli & invicta. 7. *Loricis ferreis tecta*, h.e. privilegiis munitæ, & vulgo inviolabiles. 8. *Alata*, i.e. leves, agiles, vagabundæ, nullis legum vinculis astrictæ. 9. *Alis perstrepentes* i.e. tumultuum authores. 10. *Aculeis scorpionum instructa*, h.e. nodosa & tortuosa sophisticâ armatæ, perque hanc insigni nocendi facultate præditæ. Hæ sunt notæ locustarum: quarum effecta sunt, depascere reliquias viridis Christianismi maximam partem, & cruciare hominum conscientias, illorum scil. qui non sunt arbores justitiæ & germina Jehovæ. Nam qui tales sunt per fidem in Christum, illis non nocent hæc insecta. Ad extremum notetur ætas harum locustarum, quæ definitur spatio quinquemestri. Videmus enim variegatos illos ordines monachorum completis suis quinque mensibus, id est æstate elapsa, sub hyemem evanuisse, vel saltem marcescere. Sed in pauca contrahamus, quæ diximus de locustis spiritualibus *Apoc.* 9. Per illas itaque intelli-

guntur falsi doctores, mendaciis & crudelitate consiliorum perdentes segetem ecclesiæ. Similitudinis ratio est in quantitate & qualitate. In quantitate: quia multi sunt tales antichristi instituto, tanquam agmina & examina seductorum. In qualitate vastatrice & populatrice cœlestis veritatis, diviniq; & humani juris, conscientiarum, & salutis: item in qualitate doctrinæ, δυσνοήτου, & nil præter inanem sonum & pompam habentis.

Λογοθέτης. *Ratiocinator, discussor.* Hic duplex erat: ecclesiasticus, & palatinus. Ecclesiastici erat εἰς τὰς δημοσιακὰς καὶ ἀρχοντικὰς ὑποθέσεις λογογραφεῖν. Palatini varii erant.

Λογογραφικὴ ἀνάγκη. Est vis sermonis scripti, quam necessariò ipsa verba præ se ferunt. Ista verò sermonis vis sumitur vel ex ipsa significatione, vel ex usu, vel denique ex subjecta materia. Primi modi exemplum est *Gen.* 1. *v.* 1. In principio creavit Deus cœlum & terram: secundi *Rom.* 3. 28. Colligimus igitur fide justificari hominem; ubi vox justificare ex usu Scripturæ accipitur in significatione forensi: tertiū, in verbis cœnæ, Hoc est corpus meum; ubi materia est sacramentalis, cui exprimendæ adhibetur phrasis sacramentalis.

Λόγος. Inter nomina mystica Flii Dei est hæc vox: quæ non uno modo solet verti & explicari. Nam veteres nunc *verbum & sermonem*, nunc *rationem*, nunc *definitionem*, nunc *realitatem* interpretantur. Quod attinet ad primam interpretationem, ejus ratio multiplex adferri solet. Nam alii existimant, Christum dici *verbum sive sermonem*, quòd sit notitia Patris, & ejus repræsentator, ut loquitur Tertullianus: alii, quòd Deus Pater per hoc Verbum omnia condiderit: alii, quòd nobis interpres sit paternæ voluntatis: alii, quòd persona Dei cum Patriarchis loqueretur specie angeli: alii, quòd Christus sit ille, de quo Pater toties locutus est in V.T. seu quem toties promisit. Secundæ interpretationis hæc est ratio. Sicut ratio ex animo, aut notitia ex ratione ꝓcedit: sic Filius ἀπαθῶς, *sine ulla passione*, procedit à Patre. Deinde quemadmodū nobis ratio, ita Patri Filius est intimus. Denique Filius Dei nos efficit rationi obsequentes. Tertiæ interpretationis hæc adferri solet ratio: quòd Filius sit quasi definitio Patris, ejus naturā penitiùs exprimens: item quòd sit quasi definitio rerum omniū, seu, quòd definitione sua omnia cōplectatur. Postrema interpretatio hac nititur ratione, quòd Filius sit realissima veritas. Ex his interpretationib. duæ istæ sunt cōvenientissimæ. Primò sicut nos ꝑ sermonē, animi nostri sensa alicui exponimus: ita Christus nobis λέγει, i.e. eloquitur & declarat Patrē, & arcana de salute nostra. Deinde sicut sermo procedit à ratione, & est illius character; rursus sicut ratio emanat ab anima, & est illius character: ita Filius gignit' à Patre, & est character substātiæ ejus. Et hæc quidē breviter dicta sunto de interpretatione hujus nominis. Jā dispiciamus, an Christus etiā in V.T. appelletur *Verbū Dei*. Affirmativa ꝓbatur ex 1. *Sam.* 3. *v.* 21. 2. *Sam.* 7. *v.* 21. *& c.* 23. *v.* 2. *Hagg.* 2. *v.* 4. 5. 6. In Hebraico est דָּבָר, in Chaldaico מֵימְרָא. Pro דָּבָר etiam occurrit מִלָּה. Quæ voces confirmant geminam explicationē à nobis allatā. Cæterùm Christus aliâs absolutè dicitur ὁ λόγος. aliàs cum adjectione ὁ λόγος τοῦ θεοῦ, τῆς ζωῆς, πιστὸς καὶ ἀληθινὸς. Non possum quin hoc loco annotem, Patros quosdam non

non rectè scripsisse, hominem λογικὸν dici, h.e. ratione præditũ, seu rationalẽ, quia particeps est λόγου ἤτοι χριστοῦ, *Rationis*, vel potiùs *Verbi*, quod est Christus. Confunduntur hîc res, plus quàm toto genere diversæ, videl. λόγος ὁ οὐσιώδης seu ὑποστατικὸς, verbũ substantiale & revera subsistens, & λόγος ἔμφυτος, sive ratio humana. Locus hac de re est apud *Iustinũ in apologia*. I. Χριστὸς καὶ ὑπὸ Σωκράτους ἀπὸ μέρους ἐγνώσθη. Λόγος γὰρ ἦν καὶ ἐστιν, ὁ ἐν παντὶ ὤν, i. e. Christus etiam à Socrate est agnitus. Λόγος enim, sive Ratio, vel potiùs verbum erat, atq; est, qui est in quovis hominum. Sic cùm *Iobius*, scriptor antiquus, causam adfert, cur humanam naturã Filius assumserit, nõ Pater, aut Spiritus S.: quia Filius sit ὁ λόγος, quẽ homo cùm amisisset, ait, necessariũ fuit ad sanandã ἀλογίαν, hoc est, amentiam, τὸν λόγον in terras venire. *Gregorius Nazianzenus orat*. 2. Περὶ υἱοῦ ait: Δοκεῖ δέ μοι λέγεσθαι λόγος, ὅτι πρὸς τὸν πατέρα οὕτως ἔχει, ὡς πρὸς νοῦν λόγος, οὐ μόνον διὰ τὸ ἀπαθὲς τῆς γεννήσεως, ἀλλὰ καὶ τὸ συναφὲς καὶ τὸ ἐξαγγελτικόν. Τάχα δὲ ἂν εἴποι τις, ὅτι καὶ ὡς ὅρος πρὸς τὸ ὁριζόμενον, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο λέγεται λόγος. ὁ γὰρ νενοηκὼς, φησὶ, τὸν υἱὸν (τοῦτο γὰρ ἐστι τὸ ἑωρακὼς.) νενόηκε τὸν πατέρα, καὶ σύντομος ἀπόδειξις καὶ ῥᾳδία τῆς τοῦ πατρὸς φύσεως ὁ υἱὸς. γέννημα γὰρ ἅπαν τοῦ γεγεννηκότος σιωπῶν λόγος, *Verbum dicitur, quòd eam rationem habeat ad Patrem, quã verbum ad mentem, non solùm quia sit à Patre citra omnem perpeßionem genitus, sed etiam, quòd Patri sit conjunctus & eum enuntiet. Sed & fortaßis dicere poßit aliquis, eandem esse Filii rationem ad Patrem, quæ definitionis ad definitum. Nam* λόγος *etiam definitionẽ declarat. Etenim qui cognovit Filium (id enim est illud, Qui vidit.) is & Patrem cognovit: ut jam Filius non sit aliud, quàm brevis ac facilis quadam demonstratio natura Patris. Siquidem omne quod genitum est, est tacita quadam elocutio seu verbum ejus, qui genuit.*

LUCAS EVANGELISTA. Hic purum hellenismum aliquantò diligentiùs, quàm cæteri Evangelistæ observat.

LUCIFER. Est stella, solis anteambulo: aliàs Phosphorus, Hesperus, & Venus. Ita Christus *Apoc. ult.* appellatur stella illa splendida & matutina: quia & ipse est lux spiritualis; & lucem sapientiæ, justitiæ & salutis, & solem paterni favoris nobis reducit, quomodo videmus Phosphorum reducere solem, sive, ut poëta loquitur, reddere diem. Lucifer etiam sequiore sensu dicitur Satanas: qui vocis usus apud vulgus nunc invaluit. Orta est autem ea appellatio ex *Esa*. 14. *v*. 12. Qui locus agit de rege Babylonio. Eum propheta vocat luciferum, ut significet illustrem & gloriosam cõditionem, quâ, tanquam clarissima stella, inter alios reges eminebat & fulgebat, & inter homines in mundo longè lateq; dominabatur, sicut lucifer inter minora sidera. Dicitur autẽ ille de cœlo cecidisse, quatenus justo Dei judicio ob suam superbiam de sua dignitate, & quasi cœlesti statu fuit dejectus. *Augustinus lib*. 11. *de civit. Dei. c*. 15. hunc locum sic explicat: Esaias ait, sub figurata persona principis Babyloniæ diabolum notans, Quomodo cecidit Lucifer, qui manè oriebatur? Idẽ docet *de Genesi ad lit. lib*. 11. *c*. 24. *Et tract*. 3. *in Iohan*. ait: Audi vocem Patris ad Filium: Ante Luciferum genui te. Qui ante Luciferum est genitus, omnes ipse illuminat. Dictus enim est quidã Lucifer, qui cecidit: Erat enim angelus, & factus est diabolus: & dixit de illo Scriptura, Lucifer, qui manè oriebatur, cecidit. Unde Lucifer? Quia illuminatus

natus lucebat. Unde autẽ tenebrosus factus? Quia in veritate non stetit. *Vatablus ad locum Esa.* 14. Alludit ad Satanam, qui olim decidit de dignitate, in qua creatus fuerat: quem vocat Luciferum, & filium auroræ, quòd creatus fuisset in maximo splendore & honore. Itaque Vatablus, quem alii multi sequuntur, putat, modum loquendi *Esa.* 14. sumtum esse ab ipso lapsu diaboli. Alii putant quæ de felici rege dignitate sua elapso ibi dicuntur, allegoricè à Patribus fuisse accommodata ad diabolum. Cæterùm vox *Lucifer* occurrit *Iob.*11.17.*c.*38.32. *Esa.* 14.12. *Psal.*110.3. 2.*Petr.*1.19.

Lucifugæ Scripturarum. Hoc elogio Tertullianus insignit hæreticos, *de resurrectione carnis cap.*47.

Lucerna. Est 1. ipsum instrumentum, cui oleum imponitur, vel fax & candela. *Exod.*25.37.*Luc.*12.35. 2. lux æterna, sive Deus ipse, & nominatim Jesus Christus. 2.*Sam.*22.29. *Apoc.*21.23. 3. Verbum Dei *Psal.* 119.104. *Prov.*6.23. 2.*Petr.*1.19. 4. laudatus princeps, subditis meritò charus; quo sublato, malorum tenebræ suboriuntur. 2.*Sam.*21.17. 5. gratiosa Dei præsentia, hominem fovens. 1.*Reg.*11.36. *Iob.*29.3. 6. prosperitas. *Iob.*18.6.*c.*21.17.

Ludens coram Deo. Alii vertunt *Lætificans.* Est epitheton Filii Dei, sive Sapientiæ hypostaticę, τῆς σοφίας ἐνυποστάτου. *Proverb.* 8.*v.*30.31. Sensus est: λόγον æternum esse lætitiam Deo Patri, & simul lætitiam humani generis, quod summè dilexit & Patri reconciliatum replet oleo lætitiæ. Confer *Esa.*53.*v.*10.11.

Lumbi. Sunt alii corporis, *Gen.*35.11. alii mentis sive animæ *Eph.* 6.14. 1. *Petr.* 1.13.

Lumbare. In vulgata versione hac voce significatur cingulum *Ier* 13.*v.*1.2.4.6.7.10.11.

Lumen. Est 1. lux creata *Ier.*31.35. 2. oculus *Iudic.*16.28. 3. Christus *Esa.*60. 1.*Luc.*2.32. 4. doctor veritatis *Rom.*2.19. 5. lætus rerum successus *Iob.*22.28. 6. lux spiritualis. *Psal.*119.104.

Lumen de lumine. In Concilio Niceno hoc nomine appellatur Christus Dominus noster. Verba sic habent: φῶς ἐκ φωτός, θεὸς ἀληθινὸς ἐκ θεοῦ ἀληθινοῦ. Sic in hymno:

Christe, qui lux es & dies,
Noctis tenebras detegis,
Lucisq; lumen crederis,
Lumen beatum prædicans.

Et eleganter Prudentius:

Cùm lumen esset, lumen effudit suum:
Ex luce fulgor natus hic est Filius.

Hoc lumen illuminat mentes nostras in hac tenebrosa miseriarum valle. Canamus itaque cum Prudentio:

Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus:
Intus tu speculum, tu speculum foris.

Et cum Vidâ:

Hoc sine prostratiq; solo, in tenebrisq; voluti
Iactamur, nec mens nobis ignobilis altum
Quidquam agitat: quidquid recti, sanctiq; movemus,
Hoc de fonte manat: boni & hinc fluit omnis origo.

Omnes, inquam, virtutum formæ ex hoc fonte fluunt. Neque hoc mirum est. Nam Christus est αὐτοφῶς, est ἀπαύγασμα δόξης τοῦ πατρὸς, est sol justitiæ, adeoque est lux à priori, & posteriori, h.e. οὐσιωδῶς καὶ ἐνεργητικῶς. Nimirum ut lumen de lumine oritur absq; mutatione & diminutione: ita Christus genitus est ex hypostasi Patris absque ulla mutatione. Deinde ut lumen solis semper gignitur à sole: ita

le: ita Christus ab æterno in æternum gignitur à Patre, actu indeficiente. Tertiò ut lumen à lumine accensum ejusdem est essentiæ: sic Christus eandem cum Patre habet essentiam communem. Quartò ut luminis natura & efficacia est incomprehensibilis: ita quoque se habet æterna generatio Filii Dei. Denique ut lumen à lumine genitum illuminat eos, qui sunt apti ad videndum: ita Christus illuminat omnes electos, qui per æternam electionem sunt apti ad credendum.

LUMEN PPOPHETICUM. Est donum prophetiæ, quo mens hominis extra ordinem perfunditur ejusmodi lumine, ut prævideat & prædicat res futuras. Hoc lumen etiam hypocritis, item gentilibus, hæreticis, & pseudoprophetis cõceditur à Deo. Qua de re *Hieronymus super Matt.* 7. sic ait: Et Saul, & Balaam, & Caiphas prophetaverunt. Et *Athanasius libro quæstionum ad Antiochum principem, quæst.* 110. ait: quòd multi pravè credentes acceperint à Deo prophetiarum donũ. *Thomas* quoq; *Aquinas in secunda secundæ, quæst.* 172. *artic.* 6. exemplo Baalam & Sibyllarum probat, prophetas falsos vera prædicere, aliquando ex dæmonum revelatione, aliquando ex divina inspiratione.

LUMEN NATURÆ, GRATIÆ, & GLORIÆ. Deus accendit in homine triplex lumen. Et primò quidem in omnibus & singulis hominibus accendit lumen naturæ, id est, rectam rationem, quæ est veluti radius divinæ lucis, quo discernere possumus honestum ab inhonesto. Deinde in iis, qui vocantur in ecclesiã, Deus accendit lumen gratiæ, id est, fidem. Id verò lumen est commune, vel singulare. Illud est fides historica, temporaria, & miraculorum: hoc est fides salvifica, electorum propria. Denique lumen gloriæ Deus accendit in vita æterna omnibus iis, qui in hac vita præditi fuerunt fide salvifica. Lumen naturæ est veluti luna: lumen gratiæ est tanquam sol matutinus: lumen gloriæ est veluti sol meridianus sive culminans.

LUMINA. Sic appellantur dona illa, quæ DEUS in nos confert. *Iacob.* 1. 17. Nam DEUS ita est lux, ut omnia ipsius dona sint lucida, vel potiùs mera lumina.

LUX. Est alia corporalis, alia spiritualis. Unde *Vives lib. de An.* 1. eleganter ait: Author rerum omnium lucem suam per universum mundum diffudit, spiritualem in spiritualia; corporalem verò in ea, quæ essent corporata: ut ejus beneficio & spiritus intelligerent, & oculi corporei cernerent. Cæterùm lux spiritualis est increata, vel creata. Illa est Deus ipse, hęc donum à Deo profectum. Nominatim autem secunda persona SS. Trinitatis appellatur lux in *Concilio Niceno*: unde sequentia sunt expressa. In hymno Gregorii Magni:

Splendor paternæ gloriæ,
De luce lucem proferens,
Lux lucis, & fons luminis.
Diem dies illuminans,
Verusq; sol illabere,
Micans nitore perpeti.

Item in hymno Ambrosii:

Consors paterni luminis,
Lux ipse lucis & dies.

Et rursus:

Lux lucis, & fons luminis.

Christus nimirum est lux illa, de qua *Jun. Parisetus* canit:

Sancta, salutaris, cunctisq; referta bonis, quæ
Tam vim vivificandi animos, quàm jura beandi
Sola tenet ——— ———

Et de qua *Prosper*:

——— ——— *Sine lumine lumen*
Nemo videt: vitam sine vita inquirere mors est.

Porrò Christus appellatur lux à Patribus phrasi Scripturæ. Nam ipse appellat se lucem mundi: & *Hebr.* 1. vocatur ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ θεοῦ, in quo nempe relucet gloria Dei Patris. Itaque CHRISTUS duplici nomine est lux: tum quia est lumen de lumine, id est, Deus ex Deo; tum quia est lumen in lumine, id est illuminans, & ut Nonnus canit,

ὁ Πνευματικαῖς ἀκτῖσι καταυγάζων φύσιν ἀνδρῶν,

Seu ut Vidas,

Affulgens primas mundi ingredientibus oras.

Nonnus exprimit illuminationem gratiæ in ecclesia, *Vidas* illuminationem naturæ in mundo. Etiam Spiritus S. appellatur αὐτόφως, à Nazianzeno. *Antonius Rampelogus de Janua in Dictionario pauperum c.* 63. ait: Lux est, quæ illuminat omnia: sine qua nec bene ministratur in domo, nec bene ambulatur in via, nec bene fit negotiatio in foro. Triplex autem lux est in mundo: infundens & non infusa, ut in sole; infundens & infusa, ut in luna; non infundens, sed infusa, ut in aëre. Et sic est spiritualis lux, infundens & non infusa, in Deo: infundens & infusa, ut in doctoribus: non infundens, sed infusa, ut in simplicibus hominibus. Sed paulò pleniùs persequamur hanc materiam. Lux est propriè, vel metaphoricè dicta. Lux propriè dicta est prima, vel orta. Lux prima, seu primigenia fuit corpus quoddam lucidum, primo die conditum, tanquam rudimentum quoddam solis: utpote efficiens diem, tanquam ejus vicaria. Hæc lux, quia tantopere celebratur Dei præconio, non videtur esse condita, ut tantùm res foret triduanæ durationis. Itaque omnino verisimile est, materiam fuisse stellarum. Nam quia solis effectum ipsi tribuitur, videl. dies, proculdubio ejusdem fuit cum sole essentiæ. Lux orta est, quæ ex primigenia illa est producta: vel potiùs est illa ipsa lux, collecta in stellis, nominatim in sole. Hujus lucis ortæ effectum est lumē. Lux metaphoricè dicta est substantialis, ut Deus: vel accidentalis, de qua rectè monent interpretes, metaphoricas locutiones, quæ occurrunt de luce in Scripturis, indicare statum virtutis, & conditionis. Statum virtutis, id est, sapientiæ, sanctimoniæ, & justitiæ. Statum conditionis, id est, felicitatis. Contrà tenebræ significant malum culpæ & pœnæ, id est, peccatum & miseriam. Sed diffundamus significationes hujus vocis. Lux itaque 1. est opus primi diei *Genes.* 1. *v.* 3. 4. 2. est Deus, qui est purissima essentia, & suos electos spiritu verboq; consolatur, dirigit, erigit, & vivificat 1. *Ioh.* 1. 5. 3. est Christus, via ad felicitatem, veritas ad salutem, & vita ad gloriam. *Esa.* 42. 7. *Iohan.* 9. 5. 4. est favor Dei gratuitus. *Psal.* 43. 3. 5. est doctrina, quam vitæ integritas comitatur. *Iohan.* 5. 35. 6. est majestas Dei incomprehensibilis 1. *Ioh.* 1. 7. 7. est prosperitas *Iob.* 18. 5.

LUX MUNDI. Est nomen Christi, & apostolorum. *Iohan.* 8. 12. *Matth.* 5. 14. Nam ille est lux mundi κυρίως ἢ ἀρχιτεκτονικῶς: hi μεθεκτικῶς. Participando enim veram lucem, Jesum Christum, ipsi quoque

que lucent. Porrò Spiritus S. etiam appellatur lux in prosâ Roberti regis Franciæ: quam propter singularem elegantiam adscribere totum libet.

Veni sancte Spiritus,
Et emitte cœlitùs
Lucis tuæ radium.
Veni Pater pauperum,
Veni dator munerum,
Veni lumen cordium.
Consolator optime,
Dulcis hospes animæ,
Dulce refrigerium.
In labore requies,
In æstu temperies,
In fletu solatium.
O lux beatissima,
Reple cordis intima
Tuorum fidelium.
Sine tuo numine
Nihil est in homine,
Nihil est innoxium.
Lava, quod est sordidum:
Riga, quod est aridum:
Sana, quod est saucium.
Flecte, quod est rigidum:
Fove, quod est frigidum:
Rege, quod est devium.
Da tuis fidelibus,
In te confidentibus,
Sacrum septenarium.
Da virtutis meritum,
Da salutis exitum,
Da perenne gaudium.

In hoc hymno septenarius sacer significat omnia dona Spiritus sancti, quorum capita vulgo revocantur ad septem capita ex *Esa.* 11. Deinde virtutis meritum ponitur pro præmio. Nam Spiritus sanctus

— — per sua dona venire
Ad sua dona facit, quodq; adjuvat ipse ministrat:

Ut canit Arator.

Cæterùm quomodo apostoli sint lux mundi, & non sint, eleganter docet prosa Victorii de Johanne Baptista:

Agnum monstrat in aperto
Vox clamantis in deserto,
Vox verbi prænuntia.
Ardens fide, verbo lucens,
Et ad veram lucem ducens,
Multa docet millia.
Non lux iste, sed lucerna,
Christus verò lux æterna,
Lux illustrans omnia.

Λύτρον. Est pretiũ redemtionis, quod pro redemtura datur; pretium redemti, apud Livium; pretiũ quo captivi redimuntur. In N. T. legitur hæc vox de Christo *Matt.* 20. *v.* 28. Et 1. *Tim.* 2. *v.* 6. eodem sensu occurrit vox ἀντίλυτρον. Nimirũ Christus vitam suam dedit pro nobis, ut expiaret peccata nostra, & nos ab omni potestate diaboli liberatos æterna vita donaret. Itaque revera dedit seipsum ἀντίλυτρον ὑπὲρ ἡμῶν. Hoc λύτρον *Ignatius epist.* 6. *ad Philippenses* eleganter appellat dotẽ ecclesiæ, q̃ à sponso suo Christo accipit. Verba Ignatii vide supra ad titul. Jesus. Cæterùm omnes miseriæ & cruciatus, quos Christus à prima statim nativitate usq; ad extremũ halitum in ara crucis sustinuit, præcipuè verò mors crucis, exquisita illa, illiq; dolores cumulatè sumti de quib. *Esa.* 53. hæc inquam, omnia sunt pretiũ satisfactionis Jesu Christi. Intellige satisfactionem sive solutionẽ propriè dictam, quæ est plena & adæquata: non verò impropriam & catachresticã, quæ dici solet acceptilatio, & est ficta & imaginaria solutio, dum acceptum refertur, & pro soluto habetur, quod revera solutum nõ est. Hujusmodi solutio nõ est tribuenda Christo. Nam il-

le ex divino, benevolo, ac justo decreto, pro sua erga Patrem obedientia, & erga homines charitate, seipsum ultrò ac spontè vadem & sponsorem pro nobis, nostro scilicet loco & bono, sistens, pro nobis pœnas omnes luit peccatis nostris debitas, easq; perferendo & exhauriendo, divinæ justitiæ satisfecit, meritoque suo nos ab ira, maledictione Dei, ac morte æterna liberavit, justitiam & vitam æternam acquisivit, ad justitiæ misericordiæque Dei declarationem, nostramque salutem.

MACABÆUS. Hoc nomen ortum putatur ex quatuor illis literis מכבי quibus pro tesserâ militari utebantur Assamonæi in vexillis suis. Nam si componantur quatuor istæ literæ, efficitur vox מַכַּבִּי. Sunt autem istæ literæ desumtæ ex c.14.v.11.Exodi, מִי כָּמֹכָה בָּאֵלִים יְהוָֹה *Quis sicut tu inter deos Jehova?* Cęterùm Macabæi usurparunt istud symbolum, ut ostenderent, se sub Michaële, ductore illo populi Dei, militare, quẽ Antiochi idolis, i. e. antichristo ejusque regno, quorũ typum ille gerebat, opponebant. Scaliger tamen existimat Judam filiũ Mattathiæ solum cognominatum fuisse Macabæũ, idq; jam à puero: & probat ex antiquissimis Judæorum monumentis, leonem ejus vexillo intextum fuisse. Idem tradit, omnes qui propter religionis Judaicæ professionem variis persecutionibus fuerunt exerciti, à Judæis Hellenistis appellatos fuisse Macabæos; etiam illos, qui ante Judam Macabæum vixerunt. Itaque Judas hoc cognomen accepit à puero tanquam propheticum: ut significaretur, ipsum fore eximium inter Macabæos ducem,

MACARISMI. Sunt hymni in commemorationem beatitudinis sanctorum. Μακαρισμὸς propriè est beatificatio, & & per metonymiam hymnus testificans beatificationem.

MACROCOSMUS. Est magnus mundus, cõstans ex cœlo & terra, & creaturis in eo contentis. Nam μακρὸς est lõgus & magnus: κόσμος, mundus. Huic opponitur microcosmus, i. e. parvus mundus, ut est homo.

MACTO. Propriè est mactum, id est, magis auctum facio, augeo, magnifico. Hac voce sæpe utitur Arnobius: ut cùm lib.7.adversigent.ait: *Ego contumeliæ proximum, quinimò esse plenam contumeliam judico, cùm honorari ab homine Deus dicitur, & muneris alicujus oblatione* mactari. *Etenim si honos auget ejusq; accumulat dignitatem, cui fuerit attributus sequitur ut auctior Deus fiat ab homine, à quò fuerit munere & honoris collatione donatus. atque ita eò perducitur res, ut inferior Deus sit, qui honoribus* mactatur *humanis.* Hoc vult doctissimus pater, Deum nõ ita honorari à nobis, ut homines honorantur. Nam hominibus aliquid accedit per honorẽ, qui ipsis defertur: at Deus nõ fit melior aut beatior nostro cultu & honore, sed tantũ ejus perfectio & majestas agnoscitur, prædicatur, amatur. Hinc *Ps.*69.31. dicit vir sanctus אֲגַדְּלֶנּוּ בְתוֹדָה μεγαλυνῶ αὐτὸν ἐν αἰνέσει *Magnificabo eum in laude*, h.e. laudabo ipsius magnitudinem. Confer 2.*Sam.*22.26. *Psal.*35.27. *Luc.*1.46. Deinde *macto* est jugulo sacrificii causa. Hęc significatio huic verbo ex eo tributa est, quòd, cui sacrificatur, is mactatur, id est, augetur honore: & ipsa quoque pecus sic honoratur, dum à profano usu segregata in sacrum deputatur. Dicitur autem *mactare Deum hostiâ*, id est, honorare: usitatiùs *mactare Deo hostiam.*

MACULA. Est corporis, vel animæ. Macula corporis est vitiũ in corpore hõinis, vel in aliis rebus, ut in animali offerendo *Exod.* 12. 5. Macula animæ est ipsa interna peccati indignitas, quæ Scholasticis appellatur reatus culpæ.

MAGI. *Matthæus ca.* 2. magos appellat, qui fuerunt, non carminum superstitiosorum & præstigiarum artifices, sed viri sapientes, & docti, & ii quidem reguli, seu toparchæ ditionis Persicæ: quæ illa ætate proprium regulum habebat, qui parebat regi Parthorum, ut ait Strabo. *Epiphanius in compendio fidei*, putat venisse hos Magos ex Arabiæ quadam regione, quã ipse Magodiam nominat: ita ut Magi appellatio hîc sit nomen ἐθνικόν. Sed nulla est regio in Arabia hoc nomine: neque à nomine Magodia formari potest nomen gentile Magus. Μαγωδὸς est mimus utriusque sexus personas assimilans: & μαγωδία est tale artificium. Sed quid hæc ad nostros illos Magos? Errant & illi, qui existimant nomen μάγος esse Græcum, à μάττω, *pinso.* Nam neque ulla ratio hujus etymi potest adferri: & Plato, Xenophon, Strabo, Plinius, Diogenes Laërtius, atque alii docent Persicum id esse vocabulum. Hoc igitur primùm constare debet, Magos propriè dictos, Persarum sapientes fuisse, vel sacerdotes. Nam Herodotus, Strabo, & alii, præcipuum illorum officium fuisse ostendunt, ut sacra Persarum curarent, & sapientiam profiterentur. Græci cùm de Persicis rebus hanc vocem usurpant, nunquam aliter accipiunt: at longè aliter, cùm de magis illis, qui inter ipsos Græcos occultarum artium notitiam profitebantur. Tũc enim in malam partem, ut plurimùm, id verbi accipitur; quia plerique religionis & arcanæ scientiæ obtentu, artes maleficas exercebant: unde querela illa Plinii, & cùm ipsius, tum aliorum multorum detestatio magiæ. *Philo Iudæus* variis locis duplicem facit magiam: legitimam unã, circa cognitionem naturæ versantem, Regibus maximis, præsertim Persarum, coli solitam: alteram παραχάραγμα ταύτης, adulterationem prioris. Porro dum Evangelista ait Magos nostros venisse ab Oriente, intelligit Magos Persarum: quia historiæ non commemorant alios Magos Orientis, nisi Persarum. Justinus, Epiphanius, & alii istos ex Arabia venisse scribunt: & Theophylactus de Bileami posteritate fuisse ait, qui fuit conductus à Balako Moabita, adeoque in Moabiam (.quæ sanè est pars Arabiæ.) accitus. Sed Bileam fuit Interamnâs è Mesopotamia, ut constat ex *Numer.* 23. *v.* 7. *&* *Deuter.* 21. *vers.* 4. Quomodo itaque tam subitò in Moabia potuit unica ipsius prophetia tot Magos parere? Meliùs itaque Chrysostomus, & alii statuunt, Magos illos fuisse Persas. Ita quoque sentit *Basilius Magnus*, cujus verba in Nativitate Christi de his Magis ita habent: ἔθνος Περσικὸν οἱ Μάγοι, *Magi sunt populus Persicus.* Persæ igitur erant hi Magi, qui Christum adoratum venerunt. An autem isti Magi reges erant? an tres duntaxat? an denique ipsorum nomina vera à majoribus prodita sunt? Resp. ad 1. Verisimile est fuisse regulos, sive toparchas. Hoc certum est, fuisse homines splendidos, & alicujus nominis. In hymno, qui cani solebat die Epiphaniæ, hæc leguntur:

Hunc canit lætus chorus angelorum,
Stella declarat: veniunt Eoi
Principes digno celebrare cultu
Mystica dona.

Thus Deo, myrrham trocleten humando,
Bracteas regi Chryseas decenti:
Dum colunt unum, meminere trino
Tres dare terna.

Hîc appellantur Principes. Quod attinet ad vocabulum *trocleten*, Chlichtovæus interpretatur rotundam: Siberus, Troglodyticã, de qua Dioscorides. Resp. ad 2. Sicut probabiliter potest disseri, fuisse reges: ita quoque fuisse tres. Fermè id colligũt ex numero donariorum, de quo paulò antè in hymno. Plerique scriptores hunc numerum asserunt: ut Juvencus,

Aurum, thus, myrrham, regique, hominique, Deoque
Dona ferunt —— Sedulius ita canit:
Thura dedere Deo, myrrhã tribuêre sepulto:

Per aurum, Christi regnum: per thus, ejus pontificatus: per myrrham, mors significabatur. Thus ad sacrificium, aurum ad tributum, myrrha pertinet ad sepulturã, ut ait Fulgentius. Sic & alii passim. Resp. ad 3. *Beda* habet hæc nomina Melchior, Caspar, Balthasar: *Zacharias Chrysopolitanus* ista Hebraica, ut ait, Apellius, Amerus, Damascus: *idem & Petrus Comestor* hæc Græca, ut volunt, Magalath, Galgalath, Saracin: *manuscriptum Græcum* ista, Ator, Sator, & Peratoras. Sed meræ sunt hariolationes.

MAGISTRATUS. In abstracto est honor, sive dignitas, & officium ejus, qui magister sive præfectus est. In concreto significat ipsam personam, quę honorem istum gerit. Eleganter hanc in sentẽtiam Festus ait: *Magistratus, qui per imperia potentiores sunt, quàm privati. Quæ vox duabus significationibus notatur, nam aut personam ipsam demonstrat; ut cùm dicitur, magistratus jussit: aut honorem, ut cùm dicimus, Titio magistratus datus est.* Idem hanc vocem deducit à *magistrare*, quod exponit *regere, temperare, moderari.* Cæterùm potestas magistratus, quæ est ab ipso Deo, distinguenda est ab infidelitate & improbitate, quæ à pravo magistratus animo existit. Distinguenda, inquam est, ut τάξις ab ἀταξίᾳ, & officiũ à vitio. Neque enim nostra vitia ordinationi Dei per se bonæ vel possunt, vel debent esse præjudicio. Oportet itaq; etiam δυσκόλῳ magistratui obedire. *Rom.* 13. 1. ubi Apostolꝰ ait Omnis anima: quæ verba Bernhardus eleganter sic explicat: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Si quis tentat excipere, conatur decipere. Si omnis, & vestra. Quis vos excepit ab universitate?*

MAGNALIA. In veteri Latina versione sic dicuntur magnifica, & inprimis æstimanda opera. *Exod.* 14. 13 *Deut.* 10. 21. *&* 11. 2. 2. *Sam.* 7. *v.* 21. 22. 2. *Reg.* 8. 4. 1. *Chron.* 17. 19. *Psal.* 106. 21. *Actor.* 2. 11. *Sap.* 18. *Eccles.* 1. *&* 17. *&* 18. *&* 36. *&* 42. 2. *Maccab.* 3. Græcè dicuntur μεγαλεῖα. Sic 1. *Chron.* 17. 19. *& Psal.* 71. 19. גדלות LXX. vertunt τὰ μεγαλεῖα.

MAGNUM SABBATUM. Septimana ante Pascha Patribus Græcis appellatur μεγάλη ἑβδομάς. Infima Latinitas vocavit *Poenosam*, ut apud Bernhardũ. Feria quinta illius septimanæ dicta est ἡ ἁγία κ̀ μεγάλη πεντὰς, *sancta & magna feria quinta*: quia isto die Christus est crucifixꝰ. Diem sequentem dixerunt *magnum sabbatum.*

MAGOG. Fuit filius Japhethi *Gen.* 10. 2. Ab illo ortæ sunt duæ gentes, Gog & Magog, & ab his Scythæ, qui & Magogi dicuntur. Hodiè quoque supersunt vestigia duorum istorum nominum. Sunt n. in Tartariâ duæ regiones, quas illi Gug & Mungug appellãt. Porrò *Ezech* 38. 2. junguntur Gog & terra Magog: *& Apocal.* 20. 8. Gog & Magog. Utrobiq; significãtur omnes adversarii regni Christi per synec-

necdochen. Fortassis Gog significat hostes Christi tectos, Magog apertos. Nam גג Hebræis est tectum. Breviter Cõcord. Lat.vulg.versf.ajunt: *Magog & Gog hostes ecclesiæ significant.*

MAJESTAS. Est vera, vel apparẽs. Majestas vera est vel infinita, independens, & illimitata, ut est gloria Dei *Exod*.40.35. *Num*.14.22. *Deut*.5.24. 2.*Chron*.7.1.*Ps*.29. 3.*Prov*.25.27.*Matth*.14.28.*&c.* vel finita, dependens, & limitata, ut dignitas magistratus *Iud.v*.8. Majestas apparens est idolorũ, ex idololatrarũ hypothesi *Act*.19.27.

MALEDICO. Aliquis maledicit verbo, vel opere. Sic maledictio divina non est tantùm verbi, sed etiam aliquãdo rei. Sic etiam Deus benedicit verbo & opere. Deinde maledictio est legitima, vel illegitima. In Concordantiis Lat. hæc habentur: Maledicit Deus hominibus peccatoribus, & reliquis creaturis propter homines peccatores, vel gratiã suam justè subtrahens, vel etiam pœnas temporales aut æternas peccatoribus infligens. Ibidem: Maledictio est vel Dei punientis, vel hominis maledictionem in alios justè vel injustè efferentis.

MALIGNUS. Dicitur 1. de homine *Iob* 5.12.*Ps*.5.5.*&* 10.15.2.de diabolo.1.*Ioh*.2. 3.*&* 14.*c*.3.12.*c*.5.*v*.18.19.

MALIGNOR. Est malè facio, malis afficio. 1. *Chr*.16.22. *Ps*.37.*v*.8.*&* 9.*&* 74.3. *&* 104.15. Legitur etiam maligno, are. *Psal*.83.4.

MALIGNANTES. Sunt malefici, & scelerati. *Psal*.22.17.& 37.1.*&* 64.3.*&* 92.12. *&* 94.16. Hinc ecclesia malignantium. *Psal*.26.5.

MALOGRANATUM. Est 1. naturale *Num*.20.5.*Deuter*.8.8.1.*Sam*.14.2.*Ioel*.1.12. *Hag*.2.20.2. artificiale *Exo*.39.25.1.*Reg*.7.*v*. 18.20.42.2.*Chr*.3.16.*&* 4.13.*Ier*.52.*v*.22.23.

MALUM. Est aliud vitii seu culpæ *Gen*. 6.5. aliud pœnæ, seu conditionis & afflictionis *Amos*.3.6. Malum istud pœnæ est vel bonum, quando pœna est justa: vel malum moraliter, adeoque & malum vitii, quando pœna est injusta.

MAMMONA. Vox hæc est Chaldaica, usurpata in Evangelio *Matth*.6.24.*Luc*.16. *v*.9.11.13. Significat divitias, à radice אמן, nutrire, firmum esse: quòd Mammon significet ea bona, quibus alimur, & quæ sunt nostræ caducæ vitæ firmitas.

MAMMONA INIQUITATIS. Variè exponitur, hoc modo. 1. divitiæ ab injusto homine injustè acquisitæ. 2. divitiæ plurimùm cum injustitia insumtæ. 3. divitiæ dantes occasionem injustè agendi seu peccandi. 4. divitiæ mendaces, fallaces & incertæ. Quæ postrema explicatio confirmatur hunc in modum. *Luc*.16.11. opponuntur inter sese Mammona ἄδικος & ἀληθινὸς, id est, injustus & verus. Bona terrestria non sunt vera bona, si comparentur cum cœlestibus: sed sunt injusta, si quis ea habeat pro veris. Nam quemadmodum injusti homines fallere eos solent, qui ipsis fidunt: ita opes mundanę fallunt possessores suos, qui eis nituntur, & eas perpetuas somniant.

MAMMA. Est 1. membrum nativum corporis. 2. mystica pars in corpore ecclesiæ *Cant*.4.10.3. symbolum idololatriæ. *Ezech*.23.*v*.3.17.21.

MAMZER. Hæc vox occurrit *Deut*.23. 2. Non ingredietur Mamzer in ecclesiam Dei. Significatur autem hac voce omnis, qui est natus ex muliere non conjuge. Græci scribunt μανζὴρ. Et Papias similiter: *Manzer filius scorti.* Vox Hebræa derivatur à זר alienus: ita ut ממזר

sit

sit valde alienus, scil. à legitima familia. Nam duplex מ intendit hoc loco significationem. Cæterùm Mamzer prohibetur ingredi ecclesiam, non simpliciter, sed ita, ut nô fungatur publico aliquo munere: sc. ordinariè. Nam Jephthe extra ordinem gessit magistratum in populo Dei: licet esset spurius.

MANDA REMANDA. EXPECTA REEXPECTA. Vetus interpres Latinus sic vertit verba Hebraica *Esa.* 28. 10. קַו לָקָו צַו לָצָו q.d. præceptum præcepto cumula, & indesinenter expecta: nihil efficies. Adeo indociles sunt Judæi. Alii interpretantur hoc modo: *Præceptum ad præceptum, linea ad lineam, seu regula ad regulam*; ita ut hîc sit sensus; Judæi sunt indociles, quocunque tandem modo tractentur, sive accurata, sive puerili institutione, ut solet cũ rudioribus agi per iterationes præceptionum, ac delineationes ad oculum expressas.


MANDRA. Hæc vox origine est generalis, ut Latinis mansio & habitatio. In specie est stabulum pecorum, & monasterium. Hinc *archimandrita* est præfectus monasterii, In Novell. Iust. 5. & 123. ita legere est: τὸν ἀββᾶν ἢ τὸν ἀρχιμανδρίτην.

MANDRAGORA. Legitur hæc vox in versione Latina Bibl. *Genes.* 30. *v.* 14. 15. 16. & *Cant.* 7. 13. pro Hebræa דּוּדָאִים quam Junius putat significare flores elegantia & odore amabiles. *Augustinus lib.* 22. *contra Faustum c.* 56. vocat pomum mandragoricum, & ait, se poma ista gustasse, & comperisse pulchra & suaveolentia, sed sapore insipido. Addit: se ignorare, cur mulier ea tantopere concupiverit, nisi fortè propter pomi raritatem, & odoris jucunditatem. Alii alia tradunt.

MANDUCO. Est 1 manducatio corporalis, sive oralis. *Exod.* 32. 6. *Iohan.* 6 5. 2. spiritualis, quæ fit ore fidei. *Ioh.* 6. *v.* 50. 51. 53. 54. 56. 57. 58. 1. *Cor.* 10. 3. 3. sacramentalis, eaque vel nuda, solorum symbolorum, vel conjuncta cum spirituali 1. *Corinth.* 11. 24.

MANE, THECEL, PHARES. Hæ voces leguntur *Dan.* 5. 27. in versione Latina veteri, & apud L X X. In originali sic leguntur מְנֵא תְקֵל וּפַרְסִין i.e. *Numeravit, appendit, & dividentes.* Hæc est scriptura manus Dei, qua Balsasari divinum judiciũ denũtiabatur; quòd nempe Deus numerasset regnum ejus & complevisset, regem ponderasset ac justo leviorem invenisset, regnoque indignum: quod iccirco cessit Medo & Persæ: ad quas voces alluditur.

MANNA. Forma vocis est Chaldaica: Hebraicè *Man*, id est, paratum, scil. ad edendum: à radice מָנָה. In Piel est מִנָּה præparare, destinare, distribuere. Itaque Manna est portio jam præparata & unicuique destinata divinitùs. Color & usus ejus describitur *Num.* 11. Est autem manna illud typus partim Christi, qui est nobis panis vitæ è cœlo descendens, & famem nostram explens, suaviterque animam nostram reficiens: partim jucunditatis gaudiorum, quæ est in vita æterna. Hoc est manna illud occultum, de quo *Apoc.* 2. 17. Cæterùm manna illud Israeliticum non habuit causam aliquam naturalem, qualem habet manna Syriacum, Germanicum, & Calabricum: quibus nonnulli addunt manna Polonicum, & manna rusticorum. Accipe tabellam hac de re.



MANE JUNCTUM VESPERI. In hymno Ambrosii *Lucis creator optime* legitur hæc phrasis hunc in modum:

Qui manè junctum vesperi
Diem vocari præcipis.

Nimirum ex vespere & manè dies unus extitit, *Genes.* 1. Hinc Judæi initium diei capiunt à vespere: quemadmodum feriarum celebritates religiosæ apud Christianos ab eadem incipiunt.

MANEO. Significat stabilitatem 1. corporalem *Genes.* 19. 2. 2. mysticam, eamque vel περιχωρήσεως in SS. Trinitate *Ioh.* 14. 10. vel præsentiæ gratiosæ Dei & unionis nostræ cum Christo. 1. *Ioh.* 1. & 2.

MANICHÆUS. Propriè est adjectivum, & significat eum, qui ad Manem pertinet: sed usurpatur pro ipso Mane, hæresiarchâ, qui in epistolâ quadam sic scribit: Μανιχαῖος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χριστοῦ.

MARAN ATHA. Legitur 1. *Corint.* 16. 22. Sunt voces Syriacæ, quas Hesych. ita vertit: ὁ κύριος ἦλθεν. Adde: κύριος ἡμῶν, *Dominus noster*. Hieronymus ait: *Maran atha magis Syrum est, quàm Hebraicum, tametsi ex confinio utrarumque linguarum aliquid & Hebræum sonet, & interpretetur, Dominus noster venit; ut sit sensus: Si quis non amat Dominum* JESUM CHRISTUM, *anathema sit, & illo completo deinceps inferatur, Dominus noster venit; quòd superfluum sit adversum eum odiis pertinacibus velle contendere, quem venisse jam constet.* Lutherus vertit Anathema Maharam Motha, & in suis notis ad versionem Germ. sic ait: Ban auff Deutsch / Anathema auff Griechisch / Maharam auff Ebreisch / ist ein Ding. Moth aber heist todt. Will nun S. Paulus sagen / Wer Christum nicht lieb hat / der ist verbant zum Tode. Vide Levit. 6. Hactenus Lutherus. Sed huic lectioni & expositioni repugnant codices Græci, Syriaci, & Latini. Quare hic sensus meritò admittitur: Qui JESUM CHRISTUM non diligit, sit anathema, id est, maledictus: & ne hoc judicium servorum Dei & ecclesiæ contemnatur. Ecce *Dominus venit*, qui id exsequetur. Confer *Iudæ vers.* 14. 15. His ergo verbis indicatur species extremi anathematis; cùm quis judicio Dei, tanquam piaculum, relinquitur. Hoc anathematis genus Rabbini vocant שַׁמְתָּא. Habent illi tres species anathematum. 1. נִדּוּי, cùm quis, ut immundus, ad tempus ab hominum consortio, aut ex cœtu ecclesiæ excluditur. 2. חֵרֶם, cùm quis, se non emendans, ex populo suo exscinditur. 3. שַׁמְתָּא, extrema imprecatio, qua quis pro maledicto habetur.

betur. Prima vox est à נָדָה *removere*, secunda à חֵרֶם *devovere*, tertia composita ex שֵׁם אֲתָא *Deus venit*: nisi malis ex שֵׁם מִיתָה *ibi mors*.

Mare. Hæc vox in Apocalypsi utplurimùm ipsum doctrinæ publicæ gen⁹ indicat. *Deinde* sæpe significat Occidentalem orbis partem, quâ ea mari mediterraneo alluitur. Sub quo nempe tractu hæ regiones continentur, Asia minor, Europa universa, & quidquid insularum intra vel extra maris mediterranei claustra huic terræ tractui adjacet. Sed redeamus ad primum significatum. Mare ipsum cum doctrina per se considerata non habet magnam convenientiam, sed cum doctrinæ publicè diffusæ corpore, quatenus illud catholico credentium cœtui commune est, & quatenus ejusdem qualitas è cœlo immediatè afficitur. Confer *Apocal.* 15. cum *Ezechiel.* 47. 8. 9. 10. 11. Per hujus maris puritatem vel impuritatem animalia vel vivunt, vel moriuntur, hoc est, Christiani vitam vel mortem æternam habent præmium. Vide *Actor.* 10. 12. ubi Petro in pictura animalium spectandus exhibetur cœtus omnium vocatorum, qui Christianam religionem quocunque modo profitentur. Horum vita & mors æterna in doctrinæ puritate vel impuritate consistit. Ergo per mare, per cujus qualitatem hi vivere vel mori dicuntur, doctrinæ publicæ status & conditio significatur. Hoc mare *Apocal.* 21. 6. dicitur non ampliùs extare in cœlesti Jerusalem: quo nihil aliud significatur, quàm doctrinæ publicæ usum & exercitium ibi non habere locum. Porrò *mare sanguinolentum Apocal.* 8. 8. & 16. 3. significat doctrinam publicam impuro traditionum cruore infectam.

Mare magnum. Ita in Scripturis vocatur mare mediterraneum: magnum scilicet ad differentiam aliorum minorum in terra Israelitica, ut sunt mare Genesarethanum, mare salis. Idem mare mediterraneum etiam vocatur mare posterius, seu Occidentale, quia terræ sanctæ situm est ad Occidentem.

Mare rubrum. Sic appellatur sinus Arabicus, non certè à colore (nam colore non abhorret à cæteris, ut ait *Curtius libro octavo*.) sed ab Erythro rege, qui ibi regnavit. Is autem fuit Esau, cognomine Edom, id est, ἐρυθρός, *ruber*. Vide locum 1. *Regum* 9 *vers.* 26. Cæterùm in sacris hoc mare appellatur יַם סוּף id est, mare junci, sive algæ; quia hujusmodi plantæ in litore nascuntur, ut docet *Strabo libr.* 16. Fallitur itaque *Benjamin*, qui tradit in itinerario, *jam suph* ita dici, quasi mare finis, quòd sit mare ultimum terræ sanctæ. Nam סוֹף non est finis, sed סוּף. Deinde mare mediterraneum æquè est in extremitate Judææ atque rubrum. Porrò mare rubrum seu carecti etiam dicitur mare Ægypti.

Mare salis. Est lacus ille salsugine infectus, mistus cœlesti pluviæ, qua fuerunt eversa Sodoma, Gomorrha, Adama, & Zeboim cum suis vicis. Lacus ille usitatè dicitur *Asphaltites* & *mare mortuum*.

Mare fusum. Erat vas æreum, & amplum in templo, ubi sacerdotes ad altare ascensuri antè manus & pedes abluebant. *Ioseph. libr.* 8. *antiq. cap.* 2. de Salomone: *Fecit etiam vas aheneum semiorbis specie, quod propter capacitatem appellatum est mare. Erat enim labrum patens per dimetientem lineam in cubitos decem, craßitudine palmari: ejus meditullium sustinebatur spirâ decies reduplicatâ;*

plicatâ; cujus dimetiens linea fuit cubitalis. Et paulò pòst: *Capiebat autem hoc mare congiorum tria millia.* 1. *Regum* 7.26. dicitur cepiſſe duo millia batorum: 2. *Paralip.* 4. 5. tria millia. Ibi eſt ſermo de aridis, hîc de liquidis. Nimirum ſæpe uſu venit, ut eædem ſint menſuræ aridorum & liquidorum; & tunc aridorum minores ſunt, liquidorum majores. Alii ſic conciliant, quòd minor fuerit ea menſura, quæ ordinariè inferebatur, major autem tota capacitas, uſque ad ſummitatem labri.

Mare vitreum. Apocalypſis *cap.* 15. hac phraſi ſignificat cœleſtem illam veritatem, quæ in ſcriptis Prophetarum & Apoſtolorum revelata eſt. Hæc enim eſt ſincerum, immutabile, & nulla humanarum traditionum admiſtione corruptum mare, ex quo omnia ſalutaris doctrinæ flumina in totum mundum derivantur. Vitrum eſt res ſolida, ſimilaris ſubſtantiæ, pura, pellucida, incorruptibilis: unde Hebræis זְכוּכִית à זָכַךְ *purus, ſimplex, intemeratus fuit*, dicitur. Per mare itaque vitreum ejuſmodi doctrina intelligenda eſt, cui hæ vitri proprietates conveniunt. Talis autem eſt doctrina verbi Dei. *Pſal.* 12.19. & 119. Eſt, inquam, hæc doctrina ſola 1. ſolida, immutabilis, & nuſquam cedens. 2. ſemper & ubique ſibi ſimilis. 3. pura. 4. perſpicua. 5. incorrupta, reſpuens omnium mixturam, additionem & detractionem propter partium ſuarum ſoliditatem. Porrò ad hoc mare dicuntur cantare citharœdi Dei *Apocal.* 15. Per hos cantores intelliguntur Danielis מַשְׂכִּילִים *cap.* 11. hoc eſt, teſtes Jeſu Chriſti, qui citharis, hoc eſt, cœleſtibus donis, inſtructi, piâ conſtantia verbum Dei prædicando, ſuo concentu muſico gloriam Chriſti celebrant. Hi ſoli ſunt accolæ iſtius maris, iique perpetui. *Alii* mare vitreum interpretantur de perfectione bonorum cœleſtium. *Mare* profundam copiam & abundantiam notat. *Vitreum* autem illud dicitur propter claritatem & puritatem. Ideo etiam *Apocal.* 4. 6. deſcribitur ut ſimile cryſtallo, qui eſt ſplendidus, ſolidus, ac ſtabilis. At *cap.* 15. 5. dicitur *mixtum igni*, qui luce & calore ſuo figurat ſapientiam & ſanctimoniam à Spiritu ſancto effectam, per quam Deum videmus, & in eo vitaliter calemus. *Alius* mare hoc figurat ſapientiam Dei, cui omnia, quæ in his terris geruntur, tanquam in cryſtallino ſpeculo evidenter in cœlis repræſentantur. *Alii* denique hæc ita explicant. Mare vitreum, cryſtallo ſimile, igni mixtum, coram throno Dei, ſignificat abyſſum divinæ ſapientiæ, cui omnia clariſſimè ſunt cognita & perſpicua, & bonitatis ejus cum juſtitia conjunctæ, quam exerit erga nos in Chriſto per efficacitatem Spiritus ſui ſancti, quæ in ſacris literis aquæ & igni comparatur, quia nos purgat à ſordibus, refrigerat contra æſtum iræ Dei, fœcundat ad proferendos fructus bonorum operum; & nos ad Dei amorem inflammat atque fovet in vigore fidei & pietatis; & conſolidat adverſus pericula & tentationes. Ex eodem illo mari cœleſti omnis ſalus derivatur in eccleſiam militantem & triumphantem, à throno Dei, qui eſt thronus tum juſtitiæ tum miſericordiæ, cum omni ſapientia, & veritate, ac potentia.

Maria. Multæ fœminæ hoc nomine præditæ occurrunt in Scripturis.

1. Soror Mosis & Aharonis. *Exod.* 6. *Num.* 12. 2. Mater Domini nostri Jesu Christi *Matth.* 1. *Luc.* 1. 3. Maria Magdalena. *Matt.* 27. *&* 28. 4. Maria mater Jacobi & Josephi. *Matth.* 27. *vers.* 56. 61. *cap.* 28. 1. *Marc.* 6. 3. *c.* 15. 40. *c.* 16. 1. *Luc.* 24. 10. 5. Maria mater Johannis Marci. *Actor.* 12. 12. 6. Maria soror Lazari *Luc.* 10. *&* *Ioh.* 11. 7. Maria Cleopæ. *Iohan.* 19. 21. 8. Pia quædam matrona Romæ. *Rom.* 16. 6. Hîc disputatur, an una eademque fuerit fœmina, Maria Magdalena, & peccatrix illa *Luc.* 7. de qua dicitur, *Dilexit multùm*, id est, fidem copiosam declaravit, *οὐ νομικῇ ἐπιδιώξει, ἀλλὰ σπουδῇ ἑκουσίῳ*, ut eleganter ait Camerarius.

Maria virgo. Vox *Maria* Hebræis stillam sive guttam maris significat, vel etiam mare amarum. Hieronymus affirmat, Syris dominam significare. Superstitiosa barbaries ex stilla maris stellam fecit. Quod etymō etiam sequitur Bernhardus. Variis elogiis hæc mater Domini insignitur: è quibus multa sunt idololatrica, ut quòd appellatur Domina nostra, mater gratiæ, patrona, advocata &c. multa convenientissima, ut *ἀειπάρθενος*, *semper virgo*, *θεομήτωρ*, *Dei mater*: *θεοτόκος*, *Deipara*: multa denique ambigua, quæ commodam interpretationem postulãt, ut quando appellatur fenestra cœli: à Fulgentio & Gregorio Magno: per q̃ sc. fenestram natus est in terris Filius Dei, non per quam ingrediamur in cœlum. Ita etiam Fulgentius: Facta est, *inquit*, Maria fenestra cœli: quia per ipsam Deus verum fudit seculis lumen. Potest etiam alia hujus nominis adferri ratio ex *Actio lib.* 2.

Virginis hærebant immotis viscera claustris
Haud aliter, quàm cùm purum specularia lumen
Admittunt: lux ipsa quidem pertransit, & omnes
Irrũpens laxat tenebras, & discutit umbras:
Illa manent illæsa ———

Vide Tertullianum de carne Christi. Adferuntur & aliæ similitudines de hac mirabili nativitate Christi ex virgine, *in Prosâ Adami Victorij*:

Si crystallus sit humecta,
Atque soli sit objecta,
Scintillat igniculum.
Nec crystallus rumpitur:
Nec in partu solvitur
Pudoris signaculum.

Et paulò post:

Cur quod virgo peperit
Est Iudæis scandalum?
Cùm virga produxerit
Sicca sic amygdalum.

Ibidē adfertur similitudo sumta à vellere Gedeonis, ꝙ erat impenetrabile nimbis *Iudic.* 6. In Antiphonâ *ô admirabile commercium* hæc leguntur: *Rubum, quem viderat Moses incombustum, conservatam agnovimus tuam laudabilem virginitatem Dei genitrix. Te laudamus Deus noster.*

Martyr. Martyres vocat Ecclesia, qui Christo dederunt testimonium; & pro veritate cœlesti labores, ludibria, ærumnas, cruciatus corporum, exilia, ac mortem denique fortiter sustulerunt, & pro ludo habuerunt. Unde *Prudentius*:

Tormenta, carcer, ungulæ,
Stridensq; flammis lamina,
Atque ipsa pœnarum ultima
Mors, Christianis ludus est.

Hi sunt, qui, ut est in hymno,

Terrore victo seculi,
Spretisq; pœnis corporis,
Mortis sacræ compendio
Vitam beatam possident.

Viros

Viros plerumque μεγαλομάρτυρας, ut fœminas καλλιμάρτυρας appellabāt. Porrò martyrium distinguitur in incruentum & cruentum; & hoc propriè positum est in morte ultronea ob causam Christi *Apoc.* 17. 6. Augustinus in Psal. 127. ita scribit: *Seculi homines infeliciter felices sunt. Martyres autem feliciter infelices erant. Erant enim ad tempus infelices, sed in æternum felices: & in eo ipso, quòd erant ad tempus infelices, putabantur magis infelices, quàm erant. Quid enim dicit apostolus? Quasi tristes, semper autem gaudentes. Quare semper? Et hîc & ibi, prorsus hîc & ibi. Hîc enim unde gaudemus? De spe. Ibi unde gaudemus? De re. Magnum gaudium habet spes gaudentis. Et, si spe gaudentes, videte, quid sequitur, in tribulatione patientes. Martyres ergo ideo in tribulatione patientes erāt, quia spe gaudebant.* Porrò martyrium significat 1. actionem seu confessionem martyris, quâ testatā facit fidem suam. 2. sententiam, quam martyr sua confessione enuntiat. 3. passionem, quæ ab hostibus propter veritatis confessionem infligitur. 4. locum, ubi martyr est sepultus.

מַשְׂכִּלִים. Apud Danielem *c.* 12. duobus attributis ornantur testes veritatis, id est, fidi pastores verbi:

: משכי לים ומעדיקי רבים, *Eruditi*, vel, *Erudientes, & qui multos ad justitiam informant.* Prius vocabulum propriè illos indicat, qui excellentibus ingenii dotibus præditi sunt. Et, si R. Salomoni credimus, prophetarum orales interpretes, qualis fuit Baruch, olim peculiariter hoc vocabulo sunt appellati. Per posterius vocabulum designatur illorum officium, per quod dona illa ad specialem usum transferuntur, dum videl. multos ad veræ justitiæ semitam voce & exemplo revocant. De voce משכיל observa, illam verti activè & passivè. Si prior versio in loco Danielis retineatur, vox משכילים notabit habitum, מעדיקים actum: si posterior, משכילים & מעדיקים different ut genus & species.

Masora. Legitur etiam *Massora*: item *Masoreth* ac *Massoreth*. Occurrit hæc vox *Ezech.* 20. 37. & significat traditionem in genere. In specie Masora est doctrina critica à priscis Hebræorum sapientibus circa textum Hebræum veteris Canonis ingeniosè inventa, quâ versus, voces, & literæ ejus numeratæ omnisq; ipsarum varietas notata, & suis locis cum singulorum versuum recitatione indicata est, ut sic constans & genuina ejus lectio conservetur, & ab omni mutatione aut corruptione validè præmuniatur. Authores ejus dicuntur *Masorethæ*.

Materiale. Vide Peccatum.

Matricularius. Ita dicebatur ecclesiæ œconomus, quòd matriculam bonorum ecclesiæ haberet. In Gloss. Isid. hæc legere est: *Matricularius, pauper, inops.* Nimirum matricularii isti erant tenuis conditionis homines.

Matutinus. Judæi diem naturalem (.quem alii vocant artificialem.) in horas καιρικὰς duodecim diviserunt. Ex quibus intervalla quatuor, Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam præcipuè observarunt, & nonnullas ex iis cultui divino, & sacris ceremoniis tribuerunt. Eam cōsuetudinem retinuerunt, qui recens ex Judaismo nomina dederant Christo Domino: & horas matutinas antelucanis cœtibus dicarunt; reliquas assignarunt rerum sacrarum inquisitioni, & rursus precibus, cum privatis, tum publicis. Cùm autem posterioribus seculis ἀσκήσεις, & exercitationum studia instituerentur.

rentur, factum est, ut noctis etiam vigiliæ in quatuor officiorum quadrantes distinguerentur. Ex qua partitione remanserunt lineamenta veluti operis prisci Vespertini, Completorii, Nocturni, & Matutini appellationes. Quò etiam pertinent Liturgia Matutina, Liturgia Vespertina &c. Isidorus lib. 6. c. 19. ait: *Matutinum officiū est in lucis initio à stella Lucifero appellata, quæ inchoante manè oritur.* A voce Matutinus est Germanicum Mette/ *preces matutina.*

MAÜSSIM, sive MAÜSIM. Occurrit hæc vox *Dan.* 11.38. מָעֻזִּים *robora, fortitudines, templa.* Origo vocis est עזז *roborari.* LXX. vertunt θεὸν μαωζεὶμ. Aquila transtulit θεὸν ἰσχύων, aliter ἰσχυρὸν, itemque ἰσχυρότατον. Lutherus præfat. in Danielem vocem Maüsim refert ad templa & monasteria in Papatu, & vult in voce illa tangi *missam*, cujus causa illa ædificata: & DEUM *Maüsim* vocat Kirchengott/ Messegott: nomine Dei intelligens idolum Missæ, quam pro summo Dei cultu habent, eaque nituntur tanquam idolo. *Cunradus Graserus in histor. Antichristi illius magni exercit.* 4. vertit, *Deum basilicarum*, h. e. numen templarium, ein Kirchengott; qui nempe templis ædificiisq; sacris includitur aut affigitur, ibi quæritur, & ex iis opitulari creditur. Itaque per *deum basilicarum*, intelligitur universa idololatria Antichristi, quæ pendet à magnificis templis, & universo illorum apparatu. Alii referunt ad Mahumedem, qui colitur in templis Turcicis, quæ ipsis appellantur *Muessin.* Alii vertunt Deum summi roboris, itemq; Deum munitionum; & intelligunt Deum verum, seu deum populi Judaici; quem ajunt à Daniele vocari deum munitionum, id est, templi & urbis Hierosolymæ: sicut vers. 31. per munitionem intellexit ipsam urbem. Illi ergo sic interpretantur; quòd Antiochus loco Dei Maüsim sit honoraturus Jovem Olympium, quem non noverant majores ipsius: utpote qui alios habuerunt deos & deas, putà Apollinem, Dianam, Asargatidem: teste Strabone 16. geograph. Quod attinet ad versionem illam, *Deus basilicarum*: illa lucem accipit ex *Ezech.* 24.25. ubi vocem מָעֻזָּם Chaldæus vertit *domum sanctuarii eorum.* Nam מָעֻזִּים transfertur etiam ad significandum locum fortem, palatium, templum.

MAUSOLEUM. Occurrit hæc vox in vulg. vers. pro sepulchro 2. *Chr.* 35.24.

MEDERI. Fit 1. naturaliter. 2. *Chro.* 16.12. 2 civiliter *Esa.* 3.7. 3. spiritualiter *Iob.* 5 18. *Esa.* 61.1. *Thren.* 2.13.

MEDIA SALUTIS MEDIATA, & IMMEDIATA. Deus nos ordinariè perducit ad salutem æternam per varia media: quorum alia sunt mediata sive remota, alia immediata sive proxima. Illis positis non illicò ponitur salus animæ; cujusmodi sunt prædicatio verbi, usus sacramentorum, cultus Dei externus, fides historica & temporaria, & similia: His positis ponitur indubitatè vita æterna; cujusmodi sunt fides, spes & charitas.

MEDIATOR. Vox hæc, theologis perusitata, tribus significationibus legit in Bibliis. 1. de Deo, teste & judice inter partes, *Iud.* 11.10. 2. de Christo, qui inter Deum offensum & nos peccatores intervenit conciliator 1. *Tim.* 2.5. *Hebr.* 8.6. c. 9. 15. c. 12.24. 3. de Mose, qui sequester & medius fuit inter DEUM & populum. *Gal.* 3.19. *Deut* 5.5. Cæterùm variè dicitur

media-

mediator : nempe 1. *arbiter*; qui cognoſcit, diſcernit, & judicat cauſam, an & quomodo iniri poſſit fœdus, aut fieri reconciliatio. 2. *internuntius*, qui hinc inde refert utriuſque partis conditiones. 3. *interceſſor*, qui unam partem pro altera orat. 4. *ſponſor*, qui fide jubet, ac ſatisfacit pro altera parte : 5. *gubernator*, qui partem obnoxiam regit, ut pareat ſuperiori. Iſta quinque in Chriſti mediatione concurrunt: quippe qui eſt propheta noſter, primo & ſecundo modo : ſacerdos, modo tertio & quarto : & rex, quinto. Porrò mediator eſt verus, vel typic⁹: item unionis, vel reconciliationis, ſeu unionis primævæ vel redintegratæ : item ratione perſonæ, vel officii, vel utriuſque.

Μεγάλη ἡμέρα. Sic *Iohan.* 19.31. dicitur ſabbatum, in quod incidebat feria Paſchatis. Cauſa igitur eſt concurſus alterius diei, cui nomen diei magni conveniat. Nimirum primus azymorum erat dies magnus, qui tum incidebat in ſabbatum. Judæis *bonus dies* dicitur, dies feſtivitate aliqua inſignis, ut primus & poſtremus azymorum, & id genus alii.

Melchom. Ita ſcribit Latinus vetus interpres pro Hebr. מַלְכָּם 2. *Reg.* 23. 13. Eſt idolum Ammonitarum, altrum regium, putà שֶׁמֶשׁ *ſol.* Appellatur *Melech*, rex; & *Molech*, regnans; & *Malcam*, ſive *Melchom*, ſive *Milcom*, quod eſt nomen proprium ex appellativo. LXX. pro *Molech* habent μολὼχ 1. *Reg.* 11. 5. & pro *Milcom* μελχὼμ *Amos.* 5. 26. Cultus hujus idoli erat talis. Pater Filium tradebat ſacerdotibus, qui faciebant duos rogos magnos, & inter hos puerum nudis pedibus incedentem traducebant. Quidam moriebantur, quidam ſuperſtites manebant. Putabant ſi pater unum ex filiis traduceret, reliquos fore ſalvos, ac patrem in omnibus felicem. Fuit autem hujus idoli apud Ammonitas templum in Gebal, in eoque ſimulacrum lapideum, auro obductum, & ſellæ inſidens.

Melecheth. Eſt ex מְלֶאכֶת *opus.* Vetus interpres, & alii quidam deduxerunt hoc nomen à מָלַךְ regnavit ; & ideo *Ier.* 7. 17. *c.* 44. *v.* 17. 18. 19. 25. verterunt reginam cœli : cùm vertendum eſſet *operi ſeu exercitui cœli*, hoc eſt ſtellis, & nominatim ſoli, palmario operi Dei in cœleſtibus. Nimirum Deus arguit ibi ἀςρολατρείαν.

Memoriale. Græcis dicitur μνημόσυνον. Sæpe occurrit apud veterem Latinum interpretem : ut *Exod.* 13. 15. & 28. 12. *Lev.* 2. 2. *Eſth.* 2. 23. *Pſal.* 102. 13. & 135. 13. *Eſa.* 22. 16. *Zach.* 16. 14.

Mendax. Ita dicitur, qui falſum ſciens dicit, fallendi cauſa. Hinc quòd omnis homo dicitur mendax *Pſal.* 116. metaphoricè intelligendum eſt. Sicut enim mēdax decipit te, ſi verbis ejus credas : ita homo, qui eſt res caduca, te non juvabit, ſed ſpem tuam fruſtrabitur, ſi nimium de ipſo præſumas. Confer *Pſal.* 62. 10. Itaque LXX. כָּזָב interdum vertunt μάταιον, κενόν.

Mensa Domini. Sic appellatur euchariſtia 1. *Cor.* 10. 21. Quam exemplo apoſtoli Patres ita ſæpe nominant : ut & menſam Dominicam, cœleſtem, ſacram, myſticam, ſpiritualem, rationalem, tremendam. Græcis Patribus dicitur τράπεζα ἐπουράνιος, ἱερὰ, μυςικὴ, φρικώδης, λογικὴ, πνευματικὴ. Apud Chryſoſtomum etiam homil. 84. tom. 6. menſa ſpiritualis dicitur de prædicatione verbi. Vide infra Propositionis Mensa.

MENSTRUATUS. Menstruis inquinatus. Legitur *Esa.*30.22.*c.*64.5.*Ezech.*18.6. *&*22.10.*&*36.17.4. *Esdr.*5.8.*Esth.*14.16. *Bar.*6.28. Nominatim *Esa* 64.5. de bonis nostris operibus, in se nempe spectatis, pronuntiatur, quòd sint quasi pannus menstruatæ. Hebr. sicut vestis remotionum; qualis profectò est vestis menstruatæ. LXX. ὡς ῥάκος ἀποκαθημένης.

MERCENARIUS. Est qui mercede conductus aliquid facit. Specialiter in S. literis mercenarius est ille, qui in officio fungendo principaliter respicit ad mercedem, non autem id ut voluntati Dei & hominum saluti serviat; tanquam officii partes omissurus, si tẽporalia præmia cessent. August. tract. 10. in Johan. *Sunt quidam ecclesiæ præpositi, de quib. apostolus dicit Phil. 2. Sua quærentes, non quæ sunt Iesu Christi. Quid est sua quærentes? Non Christum gratis diligentes, non Deum propter Deum quærentes, temporalia commoda sectantes, lucris inhiantes, honores ab hominibus appetentes.*

MERCES. Est pretium laboris, sive præmium quod datur pro labore, ut is compensetur. Est autem alia merces debita pro merito, alia gratuita. Posteriori modo vita æterna appellatur merces. Qua de re *Hilarius commentario in Matth. canone* 20. sic ait: Hi igitur mittuntur ad vineam, & cùm serò esse cœpisset, donũ constitutæ in totius diei labore mercedis, primi operarii hora vesperis consequuntur. Merces quidem ex dono nulla est, quia debetur ex opere: sed gratuitam Deus omnibus ex fidei justificatione donavit. *Augustinus tom.3. enchirid. ad Laurentium cap.*107. Unde & ipsam vitam æternam, quæ certa merces est operum bonorum, gratiam Dei appellat apostolus. Stipendium, enim, inquit, peccati mors: gratia autẽ Dei vita æterna in Jesu Christo Domino nostro. Stipendium pro opere militiæ redditur, non donatur. Ideo dixit, Stipendium peccati mors, ut mortem peccato non immeritò illatam, sed debitam demonstraret. Gratia verò nisi gratis sit, gratia non est. Intelligẽdum est igitur, etiam ipsa hominis bona merita esse Dei munera, quibus cùm vita æterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur? *Idem tom.*8. *præfat. enarrationis in Ps.* 31. Quid est hoc, nisi quòd merces nostra gratia vocatur? Si gratia est, gratis datur. Quid est, gratis datur? Gratis constat. *Idem tom.*2.*epist.*105. *ad Sixtum presbyterum, contra Pelagianos*: Quod est ergo meritum hominis ante gratiam, quo merito percipiat gratiam, cùm omne meritum nostrum, non in nobis faciat nisi gratia: & cùm Deus coronat merita nostra, nihil aliud coronet, quàm munera sua? Sicut enim ab initio fidei misericordiam consecuti sumus, non quia fideles eramus, sed ut essemus: sic in fine quod erit in vita æterna, coronabit nos, sicut scriptum est, in miseratione & misericordia. Non itaque frustra Deo cantatur, Et misericordia ejus præveniet me, Et misericordia ejus subsequetur me. Unde & ipsa vita æterna, quæ utique in fine sine fine habebitur, & ideo meritis præcedentibus redditur: tamen quia eadem merita, quibus redditur, non à nobis parata sunt per nostram sufficientiam, sed in nobis facta per gratiam, etiam ipsa gratia nuncupatur: non ob aliud nisi quia gratis datur, nec ideo quia meritis non datur, sed quia data sunt & ipsa merita, quibus datur. Ubi autem invenimus etiam vitam æternam gratiam nuncupari? Habemus apud gratiæ magnificum defensorem apostolum Paulum,

Paulum. Stipendium, inquit, peccati mors est: gratia autem Dei vita æterna in Christo Jesu Domino nostro. Vide, obsecro te, in quanta brevitate quàm vigilanter verba posuit, quibus diligenter consideratis, quæstionis hujus aliquãtulum dilucescat obscuritas. Cùm enim dixisset, Stipendium peccati mors, quis non congruentissimè & consequenter addere judicaret, Stipendium autem justitiæ vita æterna? Et verum est, quia sicut merito peccati tanquam stipendium redditur mors: ita merito justitiæ tanquam stipendium vita æterna. Aut si nollet dicere justitiæ, diceret fidei, quoniam justus ex fide vivit. Unde etiam & merces appellatur plurimis sanctarum Scripturarum locis. Nusquam porrò dicta est merces justitia vel fides: quia justitiæ vel fidei reddit merces. Quod est autẽ merces operanti, hoc militanti stipendium. Sed B. Apostolus adversus elationẽ, quæ usque adeò magnis tentat irrepere, ut & sibi propter ipsam dicat, datum angelum Satanæ, à quo colaphizaretur, ne verticem præsumtionis erigeret. Adversus hanc ergo elationis pestem vigilantissimè militans, Stipendium, inquit, peccati mors. Rectè stipendium: quia debetur, quia dignè retribuitur, quia merito redditur. Deinde ne justitia de humano se extolleret bono merito: sicut humanum malum meritum non dubitatur esse peccatum, non à contrario retulit, dicens, Stipendium justitiæ vita æterna, sed, Gratia, inquit, Dei vita æterna. *Et paulò pòst*: Cui debetur vita æterna, vera justitia est. Si vera justitia est, ex te non est, de sursum est, descendens à patre luminum. Ut haberes eam, profectò accepisti. Quid enim habes, quod non accepisti? Quapropter, ò homo, si accepturus es vitam æternam, justitiæ quidem stipendium est; sed tibi gratia est, cui gratia est & ipsa justitia. *Idem tom.*10. *libro* 50. *homiliarum, homil.* 14. Ecce retribuit mercedem his bonis: operibus bonis. Sed quibus bonis? Quæ ipse dedit.

MERERI, *Propriè* est dignè acquirere, dignum esse compensatione debita, dignum esse cui rependatur merces debita. Itaq; differunt *mereri* & *impetrare*. Nam meritum propriè respicit ad debitum; impetratio propriè ad gratiam. Ut publicanus in templo orans impetravit remissionem peccatorum ex mera Dei gratia, non autem meritus est. *Luc.*18. Oratio fidelis impetrat à Deo bona necessaria, sed ex mera Dei gratia, sine ulla ratione alicujus nostri meriti. Quod lex imperat, fides impetrat, non autem meretur. Filius prodigus impetravit gratiam patris sui, non autem meritus est, *Luc.*15. Itaque *impetrare* propriè est idem quod cõsequi, obtinere, adipisci; etiam ex pura puta gratia, quamvis indignissimi in nobis simus, qui aliquid obtineamus & cõsequamur: *mereri* autem propriè est aliquid per dignitatem & justitiam consequi. Sed *impropriè* mereri est simpliciter consequi, accipere, impetrare, obtinere, adipisci; idque apud profanos & ecclesiasticos scriptores. Ita enim *Plinius lib.*1. *epist.*8. Sequi gloria, non appeti debet: nec, si casu aliquo non sequatur, idcircò, quòd gloriam non meruit, minùs pulchrum est. Hîc τὸ *meruit* est idem, quod ἔτυχε, id est, consecuta est gloriam, seu invenit laudatores. Similiter *Suetonius in Octavio*: Imitetur in promerendis sociis suis Octavium, id est, in præstandis beneficiis. *Ambrosius lib.*10. *in Lucam cap.*22. O aqua, quæ sacramen-

tum Christi esse meruisti! Et celebre est illud *Gregorii*: O felix culpa, quæ tantum meruit redemtorem! *Augustinus ad Hieronymum, epist.* 12. Adhuc rescripta tua non merui. *Hieronymus ad Augustinum epist.* 13. Utinam mereremur complexus tuos! Porrò mereri apud Patres etiam est dignum fieri, dignum haberi & æstimari gratiâ Dei, acceptum esse Deo: ut apud *Ambrosium tom.*4. *in cap.*11. *primæ ad Corinthios*: Memoria enim redemtionis nostræ est, ut redemtoris memores, majora ab eo mereamur, id est, ut majora ab eo consequi digni fiamus.

Meritum. Latini scriptores vocem *meriti*, tanquam mediam accipiunt in bonam & malam partem: ita ut interdum illis sit idem, quod beneficium singulare, eximium, & magnũ, præclarumq; aliquod factum, quo quis aliquem sibi ad vices reddendas demeretur & obligat: interdum verò maleficium, peccatum & culpam. Unde poëta sic canit:

Conscia mens ut cuique sua est, ita concipit intra
Pectora, pro meritis spemq; metumq; suis.

Interdum metonymicè significat mercedem debitam. Cæterùm meriti propriè dicti conditiones sunt: ut nõ sit debitum, ut sit tantùm nostrum, ut sit è nostro, ut sit dignum mercede, ut proportione superet aut saltem æquet mercedem. Hinc patet Patres καταχρηστικῶς, *abusivè*, seu impropriè locutos esse, quando usurparunt vocem *meriti* in doctrina de justificatione peccatoris coram Deo. Neque enim hic est sensus, quòd homo beneficiis Deum afficiat, eumque sibi ad reddendum debitum obstringat: sed hęc vox idem valet quod *opus* seu *factũ*. Quòd autem nullum nostrum opus, quantumvis optimum & præstantissimum, sit meritum propriè dictũ, ita patet. Quidquid boni facimus, debitum est; neq; nostrum est, sed Dei donum, nec è nostris viribus, sed ex gratia Dei proficiscitur; nec in se, aut propter se est dignum compensatione; denique nulla est inter Deum & nos proportio. Itaque bona nostra opera destituuntur quinque requisitis seu conditionibus meriti. Videamus hac de re aliquot loca Patrum. *Hilarius in enarratione psalmi* 51. *cũ finem*: Spes in misericordia Dei in seculum, & in seculum seculi est. Non enim ipsa illa justitiæ opera sufficient ad perfectæ beatitudinis meritum, nisi misericordia Dei etiam in hac justitiæ voluntate humanarum demutationum & motuum vitia non reputet. *Idem in enarrat. psal.*66. Remissio peccatorum non probitatis est meritum, sed spõtaneæ indulgentiæ voluntas ex bonitatis divitiis ad miserandi munus exuberans. *Augustinus tom.*8. *in enarrat. psal.* 102. Qui in nobis victi sumus, in illo vicimus. Ergo coronat te, quia sua dona coronat, non merita tua. Plus omnibus illis laboravi, ait apostolus. Sed vide quid adjunxit, Non ego autem, sed gratia Dei mecum. *Idem tom.* 10. *de verbis apostoli, serm.* 2. Te autem coronat in miseratione & misericordia: & si tua merita præcesserunt, dicit tibi Deus, Discute bona merita tua, & videbis quia dona sunt mea. *Idem tom.* 10. *serm.* 15. Gratiâ salvi facti estis per fidem, & hoc non ex vobis, sed Dei donum est: non ex operibus, ne fortè dicas, Promerui, & ideo accepi. Non putes te promerendo accepisse, qui non promereres nisi accepisses. Gratia præcessit meritum tuum, non gratia ex merito, sed meritum ex gratia. Nam si gratia

ex

ex merito, emisti, non gratis accepisti. Pro nihilo, inquit, salvos facies eos. Quid est, pro nihilo salvos facies? Nihil in eis invenis, unde salves, & tamen salvas. Gratis das, gratis salvas. Omnia merita præcedis, ut dona tua consequantur merita tua. Prorsus gratis das, gratis salvas, qui nihil invenis unde salves, & multum invenis unde damnes. *Gregorius Magnus lib.9. expositionis moralis in Iobum cap.* 11. Etsi ad opus virtutis excrevero, ad vitam non ex meritis, sed ex venia convalesco. *Bernhardus super Cantica serm.* 67. Sponsa rectiùs locuta est, & non prætendens meritum, sed præmittens beneficium, & se præventum dilecti gratiâ confitens. *Idem ibidem*: Nempe ut (*.sponsa.*) tunc magis gratia se plenam probet, cùm totum gratiæ dederit, & primas scilicet illi partes adscribens, & ultimas. Alioquin quomodo gratia plena, si quid habuerit quod non sit ex gratia? Non est quò gratia intret, ubi jam meritum occupavit. *Et paulò pòst*: Deest gratiæ, quidquid meritis deputas. Nolo meritum, quod gratiam excludat. Nota quoque est *ejusdem Patris* sententia: Sufficit ad meritum scire, quòd non sufficiat meritum. Et eleganter ait *Siberus in Breviario Christiano*: Ut inter patrem & filium, dominum & servum: sic inter Deum & hominem propriè loquendo, debitum & meritum non est. Itaque idem Siberus in scholiis ad Precationem illam: *Angeli tui boni comitentur nos, ad dirigendos pedes nostros in viam pacis, prosperitatis, & salutis: ut hîc, & in æternum, per te semper sani, salvi, & liberi ab omni malo esse mereamur*: vocem *mereamur* benè explicat per *simus*. Et in precatione pro Spiritu sancto illa verba, *Vt te perfectè diligere, & dignè laudare mereamur*, explicat per *Diligamus & laudemus*. Sic in precatione pro piâ vita, *Vt in nomine dilecti Filii tui mereamur bonis operibus abundare*, rectè exponit per *Abundemus*. Ibidem citat illud ex *Augustino*: Deus author est meriti: qui & voluntatem applicat operi, & opus explicat voluntate. *Idem Siberus* ad hymnum illum:

Vt pio regi pariter canentes,
Cum suis sanctis mereamur aulam
Ingredi cœli, simul & beatam
Ducere vitam.

Vocem *Mereamur* sic explicat: *Divina gratia beneficio digni reddamur*: & addit, Merita dona sunt in nobis divina: opera nimirum fidei, quorum author est Spiritus sanctus, secundùm illud: Omnia opera nostra operatus es nobis *Esa.* 26. Non possum, quin hîc ex Rabbinis annotem, beneficia Dei ante promissionem esse gratias, post promissionem esse merita. Hinc rectè *Prosper*:

Ad mortem meritum subeundam sufficit unum:
Ad vitam, nisi quod donarit gratia, nullum.

Humana merita conticescant, quæ perierunt per Adam: regnet, quæ regnat, Dei gratia per Jesum rectum, ait *Augustinus*. Et *Vict.* ita canit:

——— *Largitio pura*
Non merces paradisus erit ——— ———

Hucquoq; spectat illud apud Aratorē:

——— *Qui per sua dona venire*
Ad sua dona facit, quæque adjuvat ipse ministrat.

Porrò Scholastici faciunt triplex meritum. 1. *interpretativum*; cùm aliquis facit opus de genere bonorum, sed mala intentione; ut qui dat eleemosynam cum murmure. 2. *congrui*; cùm quis facit opus de genere bonorum,

& bona intentione, sed non ex charitate. 3 *condigni*; cùm quis facit opus bonum, & bona intentione, & ex charitate. Primo modo aliquis dicitur mereri abusivè; secundo partim propriè, partim impropriè; tertio simpliciter & propriè. Vulgo tamen faciunt duplex meritum, ex condigno & congruo. *Meritum ex condigno* est, pro quo exigitur præmium ex debito, nempe vel ex debito pacti, vel ex rigore justitiæ. Hoc meritum consistit in quadam proportione & æqualitate meriti ad præmium. *Meritum de congruo* est, pro quo exigitur præmium, non ex debito justitiæ, sed ex sola acceptantis liberalitate. Quæ distinctiones, si ad Deũ referantur, quasi nos aliquid mereamur nostris bonis operibus, futiles sunt: ut patet ex *Eph.* 2.8. Porrò meritum est bonum, vel malum. Distinguunt tamen aliquando inter meritum & demeritum: ut *meritum* sit actus laudabilis, factus ad bonum alterius, pro quo exigitur præmium: *demeritum* autem actus vituperabilis, factus ad malum alterius, pro quo exigitur supplicium. Ad bonum autem vel malum aliquid dicitur fieri vel verè, vel interpretativè, seu reputativè. nempe propter Deum, qui bonorum nostrorum non eget, nec ex malis nostris damnum capit.

MESOPOTAMIA. Est regio minoris Asiæ, sic dicta, quòd sit *μέση, media*, inter duos *ποταμοὺς, fluvios*, nẽpe Tigrim & Euphratem. In divinis literis dicitur נַהֲרַיִם אֲרַם q.d. Syria duorum fluviorum.

Μετεωρίζειν. Propriè est in sublime attollere: metaphoricè, inania contemplari. *Luc.*12.29 *καὶ μετεωρίζεσθε*, i.e. ne curiosas speculationes sectamini, per quas quasi in sublimi pendentes neque cœlum neque terram attingatis, sed tantùm inaniter agitemini.

MESSIAS. Nomen hoc usurpatur ut appellativũ, vel proprium. Priori modo Messias, ut & Græcum *χριστὸς*, significat unctum sive inauguratum officiarium. 1.*Sam*.24.7. Posteriori modo utraq; ista vox tribuitur Salvatori mũdi *κατ' ἐξοχὴν*, & quasi proprii nominis rationem habet. Confer *Dan*.9.25.*&* *Matth*.16.17. Ex quorum locorum collatione apparet, nomen hoc utrũque, & rem, quæ per illud significatur, vulgò notissimum fuisse in V.T. & omnium fidelium ore celebratam, ut in qua credentes haberent omnes spes suas repositas. In hunc universo mundo promissum salvatorem sub præsentibus angustiis respectabant, de hoc noctu diuque cogitabant, hujus nomen labiis tenebant. Porrò utraque illa vox comprehendit officium Christi propheticũ, sacerdotale, & regium. Nam hi omnes ungebantur: ordinariè quidem sacerdotes & reges, extraordinariè autem prophetæ, quando eis extraordinarium reformationis munus contra pseudoprophetas commendabatur, ut ex historia Elisæi perspicitur 1.*Reg*.19.16.

Μεταλαμβάνειν. Μετάληψις. Μετάληψις *τῶν ἁγιασμάτων* est participatio eucharistiæ, quasi dicat, rerum sanctificatarum. *Photius ad canon. apost.* 8. Et ita quidem *μετάληψις* significat actionem. Aliâs notat etiam ipsam eucharistiam, ut apud Chrysost. homil. 17. in Hebr. *τῆς μεταλήψεως μετέχων*, *participans participationis*, i.e. cœnæ Domini. Porrò etiam legere est *μεταλαμβάνειν τοῦ πάσχα*, & *τῶν δώρων*, id est, participare S. cœnæ. Denique *μεταλαμβάνειν θεότητος* est percipere rem sacramenti; quia Patres finem

finem sacramentorum statuunt θέωσιν, hoc est, deificationem, ut per illa fideles dii fiant. Atque ita Patres passim usurpāt verba θεοῦσθαι & θεοποιεῖσθαι, *deificari*.

Μεταποίησις. Mutatio, quæ fit in nobis per baptismum, Patribus appellatur μεταποίησις, μετάπλασις, μεταστοιχείωσις, *instauratio, transfiguratio, renovatio*, & similibus aliis nominibus. Paulus appellat μεταμόρφωσιν, *transformationem, Rom.* 12. *v.* 2. Confer *Gal.* 6. *v.* 15.

MICHAEL. Cuntadus Graserus in verbis novissimis ait: Hoc nomen est mystica appellatio Messiæ, ut ex ejus etymologia & *Apoc.* 12. liquet. Significat enim, *Quis sicut Deus?* aut, *Quis æqualis est Deo?* Exprimitur autem hoc nomen in syllabis initialibus istius clausulæ *Psal.* 113. 5.

מִי כַּיהוָה אֱלֹהֵינוּ

Quis sicut Dominus Deus noster?

Et hujus nominis respectu *Michael hic* à Johanne in Apocalypsi. *c.* 12. Draconi sive Satanæ, principi nimirum hujus mundi opponitur, ea ratione; qua ille æqualem cum Christo honorem affectavit, & propterea de cœlis deturbatus est. Cæterùm hic Michael est angelus ille, cujus meminit Moses *Exod.* 32. 34. *c.* 33. 3. 5. *ca.* 32. 34. ubi Deus ad Mosen ait: *Ecce angelus meus praibit tibi in terram Canaan.* Hîc vocem מַלְאָכִי Moses Gerundensis explicat p nomē מִיכָאֵל, q̄ per metachesin ex priori voce resultare dicit. Addit hūc esse Michaelē, quē Daniel *c.* 10. 21. *& c.* 12. 1. vocat ducem illum magnum populi Dei. Deinde hanc appellationis hujus mysticæ rationem addit: *Quia ipsemet angelus meus proprius & ceu individuus est*: quæ verba Germanicè ita fortè interpreteris, Als der mein Leibengel ist: verba Hebraica istius Rabbini ita sonant:

שֶׁהוּא מַלְאָכִי הַמְיוּחָד לִי:

Est autem hoc notabile, quòd Dominus apud Mosen, hunc viæ ducem Israëlis ideò promittit, ne si ipsemet immoderatè eos ducat, propter illorum inobedientiā eos penitùs cōsumat. Quod nequaquam ita intelligendum est, quasi Deus tam præcipitis iracundiæ sit, ut sibi temperare nequiverit: sed officium hujus angeli describere voluit, secundùm quod ille sequester quidam erat inter populum peccantem, & Deum irascētem, ab ipso Deo subordinatus, qui hinc justam iram contra peccata placaret, illinc promeritam pœnam averteret. Hæc summatim ex Grasero. Vide supra tit. *Angelus facierum ejus.* Cæterùm Michael in hymno *Tibi Christe splendor Patris*, eleganter appellatur primâs, id est princeps, cœlestis exercitus, his verbis:

Collaudamus venerantes
Omnes cœli milites:
Sed præcipuè primatem
Cœlestis exercitus
Michaelem in virtute
Conterentem Zabolum.

Siberus ibi sic annotat: Qui quidem est princeps, ut eum nominat Daniel, Judæorum, qui sunt confitentes Deum pietate religiosa, Dominus noster Jesus Christus. Id quod etiam nominis ipsius significatio indicare perhibetur. Est enim Michael: Quis sicut Deus? Et hæc quidem est communis ferè opinio. Quam tamen non oportet simpliciter admittere. Nam *Iud. v.* 9. Michael Archangelus est unus ex creatis angelis: ut qui potestate atque authoritate inferior est Deo. Et 1. *Thess.* 4. 16. Christus & Archangelus discernuntur. Sic *Daniel.* 9. *vers.* 13. Michael dicitur unus ex principibus primariis;

ex illis nempe angelis, qui sunt præcipui Dei ministri in regenda & tuenda ecclesia. Eorum igitur plures sunt ex isto ordine. Quāquam Junius ibi intelligit Christum, principem angelorum: & ibidem adnotat, cōpositionem arguere, hoc nomen Christo competere. Sed nobis, salvo meliore judicio, ita videtur. Nomen Michael competit Filio Dei κυρίως *Dan.*12.1. *Apoc.* 12. 7. cuidam Archangelo creato δευτέρως *Iud.v.* 9. quibusdam hominibus κατηχρηστικῶς *Num.* 13.1. *Chron.* 6.7.8.& 12.2. *Chron.*13.21. *Esdr.*8. In Concordantiis Latinis hæc occurrunt. Michael.1. Christus, filius Dei, angelorum Rex: *Dan.*10. 21.*c.*12.1.*Apoc.*12.7. 2. Archangelus *Dan.* 10.13.*Iud.v.*9.3 homo: videl.

Benjamita 1. *Chr.*8.16.
Gadita 1. *Chr.*5.*v.*13.14.
Josaphati F.2.*Chr.*21.2.
Issacarita.1. *Chr.*7.3.*c.*27.18.
Levita.1.*Chr.*6.40.
Manassitarum dux 1.*Chr.*12.20.
Sethuri pater *Num.*13.14.
Zehediæ pater. *Esdr.*8,8.

מדות. Rabbini hoc nomine vocant 1. appellationes propriè Deo competentes, vel ut cum Chrysostomo dicam, τὰ πρέποντα τῇ φύσει τοῦ θεοῦ, καὶ τὰ συνουσιωμένα αὐτῷ, hoc est, quæ naturæ Dei insunt, & illi sunt consubstantialia, id est, proprietates Dei essentiales, & personas SS. Trinitatis. 2. virtutes: quia illæ sunt mediocritates & mensuræ.

MIGMA. Est farrago. Occurrit hæc vox in vulg. vers. *Esa.*30.24.

MILLE. Est numerus 1. definitus *Genes.*20.16. 2. indefinitus *Exod.* 30. 6. Hîc quæritur, quomodo accipiendi sint mille anni *Apocal.* 20. Resp. Secundùm literam. Nam aliquoties repetitur ista vox mille: putà *vers.*2.3.5.4.6.7. Deinde analysis contextus hoc idem docet. Denique ex collatione Danielis & Apocalyps. id potest demonstrari.

MILES. MILITES. 1. Sunt, qui pro aris & focis pugnant in bello legitimo, sive defensivo, sive offensivo. *Genes.*26.26.2. *Sam.*24.4. 2. Ita dicuntur satellites. *Genes.*37.36.*c.*40.3. 3. Creaturæ omnes cœlestes & terrestres dicuntur milites Dei. *Iob.*25.3.

MILITIA COELESTIS. Sic appellantur angeli. *Luc.*2.13.

MILITIA COELI. Sic appellantur astra. *Deut.*17.3.2.*Reg.*17.16. *Esa.* 34.4. *Ier.*19.13.

MILITIA SPIRITUALIS. Vita hominis appellatur militia *Iob.*7.& similiter vita hominis Christiani 1.*Tim.*1. Quò facit illud Augustini:

Christe palma bellatorum,
Hoc in municipium (i.e. vit. æt.)
Introduc me: da soluto
Militare cingulum:
Fac consortem donativi
Beatorum civium.
Probes vires inexhausto
Laborantis prælio,
Nec quietem post procinctum
Deneges emerito:
Teq́; merear potiri
Sine fine præmio.

Teneatur hîc illa distinctio. Militia est corporalis 1.*Corinth.*9.7. vel spiritualis; & hæc est vel communis omnium Christianorum 2.*Corinth.*10.4.*Ephes.*6. vel propria ministrorum ecclesiæ 1.*Timoth.*1.18. Rursus militia spiritualis est vel legitima, vel illegitima. Confer 2.*Cor.*10.3.*Iacob.*4.2. 1.*Petr.*2.11 Aut enim militamus Deo, aut diabo-

diabolo: aut pro anima, aut pro corpore: aut pro spiritu, aut contra spiritum.

Mina. Hebræis est מָנֶה, à quibus ad Græcos nomen μνᾶς transiit. Mina Hebræorum est vetus & nova. *Vetus* continebat siclos communes didrachmos cētenos, hoc est, sacros siclos quinquaginta, sive thaleros hodiernos 25. *Nova* conficiebat siclos communes 60. *Ezechiel.* 45. 12. qui faciunt thaleros 15. *Mina sacra* duplò major erat quàm profana. Itaq; continuit siclos communes 125. h. e. thaleros imperiales 30.

Minoro. Minuo. Vetus interpres Bibliorum utitur hac voce *Psal.* 8. 8. *&* 106. 38. 2. *Corint.* 8. 15. Similiter voce *minoror*, id est, inferior fio *Hebr.* 2. 9. *Sirac.* 16. 23. *&* 19. 47. *&* 22. &c. Item voce *minoratio Sir.* 20. 11. *&* 39. 23. *&* 40. 27.

Miracula. Sunt vera, vel ficta. Miracula vera solus Deus facit, idque immediatè, vel mediatè per servos suos. Miracula ficta edit dæmon, idque ad imitationem Dei vel immediatè, vel mediatè. Miraculorum istorum falsorum ostentatio est usitatum diaboli artificium, & hujus imposturæ praxis in regno Antichristi valde est antiqua. Testatur autem Scriptura, eum circa finem mundi hac impostura frequentiùs usurum, quàm antehac unquam. *Matth.* 24. 24 ubi miraculorum istorū efficacia indicatur, quòd nempe tanta sit futura, ut iis, si fieri possit, etiam electi seducantur. Sed paulò altiùs hæc repetamus. Miraculum dicitur propriè & strictè, vel impropriè & latè. *Miraculum propriè* est actio Dei, verè evidens & mirabilis, præter totius creatæ naturæ ordinem edita. *Miraculum impropriè* est vel res mira, ut cùm homo dicitur miraculum: vel impostura præstigiis plena, ut cùm quædam opera diaboli, quæ videntur esse mira, dicuntur miracula. Porrò miraculum est privativum, vel positivum. *Privativum* est, quo positivum mutatur in privativum: ut cùm homo integer fit monstrum. e. g. Nebucadnezar. *Positivum* est, cùm vel unum positivum mutatur in aliud, ut aqua in vinum; vel privativum mutatur in positivum, ut quando cadaver vivificatur. Sunt autem gradus miraculorum, de quibus Thomas libro tertio, contra gentiles cap. 97. *Admiramur aliquid, cùm effectum videntes ignoramus causam: vel rationem modi in agendo non assequimur. Quædam igitur sunt mira, quæ miracula non sunt. Illa simpliciter miracula sunt dicenda, quæ divinitùs fiunt præter ordinem communiter servatum in rebus. Et summum gradum inter miracula tenent, in quibus aliquid fit à Deo, quod natura nunquam facere potest: ut quòd sol retrocedit & stat, & mare divisum transeuntibus præbet iter. Quantò aliquid magis remotum est à facultate naturæ, tantò majus miraculum est: ut majus est miraculum, quòd sol retrocedit, quàm quòd mare dividitur. Secundum gradum in miraculis tenent illa, in quibus Deus aliquid facit, quod natura facere potest, sed non per illum ordinem. Opus naturæ est, quòd animal vivit, videt, ambulat. Sed post mortem & privationem potentiæ, naturaliter non potest reviviscere, videre, & ambulare. Tertius gradus miraculorum est, cùm Deus facit, quod consuetum est fieri operatione naturæ, tamen absque principiis naturæ operantibus: ut cùm pluit sine operatione principiorum naturæ.* Peucerus libro primo, de divin. *Diligenter discrimen consideretur miraculorum ecclesiæ & diaboli; quæ duobus discrepāt, impossibilitate & finibus.* Hoc vult dicere: Miracula ecclesiæ sunt solius Dei opera, diabo-

diabolo prorsus ἀδύνατα καὶ ἀμήχανα. Deinde miracula ecclesiæ directa sunt ad confirmationem veræ doctrinæ, traditæ divinitus, & verorum cultuum, consentiuntque cum verbo antè patefacto de vero cultu.

MIRIFICO. Mirum facio. Legitur apud vet. Latin. interp. *Psal.* 4.4. & 16.3. & 17.7. & 31.22. *Esa.* 42. 21.

MISERABILIS. Personæ miserabiles dicuntur debiles & valetudinarii, qui ope aliena indigent. Hieron. adversus Jovinianum: *Miseræ potiùs, quàm miserabiles.*

מִשְׁפָּט. Hæc vox inter alia significat rationem, consuetudinem, & habitum alicujus rei: ut 2. *Reg.* 1.7.

מה משפט האיש אשר עלה לקראתכם.

Qualis erat habitus viri, qui obviam processit vobis? Wie war der Mann gestaltet/der euch entgegen kam?

MISERIA. Hæc vox strictè est calamitas, quæ etiam sancti & honesti hominis conditio esse potest. Sed latè, sive synecdochicè, peccatum & pœnam peccati complectitur. Unde usitatũ est in schola theologica distinguere inter miseriam culpæ seu vitii, & pœnæ seu conditionis.

MISERICORS. Est is, cujus cor miseratur alium. Itaque & Deus misericors dicitur, quia habet cor miserans, propensum ad juvandos miseros.

MISSA. Hanc vocem quidam cõtendunt esse Hebraicam. Et hi in duas planè diversas abierunt sententias. Nam alii deducunt à מָעֻזִּים *Dan.* 11. 38. quòd Missa sit idolum Mayssim, id est, Deus fortitudinum, in quo omnem suam spem habēt repositam Papistæ. Alii derivant à מִסַּת *Deuter.* 16.10. quæ vox significat oblationem, eamque vel politicam *Exod.* 1.11. ubi intelligitur tributum politicum: vel ecclesiasticam *Deut.* 16.10. Hanc sententiam Bellarminus de Missa ca. 1. duobus argumentis non ineptè refutat. Primum est: *Si vox ista Hebraica in usu Apostolis fuisset, certè retinuissent eam etiam Græci, & Syri, & aliæ nationes, ut retinuerunt alias similes voces, ut Amen, Alleluja, Sabaoth, Osanna, Satan, Sabbatum. Pascha. Vocabula enim Hebraica per Græcos ad nos devenerunt: cùm ipsi etiam Apostoli, & primi ecclesiæ doctores Græcè scripserint. Porrò apud Græcos nulla est mentio hujus vocis Missa.* Secundum est: *Si vox esset Hebraica, non Missa, sed Missah dicendum esset, quomodo tamen nemo scribit aut loquitur.* In his Bellarmini verbis duo occurrunt asterisco digna. Nã 1. rectè docet, nomen *Missa* non esse Hebraicum, adeoq; nec Chaldaicum, quod quidam sibi pueriliter persuaserunt. 2. rectè observat hoc nomen non occurrere apud Græcos, putà antiquiores. Legitur quidem in Græcorum monumentis vox μίσσα; sed authorum mediæ ætatis, qui ante annos præter propter sexcentos de re militari scripserunt: & quidem pro vespertinis precibus aut matutinis, non pro sacramento. Meritò itaque Bellarminum opponimus & anteponimus Baronio, qui audacter pronuntiat omnium hujus sacramenti nominum hoc antiquissimum esse. Jacobum enim fratrem Domini hãc nomenclaturam Hierosolymitanis tradidisse; Petrum verò & Paulum Romanis. Deinde illius usurpationem vetustissimam esse probat ex epistola Pii Papæ, proximi Apostolorum temporibus. Hæc Baronius: quæ quidem omnia puerilium hallucinationum sunt plena. Etenim si hoc nomen est antiquissimum, cur apud probatos authores, qui per annos trecentos & ampliùs scripserunt, nullum ejus extat satis certum vestigium? Non Syri,

non

non Græci, illo usi, non Latini. Justinus, Ignatius, Irenæus, Tertullianus, Origenes, Cyprianus, alii multi, quorum certa scripta ad hanc ætatem pervenerunt, intra illud tempus cùm viverent, multa de hoc sacramento disseruerunt: cur horum ne unus quidem istius appellationis meminit? Deinde quod attinet scripta Pii I. Papæ, ut & cæterorum omnium Paparũ primi secundique seculi, ac ferè etiam tertii, illa à Cardinale Cusano, & aliis quibusdam doctissimis Papistis, judicantur ὑποβολιμαῖα, id est, supposititia. Sed, inquis, hoc vocabulum legitur in liturgia Jacobi. Resp. 1. Liturgia illa non est à Jacobo scripta. 2. Liturgia ista legitur Græcè, & Latinè. Græca est autographũ, Latina apographum. Et Græca, etsi antiquitatis primę faciem genuinam non exprimit; vetusta tamen est; utpote cujus Patres Concilii in Trullo meminerint: Latina suæ vetustatis nullum simile exemplum habet. Quanquam videtur Baronius ex Gratiano suum errorem hausisse. Scribit ille de consecrat. dist. 1. can. 47. sic: *Iacobus frater Domini secundùm carnem, cui primùm credita est Hierosolymitana ecclesia, & Basilius Cæsariensis Episcopus, cujus claritas per totum orbem circumfulsit, in Scripturis addiderunt nobis Missæ celebrationem* Videtur Baronius ex istis verbis hariolatus esse, Jacobum nominis *Missa* primum authorem extitisse. Absurdè & prorsus ridiculè. Nam in Græco textu ejus canonis è Concilio Trullensi, unde hæc voluit videri Gratianus desumsisse, non *Missæ* nomen extat, sed *Liturgiæ*. Quare eversum est fundamentum Baronianę hariolationis. Veniamus nunc ad illorum sententiam, qui vocem *Missa* Latinam originem habere disputant. Sed & hi non uno modo vocem istam exponunt. *Alij* enim, teste Bellarmino, Missam dici volũt, quòd oblatio & preces ad Dominum mittantur. Ita *Hugo de S. Victore libr. 2. de sacram. part 8. cap. ult.* *Alii* iccircò Missam vocari autumant, quod angelus à Deo mittatur, qui sacrificio adsistat, & illud ad Deum deferat, ut *Magister in 4. distinct. 13. & Thomas 3. quæst. 83. art. 4* Sunt quoque *qui* Missam dictam volunt apud veteres à mittendis & in medium conferendis muneribus, quasi symbolis quibusdam, unde fieret sacra cœna, & epulum daretur pauperibus: propterea quòd olim populus Christianus, ut recenset Evagrius, munera sua in oblationem mitteret, panem sc. & vinum, ex quibus, vasi magno è regione ostii templi impositis, sumebantur quæ ad S. Eucharistiæ administrationem erant accommoda, cætera verò in usum pauperum administrabantur. Et hi *Missas*, aut neutro genere *Missa* olim dicta esse putant. *Bellarminus* probabilissimam eorum esse sententiam arbitratur, qui Missam dici volunt à missione seu dimissione populi, ut idem sit *missa* quod *missio*. Et hæc sententia doctissimis quibusque criticis probatur. Sicut enim vox ἄφεσις, *dimissio*, Græcis olim in dimittenda concione fuit usitata, ut ex Plutarcho, & aliis scriptoribus constat; & sic rursus sicut in judiciis Romanorum, cùm præco clamabat *I licet*, judicibus abeundi potestas facta intelligebatur: ita in Christianorum concionibus usitata fuit missio. Sed in Græcorum concionibus una fuit duntaxat missio, cùm finita concione præconis voce clamabatur λαῶν ἄφεσις, *populorum dimissio*: at in Liturgia vetere Christianorum duplex fuit ἄφεσις, *missio*, sive *missa*; prior cùm finitis lectionibus S. Scriptu-

tæ & precibus illis, quibus poterant inesse Catechumeni, Energumeni, & alii non initiati, voce diaconi jubebãtur exire, quibus sacrã liturgiam spectare fas nõ erat: posterior, cùm sacris peractis & eucharistiæ celebratione finita, post εὐχὴν ἀπολυτικὴν, *precationem dimissoriam*, à diacono pronuntiatam, populo discedendi potestas fiebat: quod in liturgia Chrysostomi intelligitur illis verbis, ὁ ἱερεὺς ποιεῖ ἀπόλυσιν, *sacerdos facit missam*, hoc est, dimittit populum. Ἀπόλυσις est ἄφεσις, *missa*; vel *missio*. Sumtum verbum è Simeonis cãtico, Νῦν ἀπολύεις τὸν δοῦλόν σου δέσποτα, *Nunc dimittis servum tuum Domine*: quæ ibidem recitantur. Ex his constat totum ordinem agendi sive Liturgiam, apud veteres in duas partes divisam fuisse: quæ propter totidem missiones dictæ sunt missæ; *missa* pro *missio*, ut *remissa* pro *remissio* apud Cyprianum, Optatum Milevitanum, Augustinum atque alios, translatitivum est. Prior est Missa Catechumenorum, ut in can. 84. Concil. Carthag. IV. altera Missa fidelium, quæ propter excellentiam ut sola diceretur Missa tandem obtinuit. Inventum est hoc nomen circa finem, ut videtur, tertii sæculi, vel paulò antè. Nã si vera est epistola Cornelii Papæ ad Lupicinum Viennensem, circa annum Domini 250. jam notum erat illud vocabulum. Variè autem hæc vox usurpata legitur. Et *primò* quidem Missa est Liturgia ad S. Eucharistiam: ut cùm Ambrosius epist. 13. ad Marcellinam sororem ait: *Ego mansi in munere, Missam facere cœpi: dum offero, raptum cognovi Castulum quendam.* Missa igitur est Eucharistia. *Alibi* Missarum celebratio apud eundem & aliis authores latiùs patet. Legitur enim aliquando apud antiquos scriptores, *audire Missam*, id est, Liturgiam audire, & cõmunionem sumere. Sic Ambrosius serm. 34. jubet quotidie audire Missam. Similiter apud Eusebium histor. eccles. l. 7. c. 9. εὐχαριστίας ἐπακούειν, *eucharistiam audire*, est communicare. Unde facilè intelligitur, phrasin istam, *audire Missam*, non favere hodiernis Missificis, quibus Missa cõmunio non est, sed acroama duntaxat & spectaculum. *Porrò* post tempora Ambrosii & Augustini, adeò increbuit hujus vocis usus, ut viri docti, putà Julianus interpres Novellarum Justini, Paulus Diaconus, & alii plures, vocabula Græca ἐκκλησιάζειν, συνάγειν, σύναξις, λειτουργεῖν, λειτουργία, *ad concionem vocare, congregare, congregatio, sacris operari, sacrorum operatio*, & apud Ignatium δοχὴν ἐπιτελεῖν, *cœnam Domini administrare*, per dictionem *Missa* exprimerent. *Fuit* & alia hujus vocabuli significatio, cùm Missam usurparunt pro solenni aliqua festivitate, sive die festo: ut cùm in *Capitulari Caroli M. lib.* 2. 18. fit mẽtio Missæ S. Martini: *&* 20. Missæ S. Andreæ. Ita Germani dicunt Christmeß/ Liechtmeß. *Adhæc* quod Græci dicunt συνάγειν, vel ἐκκλησιάζειν, id Latini dixerunt *Missas tenere*; & verbi prædicationem & sacramentorum administrationem ea locutione significantes: ut cùm in Indiculo legatorum Hormisdæ Papæ, qui describitur in anno 519. num. 137. apud Baronium, ita scriptum legitur: *Si hæretici non sunt, quomodo ante duas hebdomadas, quàm nos venissemus, statuerunt omnes in unum, ne quis Missas foras civitatem teneret; sed hic omnes; ut & multitudo esset futuræ seditionis congregata, & doceri posset secundùm errores eorum?* Atque hæ sunt significationes hujus vocis, quæ quidem apud veteres occurrunt. Apud sequioris seculi homines Missa est sacrificium

cium externum ac propitiatorium, verè & propriè dictum, quo Christi corpus ac sanguis sub speciebus panis & vini à sacerdote pro vivorũ ac mortuorum peccatis immolatur atque offertur. Sed hæc significatio ex Patrum scriptis demonstrari non potest. Hanc itaque Missam faciamus missam. Sed contrahamus in tabulam, quæ fusiùs persecuti sumus.



MOECHARI. Propriè est adulterium committere. Frequens est in Latinis Bibliis veteris interpretis, pro Græco μοιχεύω. Significat aliquoties idololatriam, per quam alieni dii coluntur, violata fide spiritualis conjugii, debita uni Deo. *Ier.* 3. *v.* 8. 9 *Apoc.* 2. 22.

MOLA ASINARIA. Occurrit hæc locutio *Matt.* 18, 6. Quidam intelligunt lapidem molarem, qui est grandis. Atque ita legitur planissimè *Marc.* 9. 42. Nimirum asini ad movendas molas adhibebantur, sicut hodie equi. Et hæ molæ dicuntur jumentariæ; quæ opponuntur manuariis, quas Cato trusatiles vocat. Quidam totam molam asinariam intelligunt: quia hæc est multò major quàm trusatilis, quippe quam homines vi brachiorum circumagere solent. Quidam denique intelligunt quidem lapidem molarem, sed inferiorem: quem putant dici asinum metaphoricè, quòd patiatur à superiori; quo ipso etiam est major.

MIXTUM EX THEORIA ET PRAXI. Singularis est prærogativa Scripturæ sacræ, adeoque & theologiæ, quòd non est purè theoretica, neque etiam purè practica, sed mixta ex theoria & praxi, hoc est, ita comparata, ut doceat cognitionem veri, & actionem boni modo eminentissimo. Hac de re *Thomas explanatione* 2. *Timoth.* 3. eleganter sic ait: Scripturæ sacræ effectus est quadruplex: Docet veritatem, arguit mendacium; hæc quantum ad speculativam: Eripit à malo, ducit ad bonum, hæc quantum ad practicam. Ultimus ejus effectus est, ut perducat homines ad perfectum: non enim qualitercunque bonum efficit, sed perficit. Vide tit. THEOLOGIA. Porrò Scriptura sacra, adeoq; & theologia, non tantùm est νοητικὴ & σημαντικὴ, sed etiam διανοητικὴ, hoc est, nõ solùm tradit axiomata sive propositiones, sed etiam utitur argumentis, dum ex principiis indemonstrabilibus & prioribus aut elicit conclusiones ad comprobandam

veritatem, ac nectit solutiones ad captiosas sophistarum objectiones refutandas.

Missio. Est œconomica, vel officialis. Missio œconomica est, qua Deus Pater mittit Filium *Ioh*.3.*v*.17. item Pater & Filius Spiritum sanctum *Ioh*.14.26.*cap*.15. 26 *Gal*.4.6. Missio officialis est, qua alicui imponitur munus ecclesiasticum vel politicum. Estque 1. divina *Matth*.10.*v*.5. 16. vel humana. 2. legitima, vel illegitima. 3. ordinaria, vel extraordinaria. 4. immediata, vel mediata. 5. æquiparantiæ, vel disquiparantiæ. Ibi æqualis mittit æqualem, hîc superior inferiorem.

מִצְוֹת. Inter מִצְוֹת, *Præcepta*, & חֻקִּים, *statuta*, sive decreta, doctissimi è Rabbinis hanc esse differentiam observant; *Mizooth*, sive præceptorum ratio est aperta; ut, Deum cole, Honora patrem & matrem: at *Chykkim*, sive statuta, sunt earum rerum, quarum טַעַם, id est, ratio, soli Deo est nota & comperta, ut circumcisionis, & similium. Ad hoc genus pertinent sacramenta gratiæ, sive novi Testamenti.

Mna. In vulg. vers. ponitur pro *Mina*. *Esdr*.2.60. *Neh*.7.72. *Ezech*. 45.12. *Luc*.19.*v*. 13.16.18.20.24.25. ubi occurrunt isti casus: *mnas*, *mnam*, *mna*, Genitivus *mnarum* est 1. *Macc*.14.24. *&c*.15.18.

Mollis. Significat 1. qualitatem tactilem. 2. blandum sermonem. *Iob*. 40. 22. *Prover*.15.1. *&* 25.15. 3. delicatum *Matth*. 11. 8. 4. effœminatum & luxu perditum 1. *Cor*.6.9.

Molentes. Sic appellantur dentes *Eccl*.12.*v* 3.4.

Momentum. Scholastici statuunt duo rei momenta, primum & secundum. Illud est, quo res esse intelligitur: hoc, quo actuosa esse percipitur. Sic v. g. in Deo primum momentum est essentia; secundum, vita.

Monimentum. Monumentum. Hæc duo interdum promiscuè usurpantur: interdum *monimentum* est memoriale, *Exod*.12.14.*cap*.13.9. & alibi: *monumentum* verò est sepulchrum *Genes*.23. *vers*.6. *Matt*. 8.28.

Monachus. Est solitarius, unicus, singularis. Peculiariter ita dicitur, qui extra mundi societatem vivit. Nam ut clericus laico, sic monachus κοσμικῷ solet opponi. *Hieronymus ad Paulinum, de institutione monachi epist*.13. Si cupis esse, quod diceris, monachus, id est, solus, quid facis in urbibus, quæ utique non sunt solorum habitacula, sed multorum? *Ius canonicum causa* 16. *quæst*.1 *capitulo* Placuit omnibus, *talem habet canonem*: Placuit omnibus residentibus in sancta synodo Nicena, ut monachorum conversatio & vita, secundùm etymologiam nominis ab omnibus discrepet. Monachus enim Græcè, Latinè singularis dicitur. Unde monachum per omnia singulariter agere oportet. *Alexander II. ibidem, capitulo* Juxta: Juxta Chalcedonensis tenorem optimi Concilii, monachis, quamvis religiosis, ad normam sancti Benedicti intra claustrum morari præcipimus: vicos, castella, civitates peragrare prohibemus: & à populorum prædicatione omnino cessare censuimus. *Eugenius Papa d. l. capitulo* Placuit communi, sic ait: Placuit communi nostro Concilio, ut nullus monachorum pro lucro terreno de monasterio exire nefandissimo ausu præsumat, neq; pœnitentiam dare, neque filium de baptismo accipere, neque baptizare, neque infirmum visitare, neque mortuum sepelire, neque ad ecclesiam secularem transire,

re, neque aliis qualibuſcunque negotiis ſeſe implicare: ſit clauſtro ſuo contentus: quia ſicut piſcis ſine aqua caret vitâ: ita ſine monaſterio monachus. Sedeat itaque ſolitarius, & taceat: quia mundo mortuus eſt, Deo autem vivit. Agnoſcat nomen ſuum. *Monos* enim Græcè, Latinè eſt unus: *achos* Græcè, Latinè triſtis ſonat. Inde dicitur monachus, id eſt, unus triſtis. Sedeat ergo triſtis, & officio vacet. Quale autem ſit officium monachi, *Hieronymus epiſtola* 4. *ad Ruſticum monachum* deſcribit his verbis: Nunquam de manu tua, & oculis tuis recedat liber: dicatur pſalterium ad verbum: oratio ſine intermiſſione. Vigil ſenſus ſit, nec vagis cogitationibus patens. Corpus pariter & animus tendatur ad Dominum. Iram vince patientia. Ama ſcientiam Scripturarum, & carnis vitia non amabis. Nec vacet mens tua variis perturbationibus: quæ, ſi pectori inſederint, dominabuntur tibi: & te deducent ad delictum maximum. Facito aliquid operis, ut ſemper te diabolus inveniat occupatum. Si apoſtoli habentes poteſtatem de evangelio vivere, laborabant manib. ſuis, ne quem gravarent, & aliis tribuebant refrigeria, quorum pro ſpiritualibus debebant metere carnalia: cur tu in uſus tuos ceſſura non præpares? Vel fiſcellam texe junco: vel caniſtrum lentis plecte viminibus: ſarriatur humus: areolæ æquo limite dividantur, in quibus cùm oleorum jacta fuerint ſemina, vel plantæ per ordinem poſitæ, aquæ ducantur irriguæ, ut pulcherrimorum verſuum ſpectator aſſiſtas,

Ecce ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit illa cadens: raucum per lævia murmur
Saxa ciet, ſcatebriſq; arentia temperat arva.

Inſerantur infructuoſæ arbores vel gemmis, vel ſurculis, ut parvo pòſt tempore laboris tui dulcia poma decerpas. Apum fabricare alvearia: ad quas te mittunt Salomonis proverbia, & monaſteriorum ordinem, & regiam diſciplinam in parvis diſce corporibus. Texantur & lina capiendis piſcibus. Scribantur libri, ut & manus operetur cibum, & animus lectione ſaturetur. Ægyptiorum monaſteria hunc ordinem tenent, ut nullum abſque laboris opere ſuſcipiant: non tam propter victus neceſſitatem, quàm propter animæ ſalutem: ne vagetur pernicioſis cogitationibus mens, & inſtar fornicantis Hieruſalem omni tranſeunti divaricet pedes ſuos. Ex his verbis conſtat, monachos primitùs fuiſſe ſolitarios, nec potuiſſe eccleſiaſticis functionib. publicè deſervire, & oportuiſſe laborare, & denique liberè vixiſſe ſine ulla regula, quam primus illis præſcripſit Benedictus.

MONARCHA. Strictè ita dicitur, qui ſolus imperat. Sed interdum generaliùs appellatur monarcha, qui primas in aliquo regimine obtinet. adeò ut etiam epiſcopi aliquando monarchæ ſint dicti. Hilarius Papa ad Leontium epiſcop. *Miramur fraternitatem tuam ita legis catholicæ immemorem eſſe, ut quæque iniqua, & contra Patrum noſtrorum ſtatuta, in provincia, quæ ad monarchiam tuam pertinet, ſi ipſe aut non vis, aut non potes, etiam nec nos ſilentii tui taciturnitate permittas corrigere.*

MONASTERIUM. Iſidorus libr. 15. 4. ait: *Monaſterium unius monachi, id eſt, ſolitarii habitatio.* Sed latiùs uſurpatur, pro habitatione plurium monachorum.

MONIALIS. Legitur in omni genere: *hic monialis, hæc monialis, hoc moniale.* Uſitatè tamen

tè tamen monialis & ſanctimonialis ponuntur pro monacha.

Mors. Eſt prima, vel ſecunda. Illa eſt corporis, putà amiſſio vitæ præſentis: & dicitur temporalis: hæc eſt animæ, vel potiùs totius hominis, & dicitur æterna. Deinde eſt mors naturalis, vel violenta. Tertiò eſt mors Phyſica, vel ſpiritualis, quæ & moralis, cùm aliquis moritur in peccatis. Quartò mors eſt vel pœna, ut in impiis; vel caſtigatio, ut in piis; vel martyrium; vel denique λύτςον. Quintò mors eſt ignominioſa, cùm aliquis ſuccumbit, ut impii: vel glorioſa, ut eſt mors Chriſti & Chriſtianorum.

Monobambylum. Eſt ſimplex conclave palatii ſecretius, in quo congregabatur clerus patriarcham novum electurus. Ante hoc erat aliud, in quod promiſcuè conveniebant omnes, qui cuperent ſtatim ſcire, quem clerus patriarcham creaſſet: atque illud διβάμβυλον dicebatur.

Monogamia. Eſt conjugium cum una perſona. Opponitur polygamiæ, ſive illa ſit ſucceſſiva, quæ eſt legitima; ſive ſimultanea, quæ eſt illegitima. Clemens Alexandrinus uſurpat hanc vocem lib. 4. Strom. ſecundo ſenſu: ubi ait, Dominum ού πολυγαμίαν ἔτι συγχωρεῖν μονογαμίαν ᾗ εἰσάγειν. Et lib. 2. Ἡμεῖς εὐνουχίαν μὲν, καὶ οἷς τοῦτο δεδώρηται ὑπὸ θεοῦ, μακαρίζομεν. Μονογαμίαν δὲ καὶ τὴν περὶ τὸν ἕνα γάμον σεμνότητα θαυμάζομεν. περὶ δὲ τοῦ δευτέρου γάμου, Εἰ πυροῖ, φησὶν ὁ ἀπόστολος, γάμησον, *Nos quidem caſtitatem, & eos, quibus hoc datum eſt, beatos dicimus: monogamiam autem, &, quæ conſiſtit in uno ſolùm matrimonio, honeſtatem, admiramur. De ſecundis autem nuptiis, Si uraris, inquit apoſtolus, jungere matrimonio.* Hieronymus in Tit. 1. *Scripſit & Tertullianus de monogamia librum hæreticum: quem apoſtolo contraire, nemo qui apoſtolum legerit, ignorabit.* quatenus ſcil. monogamia ſignificat unas nuptias, ſecundis excluſis & damnatis.

Monogamium. Eſt conditio monogami: unæ ſolæ nuptiæ: unam tantùm uxorem habuiſſe. Utitur hac voce Clem. Alexandrinus Strom. 2.

Monogamus. Μονόγαμος, ὁ καὶ ἡ, perſona, quæ unas nuptias contraxit. Calepinus & Bellarminus vocem hanc ajunt apud Græcos non eſſe in uſu: ſed à Latinis primùm uſurpari cœptam, etſi ex Græcis vocibus compoſitam. Sed μονογαμία occurrit apud Clementem, ut paulò antè oſtendimus. Id autem fit à μονόγαμος. Propriè fuerit monogamus, qui uno tempore unius tantùm uxoris eſt maritus, non polygamus. Sed pluriùm uſurpatur pro eo, qui tantùm unam uxorem habuit, neque plures unà duxit. Apoſtolus *Tit.* 1. requirit, ut epiſcopus nō ſit, niſi unius uxoris vir, non quòd vetet plura conjugia ſuccedanea: ut quis priore uxore demortua, aut per legitimum divortium dimiſſa, aliam ducat, à priori conjugio liber.

Monotessaron. Sic appellatur harmonia evangelica ex quatuor evangeliſtis. q.d. unum factum ex quatuor.

Mons. Eſt hieroglyphicum regni. *Apoc.* 17.

Mons coagulatus. Occurrit hæc locutio *Pſal.* 68. *v.* 16. 17. in vulgata verſ. Lat. Auguſtinus vertit, *montem incaſeatum*, & exponit de Chriſto, his verbis: *Ipſe eſt mons incaſeatus propter parvulos, gratià tanquam lacte nutriendos: mons uber ad roborandos atque ditandos donorum excellentià. Nam & ipſum lac, unde fit caſeus, miro modo ſignificat*

cat gratiam. Manat quippe ex abundantia viſcerum maternorum, & miſericordia delectabili gratis parvulis infunditur. Sed hæc omnia oriuntur ex unius voculæ ignorantia. Nã Hebraica veritas habet montem gibboſum: & author Latin. concordantiarum *τὸ coagulatus* rectè explicat *gibboſus*.

Monstrum. In vulgata verſ. Lat. hæc vox ſignificat rem ſtupendam & terribilem, quæ nobis occurrit. *Num.* 13.34. *Sap.* 17.9. *Sirac.* 45.2. 2. *Maccab.* 5.4.

Montana. Hæc vox abſolutè apud veterem Bibl. interp. ponitur, & intelliguntur loca montana. *Luc.* 1.39.

Moria. Vox Hebræa, mons ille, in quo templum ædificatum eſt à Salomone. Varia traduntur ipſius etyma: à מור *myrrha*, à מָרֵא *Dominus*, à רָאָה *videre*, à רָוָה *irrigari*, ex מראה יה id eſt, *Dominus conſpicuus factus.* Nam & myrrha primitùs abundavit, & Dominus ibi apparuit Abrahamo filium mactaturo, & locus fuit conſpicuus atque irriguus, & denique Jeſus Chriſtus hîc ſe conſpiciendum exhibuit. Hebræorum traditio eſt, in monte iſto fuiſſe 1. altare, in quo ſacrificarant Adam, Abel & Kain. 2. altare, in quo ſacrificavit Noah, egreſſus arca. 3. altare, in quo fuit colligatus Iſaac. 4. altare extructum tempore Davidis & Salomonis. 5. Jeruſalem & templum.

Mori Morte. Eſt certò mori. Diſtinguere autem oportet iſta duo יָמוּת מוּת *moriendo morietur*, & מוּת יוּמָת *moriendo mori fiet*, hoc eſt, occidetur. Hoc de violenta morte dicitur: illud etiam de naturali. Vide *Num.* 26.65. 2. *Sam.* 12.14. 1. *Reg.* 1.4. 2. *Reg.* 8.10. Latinus tamen vetus interpres utramque phraſin Hebræam eodem modo vertit.

Mori Peccato. Hæc phraſis diverſo ſenſu uſurpatur de Chriſto & nobis. Nam Chriſtus, qui fuit impeccabilis, ſemel mortuus eſt peccato *Roman.* 6.10, dum id expiavit & deſtruxit morte ſua, adeoque mortuus eſt peccati cauſa, ſuſtinendo pœnam pro peccatis noſtris. At nos debemus mori peccato, id eſt, non debemus ampliùs vivere in peccatis. Nimirum ſicut homo mortuus in ſepulchro nulli detrahit, nemini injuriam facit, neminem opprimit: non invidet bonis, non inſultat malis &c. ita nos debemus mori peccato, perinde ac ſi nullas vires vitales ad peccandum reliquas habeamus. *Rom.* 6.7. Vide Auguſtinum de ſalutaribus documentis. cap. 12.

Mori in peccatis. Eſt manere & perire in peccatis, & ob ea damnari. *Ioh.* 8. *v.* 21.24.

Mori Legi. Apoſtolus *Gal.* 2.19. ait: *Ego per legem legi mortuus ſum, ut Deo vivam. Per legem*, h. e. per legis maledictionem, quam ea cõminatur omnibus peccatoribus, *mortuus ſum legi*, hoc eſt, deſii legi adhærere & confidere, quaſi per ipſam juſtus & ſalvus eſſe poſſim; & hactenus ab ea ſum averſus & quaſi mortuus: *ut Deo vivam* per fidem & fructus fidei.

Mors. Ea eſt corporis vel animæ. *Mors corporis* eſt ſeparatio animæ à corpore: ſive ſit naturalis, ſive violenta. *Mors animæ* eſt ejus ſeparatio à Deo. Et hæc dicitur mors æterna, quam Chriſtus guſtavit, non ſentiendo æternitatem, ſed extremitatem pœnæ: non ſuccumbendo, uti damnati guſtant mortem æternam, ſed vincendo. Itaque Chriſtus ad tempus fuit ſeparatus à Deo, *affectione commodi*, ut loquimur in ſcholis, non *affectione juſtitiæ.*

Morta-

Mortale. Hæc vox accipitur propriè & metonymicè. *Propriè mortale* est, quod mori potest: deinde quod morti obnoxium est. Itaque mortalitas aliàs est moriendi potentia, aliàs insuper necessitas moriendi. Priori modo Adam fuit mortalis in statu innocētiæ, sed non posteriori. Scholastici subtiliùs ita distinguunt. Mortale dicit 1. naturalem aptitudinem ad moriendum. 2. possibilitatem ad moriendum. 3. necessitatem. Primo & tertio modo Adam ante lapsum non fuit mortalis, sed secundo. Ita immortale est 1. non potens mori. 2. potens non mori. Illud negat potentiam, hoc negat actum moriendi. Rectè itaque Macrobius in somn. Scip. lib. 2. 13. Sciendum est, quòd duobus modis immortalitas intelligitur. Aut enim ideo est immortale quid, quia per se non est capax mortis: aut, quia procuratione alterius, à morte defenditur. *Mortale metonymicè* est, quod mortem adfert. Quo sensu *peccatum mortale* Scholasticis dicitur, quod animam occidit. Etsi autem omne peccatum est mortale sua natura, non tamen eventu. Nam ubi fides est in Christum, ibi peccatum est veniale, non per se & sua natura, sed ex accidenti & gratia Dei in Christo per Spiritum sanctum.

Mortalis. Substantivè est homo. Ita & à Græcis βροτὸς usurpatur. Et apud Hebræos sunt affines voces מֵתִים *mortui*, & מְתִים *homines*.

Mortifico. Vox est usitata in S. literis, & inde apud doctores ecclesiasticos. Accipitur autem aliàs de morte corporis 1. *Sam*. 2. 6. *Psal*. 37. 32. & 43. 22. *Prov*. 19. 16. *Rom*. 8. 16. 2. *Corinth*. 6. 9. 1. *Petr*. 3. 18. aliàs de morte spirituali *Rom*. 7. 4. *c*. 8. 13. *col*. 3. 5. Et hoc posteriori modo aliquis dicitur *mortificatus legi*, hoc est, liberatus à maledictione legis, ut sit tanquam mortuus, si ad legem consideretur, ut ea in ipsum dominari adeò non possit, atque si non ampliùs sit. At *mortificare facta carnis*, est peccatum abolere.

Mortificatio. Est prima pars pœnitentiæ evangelicæ, qua fit, ut veterem hominem crucifigamus, & quantum in nobis est extinguamus. Deinde est conditio misera, tanquam mortis plena 2. *Cor*. 4. 10.

Mortua Opera. Sic dicuntur peccata *Hebr*. 6. 1. & 9. 4. quia sunt expertia vitę, quæ est secundùm Deum, & quasi cadaverosa, in quibus nec est calor, qui ad Deum tendat, nec color, nec odor, qui Deo placeat. Hugo Cardinalis illud Hebræor. 6. sic interpretatur: *Dicuntur mortua ab effectis, quia occidunt animas*: *vel opera mortua dicuntur opera bona per peccatum sequens mortificata*: *vel quando erant sine fide*: *vel ita dicuntur legales ceremoniæ*. Augustinus de fide & operibus c. 11. putat opera mortua dici, quæ oportet mortificari, ut vivamus.

Mortua Fides. Est inutilis & inefficax ad salutem *Iac*. 2. 17. quæ scil. neque calorem vitalem in se habet, neque operationes vitales edit. Ejusmodi autem est fides, quæ neque respicit misericordiam Dei in Christo, neque ex se parit bona opera.

Moses. Nomen habet à מָשָׁה *extraxit*: quia filia Pharaonis eum ex aquis extraxit, & à submersione liberavit. Ideò dicitur ὑδογενὴς in illis Orphei versibus:

Ἀρχὴν αὐτὸς ἔχων ἅμα καὶ μέσον ἠδὲ τελευτήν,

Ὡς, λόγος ἀρχαίων, ὡς ὑδογενὴς διέταξε
Ἐκ θεόθεν γνώμαισι λαβὼν τῶν δίπλακα θεσμόν.

Philo, Judæus Hellenista, & Hebraiſmi imperitus, hoc nomen derivat ab Ægyptiaco vocabulo μῶς, quod aquam ſignificat.

Muliebria. Sic dicuntur menſtrua. Occurrit hæc vox *Gen.* 18. 11. Deſierât Saræ fieri muliebria, i. e. menſtrua, quibus deficientibus deficit vis pariendi.

Mulier. Myſticè hæc vox ſumitur non uno modo. Ac *primò* quidem mulier amicta ſole eſt imago eccleſiæ catholicæ, omnium locorum & temporum, quæ ab omni terræ contagio libera æthercam regionem incolit: cui draco adverſatur: quę in deſerto alitur: quæ Chriſtum parturit, & tandem parit. *Apoc.* 12. ubi per deſertum nihil aliud ſignificatur, quàm quòd eccleſia à regnis hujus mundi, eorũdemque ſplendore excluſa in paupertate & exilio vitam ſolitariam traducere cogitur. Ad quod ei duæ aquilarum alæ tribuuntur, fides nimirũ & patientia. Confer cum *Exod.* 19. 4. *Deinde* mulier *Apoc.* 17. ſignificat ſpiritualem illam abominationum matrem, quam Papatum dicimus. Hæc mulier fulcitur & ſuſtentatur à beſtia illa rediviva, cujus fit mentio *Apoc.* 13. Cur verò Antichriſtus Romanus nunc ſub beſtiæ, nunc ſub mulieris imagine deſcribitur? Reſp. Capite 13. regnum antichriſtianum ſub beſtiæ, id eſt, ſecularis imperii, imagine deſcribitur, quia hæc ſpecies in eo tum prævaleſcebat, & mulieris partes perquàm & veluti precariæ erant. Sed temporis ſucceſſu beſtia langveſcens facta eſt mulier, id eſt, meretrix. Nimirum beſtia illa ſecundaria, etſi ſtatim in ipſis ſuis incunabulis, Antichriſti Spiritu graviſſimè tentata fuit: eidem tamen non ſtatim prorſus ſuccubuit, ut in hujuſmodi propudium, quale deſcribitur *cap.* 17. ſubitò degeneraverint. Nam genius Imperatorius, ſub cujus alis hæc meretrix deliteſcebat, ab initio non patiebatur ſibi habenas imperii extorqueri, utut Imperatores plus æquo colerent epiſcopum Romanum. Marceſcente autem imperii vigore, עצומים illi, de quibus Daniel, ſuccumbere cœperunt, & contrà Pontificum poteſtas adeò amplificata fuit, ut generoſo iſti Romano imperio facies illa meretricia ſit inducta, qualis hîc deſcribitur. Meretricium iſtud monſtrum Petrarcha & alii graphicè deſcripſerunt: nominatim Joſephus Scaliger, qui Româ diſcedens ita dicitur illi valedixiſſe:

Spurcum cadaver priſtinæ vetuſtatis,
Imago turpis puritatis antiquæ,
Nec Roma Romæ compos, ſed tamen Roma,
Sed Roma, quæ præſtare non potes Romam,
Sed quæ foveris fraude, quæ foves fraudem,
Vrbs prurienti quæ obſoletior ſcorto,
Et obſoleti more pruriens ſcorti,
Quæ penè victa fæce proſtitutarum,
Te proſtituta vincis, & tuum facta es
Tibi lupanar in tuo lupanari.
Vale, nefanda, conſtuprata, corrupta,
Incerta cœlibum Quiritium manceps,
Contaminata: quippe quid tuos mirer
Putére mores, quando vita computret?

Neque vero eſt quòd quæras, quomodo Roma virgo, cujus fidem laudat apoſtolus *Romanor.* 1. potuerit adeo degenerare? Nam plagæ apocalypticæ ſenſim & cum ſucceſſu operatæ ſunt, non uno actu & ictu. Sed paulò altiùs repetamus hujus vocis ſignificationes. Mulier *propriè* eſt

fœmina, sive sit virgo, sive uxor, sive vidua, sive meretrix: *impropriè*, sive mysticè, significat 1. Ecclesiam. *Apoc.* 12. *v.* 1. 4. 6. 13. 14. 15. 16. 17. 2. meretricem illam spiritualem, seu matrem abominationum & fornicationum *Apoc.* 17. *v.* 3. 4. 6. 7. 9. 18. 3. ecclesiam à Deo deficientem. *Ezech.* 23. *v.* 2. 10. 44. 48.

Mundus Muliebris. Est cultus mulierum, isque vel moderatus, vel immoderatus. *Esth.* 2. *v.* 3. 9. 12. 15. *Ezech.* 16. 7. 6. 23. 40.

Vas Muliebre. Mulier vocatur vas Hebræorum more; quia maritus utitur uxore tanquam comite & adjutrice. 1. *Pet.* 3. 7. Porrò dicitur vas debile; quia sexus iste est sequior.

Multi. Hæc vox in Scripturis, nudè posita & quantitatem & qualitatem significat, ita nempe ut & numerum sive copiam, & promiscuum vulgus intelligamus, hoc modo. Primò usurpatur de populo Dei *Esa.* 53. 11. 12. *Per cognitionem sui justificabit servus meus justus* MULTOS, *quia iniquitates illorum bajulavit: ideoque hæreditatem ei assignabo in* MULTIS. *Dan.* 9. 27. *Efficiet autem, ut prævalescat fœdus ad multos per septimanam unam.*

הִגְבִּיר בְּרִית לָרַבִּים׃

Ubi לְ significat casum applicationis, juxta regulam: Particula לְ ab initio nominibus adjecta significat casum possessionis, quem genitivum vocant, vel applicationis, sive dativum, pro exigentia subjectæ materiæ. Sed paulò pluribus excutiamus vocem illam MULTI in locis modò allatis. Tollit autem illa primò discrimen inter Judæos & Gentes. *Matt.* 8. 11. Cujus rei valde conspicuum initium factū est in festo Pentecostes *Act.* 2. dum ad concionem Petri multitudo hominum ex omnibus orbis habitabilis partibus congregatorum fuit conversa. Quo tempore cœpit impleri illud Esaiæ *cap.* 54. 2. *Ut dilatentur pomœria Sionis, & dispersi Israelis ex quatuor mundi cardinibus congregentur.* Deinde hæc ipsa vox significat, regnum Messiæ non paucos, sed multos complecti subditos. Tertiò per vocem hanc רַבִּים illud regni Messiæ perpetuum accidens tacitè indicatur, quo illud à supercilio hujus mundi utplurimùm fastiditur, idque propter crucis ejus scandalum, & doctrinæ illius absurditatem, quam fastuosa carnis sapientia sibi imaginatur. Scriptura itaque per vocem MULTI in hoc negotio indicat, prædicati evangelii virtutem in humili & despecta plebe omnium maximè conspicuam & efficacissimam futuram. *Ioh.* 7. 48. 49. 1. *Cor.* 1. 23. 26. 27. Quid multis? Vox רַבִּים omne discrimen tollit Judæi & gentilis, sapientis & rudis, divitis & pauperis. Confer *Matth.* 21. 31. *Luc.* 18. 9. *cum Esa* 42. 2. 3. Hîc obiter ex Rabbinis observa, voce רבים quatuor monarchias posse designari, ita ut notet multitudinem ex quatuor monarchiis collectam ר notat Romanos, ב Babylonios, י Javan sive Græcos, ם Medos.

Mundus. Significat semper universitatem, eamque vel omnium entium, vel omnium hominum, vel omnium electorum, vel omnium reproborum. *Primæ* significationis exemplum est *Iohan.* 1. *v.* 10. *Mundus per eum factus est.* Secundæ significationis exemplum est *Matth.* 18. *v.* 7. *Væ mundo à scandalis.* Item *Iohan.* 14. *v.* 27. *Non quomodo mundus dat.* *Tertiæ* significationis exemplum est *Ioh.* 1. 29. *Ecce Agnus Dei,*

Dei, qui tollit peccatum mundi. & 1. *Iohan.* 2. 2. *Non autem pro nostris tantùm peccatis, sed etiam pro totius mundi.* Ubi vox *mundus* adhibetur ad significandum efficaciam λύτρου Christi: ut nempe intelligamus illud esse catholicum ratione subjecti. Christus enim non pro hujus aut illius temporis, non pro hujus aut illius loci populo, non etiam pro hujus vel illius qualitatis hominibus, sed ꝑ electis omniū temporū, præteriti, præsentis & futuri; inter Judæos & Gentes; sive sint divites, nobiles, docti, potentes, sive pauperes, ignobiles, indocti, impotentes &c. satisfecit. Cur autē priori loco dicitur *peccatum*, posteriori, *peccata*, in plurali? Resp. Ut mors Christi est catholica ratione subjecti: sic & ratione objecti, quia non pro hoc aut illo peccato, sed pro omni peccato, hoc pretium est solutum 1. *Iohan.* 1. *Dan.* 9. 24. Porrò tertiæ significationis exempla etiam sunt *Iohan.* 3. *v.* 16. *&* 17. *c.* 4. *v.* 42. *c.* 6. *v.* 33. 51. *cap.* 8. *v.* 12. *c.* 9. *v.* 5. *c.* 12. *v.* 47. *c.* 14. *v.* 31. *c.* 17. *v.* 21. 23. *Rom.* 11. *v.* 15. 2 *Cor.* 5. *v.* 19. 1. *Iohan.* 4. *v.* 14. Quartæ significationis exempla sunt Ioh. 1. v. 10. *Mundus eum non cognovit. cap.* 11. *v.* 31. *c.* 14. *v.* 17. 30. *c.* 15. *v.* 18. 19. *c.* 16. *v.* 8. 11. 20. *c.* 17. *v.* 9. 14. 25. 1. *Cor.* 1. *v.* 20. 21. *c.* 2. *v.* 12. *c.* 3. 19. *c.* 11. *v.* 32. *Eph.* 6. *v.* 12. 1. *Iohan.* 3 *v.* 1. 13. *c.* 4. *v.* 4. 5. *c.* 5. *v.* 19. Tertiam significationem illustremus ex Patribus. Nam de illa maximè contenditur. *Cyrillus in Iohannem lib.* 11. *c.* 19. concilians verba Johannis cap. 17. *Non oro pro mundo,* & verba Johannis, 1. epist. c. 2 Propitiatio est pro peccatis totius mundi, sic ait: Beatus Johannes, quoniam erat Judęus, ne pro Judæis tantùm paracletus esse Dominus apud Patrem videretur, non autem etiam pro aliis gentibus, quæ vocatæ, obsecutæ sunt, necessariò adjecit pro toto mundo, id est, pro omnibus, qui per fidem vocati ad justitiam & sanctificationē perveniunt. *Augustinus tom.* 7. *libro contra Donatistas ait*: Illi (*.Donatistæ.*) dicebant, mundū semper in malam significationē positum, & testimonia de Scripturis dabant, quia scriptum est, Si quis dilexerit mundum, non est charitas Patris in illo, & cætera talia. Nos verò non solùm in malam, sed etiam in bonam significationem mundum in Scripturis positum respondebamus, & commemorabamus etiam illud quod scriptum est, Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, qui utiq; non sibi reconciliavit, nisi ecclesiam. *Idem ibidem*: Nolentes (*.Donatistæ.*) consentire, mundi nomine ecclesiam posse significari, contra verba apostoli, qui dixit, Deus erat in Christo mundū reconcilians sibi, & contra ipsius verba Domini, qui dixit, Nō venit Filius hominis ut judicet mundū, sed ut salvet mundus per ipsum. Neq; n. reconciliari Deo & salvari ꝑ ipsum mūdus potest, nisi mundi nomine intelligat ecclesia, q̄ sola per eum Deo reconciliata salvatur. *Idem tomo* 9. *tract.* 87. *in Iohannē*: Et in epistola sua Johannes ait: Advocatū habemus ad Patrē, Jesum Christū justum, & ipse ꝓpitiator est peccatorum nostrorū, non tantùm nostrorum, sed etiam totius mundi. Totus ergo mundus ecclesia est, & totus mundus odit ecclesiā. Mundus igit odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salvatum, inquinatus mundatū: sed iste mundus, quem Deus in Christo reconciliat sibi, & per Christum salvatur, & cui per Christum omne peccatum donat. de mundo electus inimico, dānato, cōtaminato.

minato. *Eodem tomo 9.tract.1.in epist. Iohannis*: Christus propitiatio est peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed & totius mundi. Ecce habes ecclesiam per totum mundum. *Et mox*: Christus est propitiatio peccatorum nostrorum, non tantùm nostrorum, sed & totius mundi, quem sangvine suo comparavit. *Idem tomo 2. epistola* 48. Et totus mundus in maligno est positus propter zizania, quæ sunt per totum mundum: & Christus propitiator est peccatorum nostrorũ, non tantùm nostrorum, sed totius mundi, propter triticum quod est per totum mundum. Hîc non ab re fuerit ex Concordantiis Latinis adnotare significationes vocis *Mundus*. 1. Est ingens illa machina, cœlum & terram, & omnia, quæ in iis continentur, comprehendens. *Act.*17.24. 2. Orbis terrarum. *Marc.* 14.9. 3. Quidquid extra veri Dei in Christo notitiam & reverentiã homines in mundo ut pretiosum & sibi conducibile ambiunt, cupidè retinent, & deflent amissum. *Matth.* 16.26. 1. *Iohan.* 2.15. 4. Electi Dei, ex genere humano & mundo collecti *Matt.* 5.14. *Ioh.*1.29. *c.*3. *v.*16.17. *c.*4.42. *c.*6. *v.* 33. 51. *c.*8.12. *c.*9.5. *c.* 12.47. *c.*14. 31. *c.*17. *v.*21. 23. *Rom.*11.15. 2. *Cor.*5.19. 1. *Iohan.*2. 2. *c.* 4. 14. 5. Homines omnes, tum Judæi, tum Gentes, non regenerati. *Matth.* 18.7. *Iohan.*1.10. *c.*12.31. 6. Impii, qui ante diluvium vixerunt. *Hebraeor.* 11.7. 2. *Petr.* 2.5. 7. Judæorum gens. *Iohan.* 7. 4. *c.* 12. 19. Porrò hæc vox *mundus* accipitur substantivè, vel adjectivè. Substantivè. 1. pro substantia, vel qualitatibus. Ibi intelligitur machina orbis totaliter, vel partialiter: hîc pravitas & vanitas mundana. 2. pro cultu muliebri. *Esth.* 2. Adjectivè est idem quod purus: & quidem vel naturaliter, vel artificialiter *Exod.* 25.11. vel legaliter & typicè *Gen.* 7.2. vel spiritualiter *Luc.*11.41.

MUNDIALIS. Est vox usitata scriptoribus ecclesiasticis: idem quod *mundanus*. Hier. ad Marcell. *Mundialibus negotiis occupamur*. Sulpit. Sev. l. 2. *Mundiales historici*.

MUNDITIES. Ea est triplex. 1. corporalis. 2. typica. 3. spiritualis. *Mundities corporalis* procuratur multis modis: inprimis adhibitâ aqua. *Mundities typica*, quæ etiam dicit͛ sacramentalis & ceremonialis, procurabatur aqua aspersionis, quæ etiam dicitur aqua separationis & peccati. Aqua separationis dicit͛ genitivo objecti, quia aspergenda erat iis, qui ob immunditiem aliquam à cœtu erant separati, ut ea purgati reciperentur. Aqua peccati dicitur, qua ceremonialiter expiabatur peccatum. *Levit.*19.3. *Num.*31.23.

MUNDI ELEMENTA. Sic *Gal.* 4.3. & *Col.*2. *v.*8. 28. appellantur ceremoniæ legis. Dicuntur elementa, i.e. pædagogica quædam rudimenta: *mundi*, h. e. populi in V.T. Dicuntur autem infirma & egena elementa, quatenus consideratur status N.T. Nam in V.T. non erant infirma & egena; utpote signa & sigilla remissionis peccatorum per Christum.

MUNDUM VINCERE. Est omnia mundana post se relinquere, & opprimere. 1. *Ioh.*5. *v.*4.5.

MUNICEPS. Vide infra πολίτευμα.

MUTATIO. Ea fit in melius, vel in deterius. Sic *Augustinus psalmum* 45. *exponit de mundo commutato per evangeliũ*: Unusquisq; nostrùm, fratres, ex vetere homine in novum mutatur: ex infideli fidelis fit, ex raptore largitor, castus ex adultero, beneficus ex malefico. *Idem Psal.*60. Non, quomodo

quomodo mutatus est Adam à justitia ad iniquitatem, & à deliciis ad laborem, sed, quomodo mutantur illi, quibus dictum est, Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Et Psal. 69.* Mutatio vel in deterius est, vel in melius. Adam & Eva in deterius: qui ex Adam & Eva Christo adhæserunt, in melius commutati sunt. *Et Psalm.* 80. Quoniam Christus, finis legis, ideo venit, ut immutet in melius.

MUSACH. Occurrit hæc vox 2. *Reg.* 16. 18. in vulgata versione Lat. Retenta est vox Hebr. מוּסַךְ id est, tegmen seu operimentum. Vetus vocab. *Musach erat arca, in qua reponebantur donaria regum vel principum ad reficienda sarta tecta templi.*

MUTATORIA. Ita absolutè appellantur vestes, quarum usus est sacris ac festis diebus, quibus finitis exuuntur. *Esa.* 3. 22. *Zach.* 3. 4. Dicuntur *mutatoria vestes* 2. *Reg.* 5. 22. & *mutatoria vestimenta* 2. *Reg.* 5. 5. Ratio nomenclaturæ est, quia non continuè gestabantur, sed per vices, ut una post alteram indueretur; sicut nos vestes habemus festivas, quas diebus sabbatinis aut festis induimus, positis interim quotidianis.

MUNUS. In sacris literis occurrit, pro Hebræo *Minchah.* Intelligitur aliâs munus sacrum, aliâs profanum. *Gen.* 43. 1. *Samuel.* 10. 27. *Gen.* 4. 4. 2. *Reg.* 8. & 17. Est verò etiam munus peculiare genus sacrificii eucharistici. *Lev.* 2. & 7. Erat ex rebus inanimatis ad sacrificandum aptis.

MYSTERIUM. Significatur hac voce id, quod est occultum. Quo sensu *Apocal.* 17. 5. dicitur mysterium fronti mulieris inscriptum. Quæ verba opponuntur illis *cap.* 13. ubi de Dracone dicitur, capitibus ejus inscripta esse nomina blasphemiæ. Ille nimirum ethnicam suam impietatem palàm præ se tulit. At meretrix etsi eidem blasphemæ bestiæ insidet: fronti tamen, ex qua impudicitiæ ejus præcipua indicia peti debebant, mysterium habet inscriptum, hoc est, hujusmodi velum habet impositum, quo bestialem & meretriciam faciem tegit. Intellige hîc præstigias Papæ, quarum ea est vis, ut hoc veluti fascino mortales ad scorti hujus adorationem & spiritualem fornicationem alliciuntur. Quid verò hoc est aliud, quàm magnifica illa Ecclesiæ & successionis ostentatio. Hoc est illud fascinum, quod mulier hęc in fronte suspensum gerit. Alludit autem Propheta in eo ad ornatum Aharonis, cujus frontali inscriptum erat קדש יהוה *sanctum Iehova. Exod.* 28. 36. Sed paulò altiùs repetamus originem & significationes hujus vocis. Origo est Hebraica. סָתַר est occultare מִסְתָּר aut מִסְתּוֹר est res abscondita. Itaque mysterium est res occultata, occultanda, occulta, abscondita, abscondenda. In Scripturis aliquando tota doctrina Christiana vocatur mysterium aut mysteria *Matt.* 13. 2. *Luc.* 8. 10. *Marc.* 4. 2. Et Paulo sępe in epistola ad Ephesios, atq; alibi, mysteriũ appellatur universa Christi, & de Christo doctrina: q̃ Deus ab æterno absconditam apud se cùm habuisset, tẽpore suo mortalibus patefecit. Aliquando capita quædam doctrinæ Christianæ peculiariter ita vocantur. 1. *Cor.* 15. 51. *Ephes.* 5. 32. 1. *Timot.* 3. 16. 2. *Thess.* 2. 7. Et ecclesia non solùm in commune omnia religionis arcana nominavit mysteria: sed peculiariter sacramenta hoc nomine insignivit, & quidem utplurimùm eucharistiam. Hæc enim dicit antonomasticè τὸ μυστήριον, & numero multitudinis τὰ μυστήρια, item φρικτὰ

μυςήρια, *tremenda mysteria*; τὸ ἀπόρρητον μυςήριον, *ineffabile mysterium*; magnum & pavendum mysterium; τὰ ἔνδοθεν μυςήρια, *interiora mysteria*; μυςήριον σωτηρίας; μυςήριον θεῖον, *mysterium divinum*; τὸ μυςήριον κυρίȣ, *mysterium Domini*; τὸ δεσποτικὸν μυςήριον, *Dominicum mysterium*; τὸ τοσοῦτο καὶ τοιȣ̃το μυςήριον, *tantum & tale mysterium*; μέγα τῆς σωτηρίας μυςήριον, *magnum salutis sacramentum*; *mysterium pacis & unitatis*; *mysterium fidei.* Porrò, ut hoc obiter addam, Eucharistia etiam appellatur τελετῶν τελετὴ apud Dionysium capite tertio, hierarch. eccles. sicut Bernhardo dicitur, *sanctum sanctorum*, & *sacramentum sacramentorum.*

Μυςηρίων θεοῦ οἰκονόμοι. Apostoli ita dicuntur 1. *Corinth.* 4. 1. id est, dispensatores mysteriorum Dei, verbi nempe, sacramentorum, & totius doctrinæ CHRISTI. Sic in tragœdiâ CHRISTUS *patiens*, Apostoli sæpe nominantur *mystæ.* Et Patres sacramenta interdũ appellãt μυήσεις. Porrò Apostoli, pastores, & similes mysteriorum DEI dispensatores appellantur *symmistæ*; quia sunt pares officio isto sacro, quod vertitur in mysteriorum sacrorum dispensatione. Denique μυςαγωγία sacra dicitur propriè de sacramentis: etsi etiam per ampliationem sumi potest de prædicatione verbi.

MYSTERIUM INIQUITATIS. Apostolus 2. *Thessal.* 2. 7. negotium Antichristi vocat μυςήριον ἀνομίας, quasi dicat, velatam iniquitatem. Velum illud est nomen Ecclesiæ Catholicæ, quo meretrix ista suam faciem frontemque meretriciam ita tegit, ut non possit à quovis agnosci. Hanc larvam detrahet ipsi Dominus, juxta illud 2. *Thessal.* 2. 8. *Tum retegetur impius ille*: & *Esaiæ* 47. 3. *Revelabitur nuditas tua.* Confer *Nahum.* 3. 5. & 2. *Timoth.* 3. 9. Deinde hac phrasi significatur totũ Antichristi Romani regnum fore mysticum. Mystica est missa, mysticæ vestes, mysticæ ceremoniæ, mysticus character indelebilis, & denique quid non? Casaubonus exercit. 16. numer. 43. eleganter sic adnotat ad hanc phrasin. *In posteriore ad Thessal.* 2. 7. *dicitur consummari in Antichristo* τὸ μυςήριον τῆς ἀνομίας, mysterium iniquitatis; *hoc est, occulta quadam iniquitas, alta, & numeris omnibus absoluta: nam ea vis est hujus locutionis; quam observo etiam apud alios authores. Iosephus Iudaici belli libro primo, loquens de Antipatro filio Herodis, bipedum sceleratißimo*; τὸν Ἀντιπάτρου βίον οὐκ ἂν ἁμάρτοι τις εἰπὼν κακίας μυςήριον: Non erraverit, qui dixerit, vitam Antipatri fuisse malitiæ mysterium.

Μυςήρια φρικτά. Patres sic appellant eucharistiam, id est, *mysteria tremenda.* Gregorius Magnus eodem sensu vocat *pavendum mysterium.* Quin ipsum templum vocatur à Chrysostomo φρικωδέστατον χωρίον, *locus maximè terribilis.*

NABLA. NABLUM. NABLIUM. Est instrumentum musicum, ab Hebraico נֵבֶל, quod propriè utrem significat. Est enim utri simile, chordis intentum, & utraque palma pulsari solitum.

NABUCHODONOSOR. Fuit rex Babylonius. Dicitur etiam Nebucadnezar, Nebucadlezar, Nebucadrezar, in Scriptura. Beroso Ναβουχοδονόσορ.

ϱ☉. In vulg. verſ. ſemper Nabuchodonoſor. Præcipua nomina propria Chaldæorum hæc occurrunt: *Nebo*, *ſive Lebo*: *Nego*: *Scheſchah*: *Meſchach*: *Schadrach*: *Letzar*, *Retzar*, *ſive Netzar*: *Adan*: *Bel*: *Phil*: *Pal*: *Chad*. Hinc patet, Nebucadnezar eſſe compoſitum ex tribus, *Nebo*, *Cad*, *Nezar*. Addamus etiam quædam nomina propria Aſſyriorum: *Schalman*: *Teglath*: *Haddon*: *Neſchroch*: *Aſar*: *Ballat*: *Phul*: *Schar*. Ex his compoſita ſunt, *Salmanaſſar*, *Teglatphilaſſar*, *Aſarhaddon*.

NADAB. Eſt nomen proprium 1. filii Aharonis *Exod.6.& 24.* 2. filii Jeroboami 1. *Regum* 14. & 15.3. filii Jehielis 1. *Chron.*8. & 9.4. filii Semei. 1. *Chr.*2.*v.*28.

MAGID. Hebraica vox נָגִיד ſignificat primò ducem, principem, anteceſſorem: quo ſenſu *Daniel.* 9.25. Meſſias appellatur *Nagid*: ubi tamen Graſerus hanc vocem vertit *præſentem*, quòd radix ejus נָגַד ſit *obviam fieri*, unde נֶגֶד *è regione*. Quæ interpretatio nihil habet incommodi. Deinde hæc eadem vox ſignificat adverſarium: ut *Daniel.* 11.22. ubi Antiochus Epiphanes appellatur נְגִיד בְּרִית *Adverſarius fœderis*. Vulgo vertunt, *Princeps fœderis*: ſed ineptè. Nam Spiritus ſanctus iſta phraſi voluit ſignanter indicare, qualis monſtri hujus affectus cùm erga populum Dei, tum erga cultum Dei futurus ſit: quòd nempe utrumque iſtorum ſit oppugnaturus: ita ut digitum velut intendat in nomen *Antiochi*, quòd ἀντιοχοῦντ☉, *adverſantis*, *renitentis*, ſignificationem habet. Porrò hic titulus Antiocho ita tribuitur, ut in eo principaliter reſpiciatur ad typum Antichriſti, quem geſſit. Hinc Paulus 2. *Theſſal.*2.4. Antichriſtum appellat ἀντικείμενον: quæ vox Hebraicam iſtam phraſin illuſtrat. Quod attinet ad verſionem vulgo receptam, quâ Antiochus ſtatuitur *princeps fœderis*: velim ſcire, ubi locorum in canone vox בְּרִית de fraudulentis colligationibus hominum perfidorum uſurpetur. Multò anguſtior eſt vox iſta, quàm ut de profanis confœderationibus uſurpari debeat. Apud hunc prophetam extra hunc locum ſexies occurrit, & ſemper aut de ſancto Dei fœdere, aut de vero Dei cultu uſurpatur. *Daniel.* 9.4.27. *cap.*11.22. 28.30.32. Ubi autem meminit confœderationis profanæ Antiochi *cap.* 11.23. alio utitur vocabulo, nempe הִתְחַבְּרוּת quaſi dicas ex hodierna fori conſuetudine, *Expracticata conſociatio*. Nam ſic propheta novum vocabulum ex forma Hithpaël fingit, quod aliàs in Canone nuſquam invenitur, ut fraudulentum Antiochi ingenium evidentiùs exprimat, qui omnium tyrannorum more juramentis & fœderum religione, ut pueri talis, luſurus eſſet, ut homines deciperet. Hoc ut meliùs perſpicias, velim te obſervare hiſtoriam Antiochi eſſe principale objectum & veluti ſcopum ultimæ viſionis: unde illam hiſtoriam copioſiùs deſcribit Spiritus ſanctus, quàm alterius cujuſquam regis Syriaci aut Ægyptiaci, idque non propterea ſolummodò, quòd crudelis hæc beſtia populum Dei tyrannicè ſimul & malitioſè afflictura erat, ſed ideo potiſſimùm quòd in hoc monſtro typum agnoſcebat magni Antichriſti, qui aliquando iiſdem ferè artibus eccleſiam Nov. T. oppreſſurus erat. Totius v. narrationis *à v.*21.*c.*11. *uſque ad v.*35. incluſivè tria præcipua ſunt capita: in quorũ primo *v.* 21. 22. 23. 24. cõprehenditur perſona Antiochi cum ipſius ingenio, & artibus,

artibus, per quas ad regnum avitum aspiraturus erat; quibus additur successus, quem in iisdem experiri debuit. *Alterum* caput historiam continet expeditionum illius Ægyptiacarum *vers.*25.26.27.28.29. 30. In *tertio* tyrannis ejus describitur, quam contra fœdus sanctum exercebit. v.28.ad 35.inclusivè. Hæc autem ita disponuntur, ut in illis viva imago historiæ Antichristi exprimatur, secundùm nempe tenorem istius vulgati dicti: *Intravit ut vulpes, regnavit ut leo, mortuus est ut canis.* Sicuti etiam in residuis decem vers. capitis istiusmet historiam Antichristi ad exemplar hujus typi accuratè describit. Sed redeamus ad primam significationem vocis נָגִיד. Esaias *c.*55. in illa illustrissima prophetia de Christo, & beneficiis Evangelii ipsius, inter alia *vers.*4. tria significantissima epitheta tribuit Christo: dum eum עֵד *testem*, נָגִיד *principem*, & מְצַוֵּה *pædagogum*, vocat. Prima vox propriè significat *protestantem*, tertia *præcipientem* sive *mandantem*, ita ut utraque exprimat ipsius officium propheticum, quatenus nimirũ illud circa doctrinæ reformationem & populi redargutionem versari debebat. Vox intermedia exprimit officium ipsius regium.

NANÆA. Est nomen Dianæ 2.*Maccab.* 1.*v.*13. 15. Junio videtur ita dicta, quasi puella, à נין *filius, puer*.

NAOPHYLAX. Est ędituus q.d. custos templi. Ναὸς est templum.

NARDUS PISTICA, vel NARDUM PISTICUM. Sic dicitur νάρδος μετὰ πίστεως σκευασθεῖσα, *nardus fideliter præparata*, ut rectè docent Camerarius in Marc. 14. & Fabricius in poëtas ecclesi. Rectè itaq; Baronius in Annalibus interpretatur nardum non adulteratam. Quidam deducunt à πίνω, *bibo*: quòd Athenæus doceat, nardum aptam esse πρὸς πότον, *lib.* 15. Sed in priorem sententiam omnes ferè Græci eunt: qui vocem πιστικὸς sæpè usurpant de re fideliter facta. Sic in literis Emanuelis Imp. ad Fridericum Imp. legitur πιστικὸν βάλσαμον, *fidele balsamum*, id est, salubre. πιστικὸν etiam de persona occurrit apud Cedrenum pro πιστὸς p. 545. 577. & sæpe alibi ὁ πιστικώτατος τῶν θεραπόντων, *fidelissimus ministrorum*. Significat etiam hæc vox id quod fidem confirmat: ut apud *Eusebium lib.* 8. *demonstrationis Evangelicæ* vinum mysticum sacrosanctæ Eucharistiæ dicitur κρᾶμα πιστικὸν τῆς καινῆς διαθήκης, *potus novi Testamenti fidem confirmans*. Porrò nardinum unguentum olim magni fuit pretii: quod vel inde colligere est, quia unica fuit urbs Laodicea, quæ unguentum hujusmodi cum laude conficeret: nec multò ante Galeni tempora in aliis etiam urbibus cepit fieri quod commendaretur. Placet hoc loco inserere judiciũ Cl. philologi, Christiani Becmãni, amici nostri, qui de nardo pistica hunc in modum ad me scribit: Quantopere hic stimulus pupugerit interpretes, satis notum. Scultetus cum Hartungo facit ab Opis opidulo, quasi olim fuerit nardus Opistica. Frustra. Quando Athenæus, Strabo, & alii, qui harum rerum sategerunt, nominatim quoque Dioscorides, Plinius, & reliqui, nardi Opisticæ ne meminerunt quidem: in explicatione aliàs nardi Celticæ, Italiæ, Indicæ, occupatissimi. Aliis πιστικὴ dicitur à πιεῖν, τοῦ πίνω. Nimis morosa hæc ἀναλογία. Et quomodo liquor nardum tantopere commendet? Malim ergò à πίστις facere: ut sit probatæ fidei nardus. Plinio l. 12. c. 12. sincera. Eidem ibidem opponitur pseudonardus.

dus. Et analogia satis conveniens. Ut à φύσις φυσικὸς, à δεῖξις δεικτικὸς: ita à πίστις πιστικός. Eodem significatu invenimus βάλσαμον πιστικὸν: κέχρισμα πιστικὸν: notante etiam Casaubono contra annales Baronii. Sic Becmannus.

NASUS. In sacris hæc vox habet notam hieroglyphicam iracundi furoris & excandescentiæ. Et Hebræi una voce nasum & iram indigitant אף, à quo duale אפים nares. Hoc deducitur à radice אנף, quâ hujusmodi furor propriè denotatur, qui cum vindictæ cupiditate conjunctus est. *Deuter.* 9.20. *Psalm.* 2.12. Unde videmus eos, qui aliqua enormi injuria læsi sunt, ore compresso per nares spirare, non aliter quàm si ille inflammati cerebri coarctatus spiritus uno impetu se per hos meatus vellet ejicere. Hinc Lucas *Actor.* 9.1. Saulem sævientem introducit spirantem; & Latini proverbialiter dicunt, spirare minas. Ex quibus patet, cur in Scripturis sacris per nasum potentia illa animæ, quam Græci τὸ θυμοειδὲς vocant, indicetur.

NASCOR. *Primò* dicitur de conceptione in utero: ut cùm angelus ait *Matth.* 1. Quod natum est in ea. *Deinde* nasci est in lucem prodire: ut cùm Christ⁹ in symbolo dicitur natus ex Maria virgine. *Tertiò* nasci est quoquo modo produci: idque vel naturaliter, ut cùm è grano nascitur culmus: vel supernaturaliter, ubi rursus est duplex nativitas. Nam primò Filius Dei natus est à Patre modo ineffabili & actu immutabili. Deinde Christus nascitur in cordibus nostris per fidē, spem, & charitatem.

NATALIS CALICIS. Sic apud Eligium & Paschasium dicitur dies cœnæ Domini. Nimirum natalis hîc ponitur pro festo die aut solennitate: quia dies natales solent festivo plausu transmitti, Apud Augustinum leges *sacramentum calicis*, de doctr. Christ. l. 4. c. 21.

NATHINÆUS. Priscorum Judæorum quatuor erant classes: popularis, sacerdotalis, Levitica, & dedititia, quæ erat ex exteris in religionem cooptatis. Dedititii illi dicti fuerunt *Nathinæi*, cùm David illos constituit, sive dedit, ut Levitis ministrarent, sicut Levitæ sacerdotibus. Cæterùm hoc nomine appellati fuerunt Gibeonitæ, tanquam publici servi, qui nomine cœtus populi Dei publicas angarias obibant, ex statuto Josuæ, de quo *Ios.* 9.23. Horum fit mentio 1. *Chron.* 9.2. *Esdr.* 2.7. & 8. *Neh.* 3.7.10. & 11.

NATIVITATIS TERRA. Est patria *Gen.* 11.28.

NATIVITATIS VULTUS. Est facies nativa *Iacob.* 1.23.

NATIVITATIS ROTA. Est totus cursus naturæ in vita quotidiana. Sic *Iacob.* 3. 6. de lingua dicitur, quòd inflammet rotam nativitatis, hoc est, quòd accendat totum cursum naturæ, corrumpendo & turbando constitutiones œconomicas, politicas & ecclesiasticas. *Hugo Cardinalis* rotam nativitatis exponit, rotam vitæ hujus temporalis, & cursum, quo de die in diem, de septimana in septimanam, de mense in mensem, de anno in annum, sicut rota, volvimur malo igne cupiditatum. In Concord. Latin. ita legere est: *Rota nativitatis, curriculum vitæ nobis præscriptum.*

NATIVITUS. Occurrit hoc adverbium apud *Tertullianum libr. de anima, capite duodecimo*, & est idem, quod ex nativitate: sive illa nativitas sit substantia-

lis; sive accidentalis: sive physica, sive metaphysica, sive hyperphysica.

NATURA. Est increata, vel creata. Illa est solius Dei: hæc est rerum extra Deum; estque universalis, vel particularis. *Secundùm naturam* fit, quod convenit congruenter ordini illi, quem Deus rebus creatis initio indidit. *Præter naturam fit* & inest, quod ab externa causa provenit, sic tamen, ut proprietates rei non tollantur. Ita in aere, qui sua natura est tenebricosus, lumen est à sole, præter aeris naturam. *Contra naturam* fit, quod ita est à causa externa, ut aliquid nativum ex eo pellatur. *Supra naturam* fit, quod à Deo efficitur modo ejusmodi, qui naturæ finitæ est impossibilis. Apostolus *Roman.* 1. *vers.* 26. 27. opponit κατὰ φύσιν & παρὰ φύσιν, id est, ea quæ sunt & fiunt secundùm legem naturæ & contra eam.

NAZARAEUS. Hebraicè נָזִיר *separatus*. Erat nomen hominum votivorum in Vet. Test. qui abstinebant ab omni quod vitis producit, à tonsione, & immundo. *Levit.* 25. Quatuor autem numerantur perfecti Nazaræi: Samuel, Samson, Johannes Baptista, & Jacobus justus frater Domini. Sunt qui addunt Christum. Sed non rectè. Nam ille utique bibit vinum. Et verò Christus non נָזִיר *Nazaræus*, sive *Naziræus*, sed נֵצֶר *Nazarenus* ab urbe Nazareth appellatur: quia ibi natus est. Hîc incidit quæstio ardua, quomodo *Matth.* 2. 23. dicatur, à prophetis prædictum esse, ut Christus Nazaræus vocaretur? Resp. 1. Per enallagen vox pluralis numeri, *prophetis*, posita est pro voce singularis numeri. 2. *Esaias capite undecimo*, *vers.* 1. Christum appellat נֵצֶר surculum, idque duplici nomine: quòd nempe sit verus ille surculus, qui contra Satanæ & mundi conatus & machinas sit futurus arbor longè maxima: deinde quòd sit proditurus è loco, qui nomen habet à נֵצֶר id est, surculo. Nazareth enim à Nezer dicta est. Porrò Christiani à Judæis appellati sunt *Nazareni*. Qua de re Tertullianus libro quarto, adversus Marcionem: *Vnde & ipso nomine nos Iudæi Nazarenos appellant per eum. Nam & sumus, de quibus scriptum est, Nazaræi exalbati sunt super nivem: qui scilicet retrò luridati delinquentiæ maculis, & ingrati ignorantiæ tenebris.* Isidorus libro septimo, capite decimoquarto. *Christiani olim à Iudæis quasi ob opprobrium Nazareni vocabantur.* Denique hæretici quidam dicti sunt *Nazaræi*, qui CHRISTUM Nazarenum in omnibus imitantur, etiam quantum ad ceremonias Mosaicas. *Augustinus de hæresibus.*

NECESSITAS. In sacris literis significat 1. vim cogentem, oppositam libertati 1. *Corinth.* 7. 37. *Philem. vers.* 14. 1. *Petr.* 5. 2. 2. afflictionem & rem adversam *Psal.* 25. 17. & 31. 18. 2. *Corinth.* 6. 4. 3. indigentiam *Deuter.* 15. 20. 4. opus seu onus publicum, quod pro reip. necessitate est faciendum. *Deut.* 24. 5.

NEDFYRI. Occurrit hæc vox in tomis Conciliorum, vitâ beati Bonifacii & Burchardi: *Sive illos sacrilegos ignes, quos nedfyri vocant.* Vox est Germanica Noth-fewer. Sic appellant superstitiosi homines ignem illum, quem festo S. Johannis eliciunt ex palo, quem ex sepe extractum & fune circumligatum huc illuc ducunt, donec flammam concipiat: cui nescio quæ tribuunt.

NEC-

NEOPHYTUS. Est recens natus. 1. *Timoth.* 3. 6. usurpatur de illo, qui est νεοκατήχητος, ut loquitur Chrysostomus. Ita passim Polybio οἱ νεανίσκοι, & Livio *juvenes* sunt milites nuper conscripti. Sic accipiendum *Marc*, 14. 51. καὶ κρατοῦσιν αὐτὸν οἱ νεανίσκοι, *& prehendunt eum milites.*

Νέος ἀπόστολος. *Novus Apostolus.* Est idem, quod novus Episcopus. Ita Epiphanius in epistola operis initio præfixa, vocatur νέος ἀπόστολος: cui appellationi congruit vox ἰσαπόστολος, *æqualis Apostolo*, inter titulos frequens, quibus Græci insignioris nominis Episcopos vel Patriarchas solent ornare. Atque ita sæpe *Apostolatus* ponitur pro episcopatu. Sidonius Apollinaris libro quarto, epist. 4. ad Lupum Tricassinum Episcopum: *Præter officium, quod incomparabiliter eminenti apostolatui tuo debetur.* Et epist. 7. ad Fontelum Episcopum Vasionensem: *Ego quoque ad apostolatus tui notitiam pleniorem cum prærogativa domesticæ familiaritatis accedo.* Hinc etiam non solùm ecclesiæ Apostolorum operâ fundatæ, sed etiam quævis, quæ in fide semel ab Apostolis tradita conspirarent, dictæ sunt Apostolicæ.

NOACHUS. Hunc putant Janum ethnicorum, sic dictum ab Hebraico יין propter inventionem vini. Eundem putant esse Saturnum, sic dictum à radice סָתַר *Abscondit*, propterea quòd in mundo antediluviano natus esset, ejusque natales propter nimiam ejus longævitatem quasi absconditi haberentur. Eum sane plerique putant propter utriusque mundi notitiam bifrontem fuisse fictum.

NOLENTIA. Est actus nolentis. Occurrit hæc vox apud *Tertullianum libr.* 1. *contra Marc.* Occurrit etiam *volentia* id est, actus volentis, libentia.

NOMEN DEI. Significat 1. vocabulum, quo Deum nuncupamus, ut Jehovah. 2. ipsum Deum in essentia unum, in personis trinum, in actionibus gloriosum. Quò pertinent illæ phrases: Dei *nomen assumere in vanum*: *Baptizare in nomen Dei*: *sanctificare, glorificare, invocare, blasphemare nomen Dei.* Vide etiam paulò pòst.

NOMEN SUPRA OMNE NOMEN. *Philip.* 2. 9 est gloria summa & majestas Christi θεανθρώπου, sedentis ad dextram Patris, & dominantis in medio inimicorum suorum. Confer *Ephes.* 1. 20. Itaque intelligitur peculiare ἀξίωμα Christi Mediatoris. Aliàs nomen יהוה & similia, quæ soli Deo competunt, possunt etiam hoc titulo insigniri.

NOMEN DEI. Significat majestatem & gloriam Dei. Confer *Psalm.* 48. 11. 2. *Samuel.* 7. 23. *Esa* 42. 8. Atque hoc modo accipiendus est locus *Exod.* 23. 21. ubi de angelo fœderis, id est, de Messia dicitur, כִּי שְׁמִי בְּקִרְבּוֹ *Quia nomen meum est in ipso*, id est, majestas divina in angelo isto habitat, ita ut sit Jehova. Quod nomen soli Deo convenit. *Esaiæ* 42. 8. ita ut falsi sint Rabbini, qui hanc regulam confinxerunt: *Nomen Iehovæ omnibus creatis angelis æquivocè communicari.* Hinc dicunt, nomen יְהוָה Deo esse essentiale, angelo ve ò huic nonnisi per accidens competere. Cui malitiæ Rabbinicæ opponatur illud R. Salomonis, qui ad prædicta Mosis verba sic annotat: *Quia nomen meum ipsi commune est, dixeruntque magistri*

gistri nostri, hunc esse מטטרון *, cujus nomen idem est cum nomine Domini sui* שדי. Utraq; enim vox Arithmeticè efficit 314. Etsi autem non sit firma hæc probandi ratio, ut taceam Judæos per hujusmodi *Gematrias*, ut vocant, multas exercere præstigias: sciendum tamen est, per eas multa mysteria Messiæ, de ipsius nempe persona & officio, non incommodè à Rabbinis, etiam nihil tale animadvertentibus, exponi. Ex quo suspicari licet, hunc piæ & orthodoxæ antiquitatis Israeliticæ olim pium & ingeniosum lusum fuisse, quo se oblectarunt, fidemque suam & spem in promissum Messiam sustentarunt. Ut jam nihil dicam de eo, quòd hoc ipsum investigandi studium infinitam diligentiam legendi, scrutandi, conferendi & expendendi verbum Dei præ se ferat. Sed redeamus ad locum *Exod.* 23. Hic lucem accipit ab eo, qui est *Col.* 2. 9. ubi Paulus dicit, *in illo inhabitare omnem plenitudinem deitatis corporaliter*. Hoc nempe est Mosis illud, *Quia nomen meum est in ipso*.

Nomen blasphemiæ. In Apocalypsi *cap.* 13. dicitur, Capitibus bestiæ impositum esse *nomen blasphemiæ*: quod primò falsi Dei cultus splendidissimam speciem significat: deinde magicam quandam vim innuit, quam hæc ostentata species habet in seducendis splendoris illius admiratoribus. Quæ omnia in veteri Romano Imperio sunt evidentissima. Nam potestas ipsius fuit bifida, ita ut fuerit imperiosa tyrannide, & blasphema religione insigne: quorum illud per capita, hoc per nomen blasphemiæ significatur. Bifida illa potestas in Romulo sanguinario, & Numâ ipsius successore, & Pontifice Maximo ad vivum fuit expressa. Atque hâc ratione diabolus in Româ, tanquam Latinâ suâ Anti-Jerusalem, per hosce duos fundatores Mosis & Aharonis officia exprimere voluisse censendus est, ita ut Roma inde à suis incunabulis regni Antichristiani metropolis fuerit, adeoque Deum Maussim, id est, Basilicarum Deum, coluerit. Pertinet huc illa formula, *Pro aris & focis*, quâ Impp. nihil efficacius noverant ad animos militum incitandos.

Nominum permutatio. Judæorum plerique duo nomina habuerunt: & υἱωσις, *assumtio in filium*, filiique appellatio ex variis causis contingebat: putà vel natura, vel ex lege Mosis de semine fratri mortuo excitando: item adoptione, vel arrogatione: nec non propter affinitatem: nam gener socero filius dicebatur: adde successionem in regnum, vel privatam hæreditatem: nam etiam hi eorum filii censebantur, quibus successerant.

Non. Hebræis est לא & אין; quæ duæ voculæ hoc modo differunt. Adverbium negandi אין non negat actionem, sed rem, & cum nominibus potiùs aut vocibus nominalibus, quales sunt Benonicæ, quàm cum verbis, conjungitur: unde etiam fit, quòd in forma status constructi אין utplurimùm invenitur. Alia est ratio particulæ לא. Ejus enim significatio est negare actionem: unde cum præteritis & futuris usurpatur. Vide Kimchium in Lexico ad vocem אין.

Nonnus. Nonna. Ægyptii quondam viros & virgines pietate ac vitæ sanctimonia insignes, *Nonnos & Nonnas* appellarunt: ut ipsis Nonnus idem fuerit quod monachus; nonna, quod monacha. Quibusdam etiam peculiariter hoc nomen tributum est: ut poeta insignis appellatus fuit Nonnus, ut esset hoc nomen

men ipſi tanquam ſtimulus pietatis & ſanctitatis.

Nomocanon. Photius Patriarcha Conſtantinopolitanus ſcripſit Nomocanonem, quem Theodorus Balſamon commentario illuſtravit. Baronius & Bellarminus utrumque habent pro ſchiſmatico : quòd Romanæ eccleſiæ fuerint infenſi.

Norunt initiati. Ἴσασιν οἱ μεμυημένοι. Hæc formula Patribus eſt uſitatiſſima in mentione ſacramentorum. In unius Chryſoſtomi homiliis & aliis ſcriptis minimùm quinquaginta locis poteſt obſervari. Apud Auguſtinum in epiſtolis, enarrationibus in Pſalmos, tractatibus in Johannem, homiliis ſive ſermonibus, & aliis ſcriptis, non multò rariùs occurrit. Extat & apud alios omnes Patres ſæpiſſimè.

Notaria, ſeu notariaca expositio. Eſt methodus, quæ per notas quaſdam ſive characterum, ſive linearum, ſive punctorum, divinis Scripturis vel appoſitas, vel inſertas, verborum ac ſententiarum ac latentium ſenſuum rationem demonſtrat. Vide Sixtum Senenſem biblioth. ſanct. lib.3.c.1. & Matthiam Martinium in Lexico. lit.N. Summa hæc eſt. Omnis, quæ per notas fit expoſitio, duplici conſtat literarum varietate. Ex iis aliæ quædam literatæ dicuntur, aliæ illiteratæ. Notæ literatæ ſunt XVI. hoc ordine.

1. A. Apile.
2. Γ. Gehennon.
3. Δ. Diabolos.
4. E. Eccleſis.
5. Z. Zetema.
6. M. Mellon.
7. X. Xenion.
8. ȣ. Uranion.
9. Π. Pneuma.
10. T. Tropos.
11. Υ. Ypſilon.
12. ΥΥ. Y pſilon hypogegrammenon.
13. X. Character.
14. XX. Character diplus.
15. ᴰ. Sagur.
16. ᗤ. Pethach.

Notæ illiteratæ ſunt itidem XVI. hoc ordine.

1. Stauros.
2. Ancyra.
3. Ancyra ano.
4. Aſteriſcus.
5. Obelus.
6. Meſobelus.
7. Ceraunion.
8. Obelos ano eſtigmenos.
9. Limniſcus.
10. Sublimniſcus.
11. Antigraphus.
12. Antiſigma.
13. Cryphia.
14. Diple.
15. Diple Periſtigme.
16. Siclus Nechudoth.

Notio. Scholasticis theologis est γνώρισμα, quod divinam personam notificat. e. g. innascibilitas, generatio activa & passiva, spiratio activa & passiva. In Deo Patre sunt tres notiones: quia est ingenitus, gignit, & spirat. In Filio duę: quia gignitur & spirat. In Spiritu S. una: quia spiratur.

Novellitas. Apud Tertullianum est novitas opinatorum, hæreticorum, & omnium ἑτεροδιδασκαλούντων. Verba ipsius adversus Praxean hæc sunt: *Hanc regulam* (.fidei.) *ab initio evangelii decucurrisse, etiam ante priores quoque hæreticos, nedum ante Praxean hesternum, probabit tam ipsa posteritas omnium hæreticorum, quàm ipsa novellitas Praxeæ hesterni.*

Novissimus. Est idem quod extremus. Valde hac voce delectatur vetus interpres Bibl. *Esa.* 44. 6. & 48. 12. & *Apoc.* 1. 8. Deus dicitur primus & novissimus, h. e. ab æterno in æternum manens. Ambrosius hexaem. l. 4. sic exponit: *Verè & secundùm Deitatem est initium omnium, quia nemo ante ipsum: & finis, quia nemo ultra ipsum.* Lyra: *Ego sum primus & novissimus. Per hoc idem signatur, quod supra dicitur,* Ego *sum α & ω.* Hugo: *Ego sum primus per naturam, à quo omnia: & novissimus, ad quem omnia: vel* (.sic de Christo speciatim exponitur.) *primus, omnium excellentissimus, & tamen novissimus, i. e. omnium despectissimus.* Porrò *novissima hora* dicitur tempus N. T. inde à Christi ascensione usque ad initium mille annorum, de quibus. *Apoc.* 20.

Novitiolus. Tertulliano est catechumenus, tanquam tiro & parvus novitius in militia Christiana. Vide *lib. de pœnit.*

Novum mandatum. Christus *Ioh.* 13. 34. ait: Novum mandatum do vobis, ut diligatis invicē, sicut dilexi vos. Quæ verba non uno modo exponi solent. *Quidam* putant eo sensu dici novum, quòd in veteri lege jubeamur proximum diligere, ut nos ipsos: at nūc plus quàm nos ipsos; tanquam dilectio nova sit gradu auctior, aut exemplo novo atque singulari in Christo insinuata. *Alii* novum dici existimant, quòd Christus nunc pro regula & norma diligendi ponatur, non nos ipsi. *Alii* novum, quòd innovandum sit & instaurandum novo studio, cùm obsoleverit & in desuetudinem abierit propter glossas Pharisæorum. *Alii*, quod novo spiritu à Christo sit promulgatum. *Alii*, quòd sit mandatum suave, charum. Nam quia novitas est grata, & amorem gignit, usu venit ut novum pro charo ponatur. Itaque hoc sensu mandatum illud Christi semper debet esse novum, quod nunquam apud nos obliteretur & antiquetur: cui quoque exercēdo in singula momenta datur occasio nova; quatenus nempe Dei benignitas singulis matutinis est nova erga nos. *Thren.* 3. 23. Denique *quidam* putant appellari novum, quòd conveniat novo homini.

Nudipedes. Sunt hæretici nudis pedibus semper ambulantes. *Augustin. de hæres.*

Nudus. Est 1. vestibus non indutus *Gen.* 2. 25. 2. detectus, seu manifestus *Iob.* 26. 6. *Hebr.* 4. 13. 3. destitutus donis spiritualibus. *Ezech.* 16. *v.* 7. 22. 39. *c.* 23. 29. *Apoc.* 3. 17. *c.* 16. 15. Est itaque nuditas corporalis, vel spiritualis, & rursus illa est gloriosa, ut ante lapsum & in vita æterna: vel ignominiosa, ut post lapsum.

Numerus Hominis. Ex tritissima Hebraismi consuetudine significatur numerus ejusmodi, qui hominis captum rerumque humanarum modum non

non excedit. *Apoc.* 13. Cujus interpretationis ratio manifesta petitur ex *Apoc.* 21. 17. ubi Johannes 144. cubitorum mensuram vocat mensuram hominis, hoc est, inter homines usitatam. Sed videamus, qualis sit ille numerus hominis? Apostolus dicit esse *numerum hominis*, *& numerum ejus sexcenta sexaginta sex.* Et paulò ante ænigmatis hujus mysterium in *nomine bestiæ*, inq; *numero nominis* ejus constituit. Unde quidam sic disputant. In his verbis per nomen, quodcunque etiam fingatur, aliud nihil quàm bestiæ appellatio; per nominis verò hujus numerum, ejus arithmeticus valor intelligi potest. Jam verò nomen bestiæ est *Romana*, scilicet ecclesia: quæ vox proculdubio Hebraicè ab apostolo est considerata. Videmus enim usitatum esse Johanni, ut in hujusmodi mysteriorum designatione Hebraicis vocabulis utatur: qualia sunt *Abaddon & Armageddon cap.* 9. 11. & 16. 16. Ex his efficitur, Johannem hoc suo numero nos manu ducere ad vocem רֽוֹמִיִּית, quæ in numeris facit 666. Vox illa descendit à radice רוּם *sublimis, excelsus fuit*, atque ita superbam, arrogantem & sublimem significat. Ad quam appellationis rationem allusisse videtur Daniel *cap.* 11. 36. quando de Antichristi imperioso fastu inter alia dixit ויתרומם *Et efferet seipsum.* Quò etiam Johannes respicit *c.* 18. 7. ubi de meretrice illa Romana dicit, *Quantum seipsam extulit.* Et *cap.* 17. *v. ult.* disertis verbis ait: *Mulier, quam vidisti, est urbs illa magna, quæ regnum habet super reges.* q. d. Roma est bestia illa, cujus numerus est 666. His rationibus addantur illæ. 1. Nomina illa, Romulus, Roma, Remus, Troja, Hector, & similia, sunt Hebraica: Non itaque est absurdum, si Hebraicè resolvantur. 2. Johannes considerat Romam, quatenus ecclesiam Christi mentitur. Itaque non vox רוֹמָא, sed רוֹמִיִּית est assumenda: ut intelligatur ecclesia Romana. 3. Nomen istud רומיית est tessera catholicorum istorum, qui fideliter serviunt bestiæ. Hoc nomen qui habet, censetur in numero Christianorum: qui non habet, judicatur hæreticus. 4. Hujusmodi nomen oportet intelligere, quod simul exprimat ipsum tempus 666. quo bestia rerum in ecclesia plenè potiri cœpit. Constat autem ex historia ecclesiastica, anno Christi 760. Pipinum, & Carolum M. Romam effecisse verè Romam, id est, excelsam. Tum enim confirmata est καιζαροπαπία, Cæsareo-Papatus. 5. Numerus arcessendus est ab anno Christi 94. quo scripta est apocalypsis: vel ab excidio urbis: vel ab assumtione Domini. Quidquid autem horum fiat, semper manuducimur ad Romanam ecclesiam, quæ ab anno 700. regnum suum externum magis magisque stabilivit. 6. Triplex illa periodus: *Tempus, tempora, & dimidiū temporis*: confirmāt hanc sententiam. Nam prima periodus est ab excidio Hierosolymitano usq; ad annū Chr. 735. sive 800. secunda inde ad annum 1517. tertia inde usq; ad hunc annum. Quæ divisio periodorum nō potest alii aptare, quàm bestiæ Romanæ. Sunt, ut hoc obiter moneam, qui per hos annos non initium regni bestialis, sed ejus durationem, inde ab anno Christi 1073. sive à Papatu Gregorii VII. qui omnipotentiam Pontificiam confirmavit. 7. Fundamentum characteris hujus numeralis

lis in eo recumbit, ut per illum agnoscamus nomen bestiæ, & sicipsam bestiam, atque nobis caveamus ab illius fraudibus & impostura. Quod ipsum vox רומיית magis præstat, quàm ulla alia: in qua etiam sex literæ senarium ter repetitum ob oculos ponunt.

Nuptiæ. Sunt carnales *Gen.*29.*v.*22. vel mysticæ & cœlestes *Matth.* 22.*v.*2.3.4. 8.9.10.*c.*25.10. *Marc.*2.19. *Apoc.*19.*v.*7.9. Alii distinguunt in nuptias naturæ, gratiæ, & gloriæ.

Nuptiæ Secundæ. Eadem sunt privilegia & honoraria primarum & secundarum nuptiarum. Par enim utrobique est ratio. Non itaque audiendus est Tertullianus, qui & ante & post suam ad Montanistas transitionem, secundis nuptiis iniquior & durior fuit. Vide lib. 1. ad uxorem, ubi pro monogamia & univiratu tanquam pro aris & focis pugnat. Sed & Papistæ irregulares fecerunt nuptias secundas. Quid? Concilium Neocæsariense, quod Nicæno est antiquius, & à Leone IV. approbatum fuit, canone 2. nuptias secundas damnavit: πρεσβύτερον εἰς γάμους διγαμούντων μὴ ἑστιᾶσθαι. Quibus verbis prohibet presbyterum interesse convivio nuptiarum secundarum. At hæ nuptiæ sunt à Spiritu sancto probatæ *Rom.*7.3 1. *Cor.*7.39. Et Concilium Laodicenum cap. 1. διγαμίαν, tanquam legitimam commendat his verbis: ἐλευθέρως καὶ νομίμως δευτέροις γάμοις συναφθέντας, *liberè & legitimè secundis nuptiis conjunctos seu*, ut vulgo loquimur, *copulatos.*

Nux. Mysticè *Cant.* 6. 8. ecclesia sic appellatur: quia est Deo fructifera varietate bonorum operum. Confer. *Esa.* 5. Cæterum pro *Descendi in hortum nucum*, Junius habet, *Ad hortos putatos descenderam.* Sed Hebræi *nucem* interpretantur.

Obsignare peccata. *Dan.* 9. 24. est compendium evangelii. Nam angelus Gabriel describit ibi morbum & curandi methodum, & denique restitutionem perfectæ sanitatis, his verbis: *Ut cohibeatur transgreßio, & obsignentur peccata, & propitiatio fiat pro iniquitatis culpa, adducaturque justitia æterna.* Gradus morbi sunt tres, de quibus vide tit. Peccatum. Curandi ratio similiter tribus verbis non minùs significanter exprimitur, hoc modo. *Transgreßio cohibetur*, hoc est, inhibetur, includitur, in carcerem detruditur, captivatur; qua postrema voce utitur Micheas *c.* 7.19. Nimirum Christus per mortem suam coërcuit dominatum peccati, ejusque vim lethalem hinc à conspectu Dei exclusit, illinc à renatis prohibuit. *Rom.*6. Huc accedit, quòd per missum & donatum Spiritum sanctum cohibuit profusam peccati licentiam, & impuræ carnis aculeos retudit. Secũdo peccatorum gradui verbum חָתַם, *obsignare*, opponit. Nimirum Christus obsignavit peccata, hoc est, quasi occlusa seposuit, & à conspectu removit. Sic itaque verbum חָתַם præcedenti כָּלָא nonnihil est affine. In eo tamen differt, quòd aliquantò latiùs pateat, & mitiorem peccati curandi rationem significet. Usitatissima ipsius significatio est *obsignare*: à quâ interdum transfertur, ut significet, *claudere*, *ultimam manum imponere, & sic clausum aliquò reponere*, ut quasi à conspectu removeatur, nec eidem ampliùs pateat. Hoc itaque vult dicere angelus. Peccatum, quod hactenus semper coram Dei conspectu

spectu expositum fuit, per Messiam, Angelum illum secreti sigilli, annulo Davidis obsignabitur, reponetur, & à conspectu removebitur, ita ut quasi captivatum projiciatur in profundum maris, coopertum tegatur, & post tergum Dei projiciatur. *Mich.* 7. 19. *Psal.* 32. 1. 2. *&* 51. 11. *Esa.* 38. 17. Videtur autem propheta in hujus verbi usurpatione respicere ad id, quod *cap.* 7. 10. de processu supremi judicii dixerat, *Libros fuisse apertos*, id est, omnia tum in apricum fuisse producta, & publicæ recognitioni subjecta. Alii vertunt, *Ut finem accipiat iniquitas*, hoc est, ut culpa consummetur & quasi absumatur. *Thren.* 4. 22. Quæ sententia non malè convenit officio Messiæ. Porrò extra Chrstum transgressio nostra consignatur in tabulis Dei, ut Job fatetur *cap.* 14. 17. id quod conscientiam non potest non angere. Sequitur jam tertius medicinæ gradus, לְכַפֵּר *Ut expietur iniquitas.* Angelus verbum *expiare* ex media Mosis lege, ex medio tabernaculi fœderis, téplique, quod ei successit, omniumque Mosaicarum ceremoniarum apparatu accersivit: ubi de fructu & effectu sacrificiorum, oblationum, purgationum, & reliquarum ceremoniarum frequenter usurpatur, qui nempe erat placatio Dei, averruncatio iræ ejus, & ipsius cum peccatore, qui offert, reconciliatio. Hinc celebratissimum illud propitiatorium templi, quod Græci ἱλαστήριον vocant, & in quo verus & genuinus typus Christi ejusdemq; officii repræsentabatur, כַּפֹּרֶת dictum est. Quæ omnia si attendantur, apparebit, per verbum *expiandi* hoc loco usurpatum, universam illam medendi vim, quæ olim diversarum victimarum ceremoniis contra diversa peccata typicè adscripta fuit; quidquid etiam per sacerdotis magni annuum ingressum in sanctum sanctorum, & reliquas officii ejus partes, quæ quidem huc spectant, præfiguratum fuit, uni Christo ejusdemque in arca crucis sacrificio ab angelo adscribi, per quod nimirum vera & realis propitiatio in conspectu Dei efficaciter & finaliter fuit perfecta. Hâc demum ratione morbi nostri cura & medela legitimè perficitur, dum per sacrificium Christi omne malum à nobis averruncatur, & omne bonum in nos confertur. Unde etiam Daniel suam precationem in hoc fundamento extruit, dum à v. 1. hujus capitis recenset mala culpæ & pœnæ tum sua, tum populi, & à Deo petit beneficium remissionis peccatorum, defensionem populi, exauditionem precum, & similia. Hactenus est curatio morbi: sequitur sanitatis restitutio in illis verbis: *Ut adducatur justitia seculorum sive æterna.* Vide tit. JUSTITIA ÆTERNA sive SECULORUM.

OBSIGNATIO HOMINUM ELECTORUM. Obsignatio ista nihil est aliud, quã actus divinæ providentiæ, quo Deus electorum securitati ita prospicit, ut ad instar pastoris ovium, dum suum pecus cum alieno grege commiscet, singulos signari curet. Confer *Apoc.* 7. cum *Ezech.* 9. Utrobique enim paterna cura & solicitudo Dei super electis suis describitur: quibus nimirum inter pœnarum & scandalorum pericula certum veluti signum & characterem imprimit, ut angeli, dispensatores plagarum, ab illis abstineant. Fructum autem istius obsignationis præcipuum ecclesia percepit sub Antichristi magni tyrannide: ut constat ex *Apoc.* 14. Porrò numerus obsignatorũ est 144000. cujus hæc videtur esse ratio. Centum

quadraginta quatuor ſunt numerus quadratus, cujus radix eſt duodecim. Per hanc radicem fundamentum omnibus apoſtolis commune, cui nimirum hæc obſignatorum eccleſia ſuperſtructa eſt, indicatur. Confer *Apoc.* 21. 16. ubi introducitur forma urbis ſanctæ quadrata, & ambitus ejus dicitur fuiſſe 144. cubitorum, & murum ejus habere duodecim portas, notatas totidem nominibus filiorum Iſrael, habere denique duodecim fundamenta, quibus duodecim apoſtolorum nomina ſint inſcripta. Ubi duodecim tribus Iſrael, quemadmodum etiam *cap.* 14. myſticè pro tota eccleſia catholica ponuntur. Quod ipſum etiam fit apud Jeremiam *cap.* 31. ubi de eccleſia gentium acturus, verſu 1. capitis manifeſtò indicat, eam omnium Iſraelis tribuum nomine cenſeri. Nec typus iſte ad rem parum eſt accommodatus. Sicut enim tribus illæ olim diſtinctis regionum terminis à ſe invicem ſecretæ erant, quarum ſingulæ etiam ſuis quibuſdam externis & peculiaribus prærogativis gaudebant, interim tamen omnes ſub filiorum Iſraelis nomine cenſebantur: ita hic electus mundi flos; etſi locis à ſe invicem diſtinguitur, pro temporis etiam locique ratione diverſis circa externum religionis cultum inſtitutis utitur, vi tamen divinitùs factæ obſignationis, inque fidei, quam Agno inviolatam præſtant, unitate, & charitatis mutuæ vinculo myſticæ Iſraelis domus viva mẽbra exiſtunt.

Obsignatio visionis et Prophetæ. Hæc phraſis *Dan.* 9. 24. ſignificatur finis, effectum & approbatio prophetiarum V. T. de Chriſto ſignificatur. Nam verbum *obſignare* præter conſignationem ſignificat etiam finem & effectum, qui eſt, *Ultimam manum imponere, ad finem perducere, concludere*: quo ſenſu Judæi numerant annos ab obſignato, id eſt, completo ſive abſoluto, Miſchnah: item ab obſignatione Talmud. Eſtque hæc phraſis non parum elegans, in qua etiam publicæ approbationis ſignificatio ſimul includitur, ut conſtat ex *Iohan.* 6. 27. Itaque obſignatio viſionis facta per mortem Chriſti ſignificat, veterem prophetiam, Chriſto exhibito & paſſo, finem ſuum cõſecutam eſſe. Chriſtus enim, ſcopus prophetiarum V. T. unicus, realiter implevit, obſignavit & ratificavit omnia, quæ à prophetis fuerunt prædicta de noſtri redemtione per ipſum. *Act.* 10. 43. *Ioh.* 17. 4. *c.* 19. 30. Nihil enim mancum aut imperfectum obſignatur. Hæc verò non ſic accipienda ſunt, quaſi in N. T. nullum ampliùs prophetiæ donum, nulluſque propheta ſit futurus: ſed ratione principalis objecti veteris prophetiæ, quod erat Chriſtus, cujus perſona & officium in N. T. non prædici, ſed prædicari debet. Cæterùm Judæi in Seder Olam ſic annotant: *Anno 52. regni Perſarum & Medorum mortui ſunt Haggæus, Zacharias & Malachias. Et illo tempore receßit prophetia ab Iſraele. Fuit autem hic annus à mundo condito* 3404. Sed errant homines cæci. Nam obſignatio prophetiæ facta eſt anno M. 3418. quo ad finem decurrit periodus LXX. ſeptimanarum Danielis. Deſinant itaque Judæi expectare Meſſiam, & audiant Moſen & prophetas à Deo obſignatos. Colophonis loco contra Papiſtas notetur perfectio canonis Biblici, ex hac phraſi. Nam ſi canon V. T. obſignatus eſt à Deo, utique perfectus eſt: quia, ut ante diximus, manca non obſignantur.

Obla-

OBLATA. Est adjectivum; quod substantivè ponitur nunc pro hostiæ oblatione, nunc pro ipsa hostia oblata. Othmarus cap. 3. *Panis rotula, quæ vulgò oblatæ dicuntur.*

OBLATOR. Est qui aliquid offert in festo. Græcis σωτελεστής. Quanquam etiam hæc vox aliter accipitur, ut in illo Gregorii: Christus est ὁ ποιητὴς τῶν αἰώνων, ὁ σωτελεστής, καὶ μεταποιητής, i.e. *qui creavit secula, & illa consummabit, & instaurabit.*

OBLATIO. Vetus ecclesia cœnam Domini appellat θυσίαν, *sacrificium*, propter memoriam sacrificii, semel in cruce facti & oblati: & eandem ob causam, προσένεξιν, ἀναφορὰν, προσφορὰν, i.e. oblationem.

ODIBILIS. Est odio dignus, invisus, odiosus. Sæpè occurrit apud veterem Bibliorum interpretem. *Rom.* 1.30. *Tit* 3.3. *Apoc.* 18. *v.* 2.4. &c. Usurpat & Lampridius in Heliogabalo.

ODIO. Est voluntate aversor, inimicè sum affectus. Occurrit aliquoties apud vet. Bibl. interpr. *Luc.* 16.13. *Apoc.* 17. 16. & Vide Concordantias Latinas. Tertullianus quoque in apol. usurpat hanc vocem: *Oditur ergo in hominibus innocuis etiam nomen innocuum. At enim secta oditur in nomine utique sui authoris.* Verba ibi facit de nomine Christianorum.

ODOR VITÆ AD VITAM, ET MORTIS AD MORTEM. Est elogium evangelii, adeoque etiam sacramentorum: Sic de Eucharistia canit Vidas:

Vitæ piis est, atque eadem mors sontibus esca:
Uno eodemq; salus fluit, atque è fonte venenum.

Thomas Aquinas in prosa de cœna Domini sic modulatur hac de re:

Sumunt boni, sumunt mali,
Sorte tamen inæquali
Vitæ, vel interitus.
Mors est malis, vita bonis.
Vide paris sumtionis.
Quàm sit dispar exitus.

Porrò in Scripturis est odor. 1. naturalis *Genes.* 27.27. 2. artificialis & legalis *Genes.* 8.21. 3. spiritualis sive mysticus. *Cant.* 1.4. & 7.

OECONOMUS MAGNUS. Οἰκονόμος μέγας. Erat ordinis ecclesiastici munus. Administrabat omnia ecclesiastica prædia & illorum reditus. Erat primus cleri post patriarcham.

OECONOMI MYSTERIORUM DEI. Hoc elogio insigniuntur apostoli, adeoque & illorum successores. 1. *Cor.* 4. 1. Dicuntur œconomi, h.e. dispensatores, qui ordine accurato ex mandato & præscripto domini sui debent bona concredita distribuere iis, quibus par est. Per mysteria intelliguntur verbum, sacramenta, & tota doctrina Christiana, seu, ut cum Patribus loquar, τὰ ἐκφορα & τὰ ἀπόρρητα. Nam Patres universam doctrinam Christianam distinguebant in τὰ ἐκφορα, i.e. ea, quæ enunciari apud omnes poterant, & τὰ ἀπόρρητα, id est, arcana temerè non vulganda, quòd videl. gentiles & ignari ea deriderent.

OECONOMIA. Hæc vox apud Patres est πολύσημος. Et primò quidem *Tertulliano lib. contra Praxean c.* 2. & 8. œconomia est ratio deitatis in se, & operũ internorũ inter personas ejus. Verba ejus loco priori ita sonant: Custodiatur οἰκονομίας sacramentum,

mentum, quæ unitatem in Trinitate disponit. Locus posterior ita habet: Trinitas per consertos & connexos gradus à Patre decurrens, & monarchię nihil obstrepit, & *οἰκονομίας* statum protegit. *Deinde* œconomia significat voluntariā & gratiosam dispensationem, qua Filius Dei dignatus est seipsum demittere nostri causa ad assumendam naturam humanam, & perficiendum redemtionis opus. Unde *Athanasius tomo 2. epistola ad Iovinianum Imp.* ait, quod λόγος sit factus *οἰκονομικῶς παιδίον*: & *in psalmi 67. verba* dicit, quòd *τὴν οἰκείαν οἰκονομικῶς συνεσκίασε δόξαν*, id est, propriam gloriam dispensativè umbrà quodammodo obscurarit. *Idem dialogo 4. de Trinitate*: *Οὐ γὰρ φύσει θεότητος ὑπὲρ ἡμῶν ἀπέθανεν, ἀλλ᾽ ἑνώσεως οἰκονομίᾳ*, hoc est, Non enim naturà deitatis pro nobis mortuus est, sed unionis dispensatione. *Ibidem*: *ὁ ταπεινώσας ἑαυτὸν μέχρι θανάτου, καὶ ἀποθανὼν θεός ἐστιν, οὐ φύσει θεότητος ἀποθνήσκων, ἀλλ᾽ ἑνώσεως οἰκονομίᾳ*, id est, Qui humiliavit se usque ad mortem, & qui mortuus est, Deus est, nō naturà deitatis moriens, sed unionis œconomià. *Idem adversus eos, qui damno afficiunt genus nostrum eo quòd negant Servatorem ex natura nostra sumsisse primitias, tom. 2.* Necessarium est, maximeque necessarium, credere Scripturis sanctis, confiteri ex genere nostro primitias, celebrare singularem assumentis in genus humanum amorem, obstupescere magnæ œconomię atque dispositionis miraculum. *Iustinus Martyr in expositione fidei*: Ad hunc modum œconomiam inter nos provinciamque suam obivit implevitque. Pertinet huc illa phrasis: *ἔνσαρκος οἰκονομία*, item *σωτήριος οἰκονομία*, id est, incarnatio sive nativitas Domini nostri JESU Christi. *Tertiò* Eusebius lib. 1. de præpar. evangelica, & Gregorius Nazianzenus orat. 2. de Filio, duplicem faciunt Christi œconomiam; alteram, quæ ad providentiam refertur illam, qua Deus ante humanitatem assumtam saluti nostræ consuluit; alteram, quæ earum est rerum, quas nostrà causa gessit, ac passus est in corpore. Plerique Patres Græci œconomiæ nomine hanc potissimum de incarnatione atque humanitate Christi tractationem à se susceptam appellarunt. *Quartò* œconomia significat dispensationē mysteriorum DEI in prædicatione verbi & administratione sacramentorum: ut cùm Chrysostomus dicit, DEUM vocare homines *οἰκονομικῶς*, id est, per ministros, qui promiscuè offerunt gratiam bonis & malis. *Quintò* œconomia tribuitur angelis bonis, quando apparent in corporibus. Ita dicimus angelos assumsisse corpora *οἰκονομικῶς*: item corpora ab ipsis assumta esse *κατ᾽ οἰκονομίαν*. Cæterùm œconomia, quæ tribuitur CHRISTO, est alia exinanitionis, alia exaltationis. Ita status exinanitionis Christi est tota illa œconomia, qua Christus forma servi accepta Patri fuit obediens ad mortem. Similiter status exaltationis Christi est tota illa œconomia, qua Christus resurrexit è mortuis, ascendit in cœlos, sedet ad dextram Patris, & inde venturus est ad judicandum vivos & mortuos.

OECUMENICUS. Est universalis, pertinens ad orbem terrarum, vel ad orbem Romano Imperio subjectum, vel ad orbem Christiano nomini addictum. Sic *Luc. 2.* *οἰκουμένη* intelligitur

de orbe

de orbe Romani imperii. Et cùm dicimus Concilia œcumenica, intelligimus orbem Christianitatis.

OFFERTORIUM. *Isidorus libr. 6. c. 19.* ait: Fertum dicitur oblatio, quæ alteri offertur & sacrificatur à Pontificibus, quod offertorium nominatur, quasi propter fertum. Oblatio vocatur, quia offertur. *Vetus vocabularium:* Offertorium oblatio, quasi propter fertum, quia primo loco fit oblatio, & postea sacrificium. Et offertorium dicitur locus, ubi reponuntur, vel ubi fiunt oblationes.

OFFICIA. Ipsi officiales interdum appellantur officia: ut apud Tertullianum, *Nos divina officia angelos credimus.*

OLEUM. Est corporale, vel spirituale. De illo est *Genes. 27. v. 28. Exod. 25. 6. & alibi:* de hoc *Psalm. 45. 8. & 89. 21. Cant. 1. 3. Esa. 10. 27. Heb. 1. 9.* Est autem oleum spirituale seu mysticum, multiplex Spiritus sancti donum, quod instar olei fragrantia sua afficit & reficit animam, & vi sua lenit atque sanat vulnera animæ. Hinc est, quòd Evangelium confertur cum oleo, ut lex cum vino.

OMNIPOTENS. Παντοδύναμος, *omnipotens*, est solus Deus. Hic enim ut est immensæ essentiæ: ita quoque immensæ & interminatæ est potentiæ:

Cui quidquid natura negat præstare potestas.

Eleganter *Damascenus*: Πάντα ὅσα θέλει θεὸς, δύναται, *Omnia quæ vult Deus, potest.* Hinc rectè *Iun. Parisetus* ita canit:

—— *divina potentia nullo*
Et præscripta modo, nullique obnoxia metæ,
Quin valeat, quodcunque libet præstare—

Et *Marius Victor*:

Mens fuge nostra procul, plus sit tibi credere semper
Posse Deum, quidquid fieri non posse putatur.

Idem:

Numinis omnipotens quid enim non dextera possit?

Quò etiam pertinet illud, quòd omnipotens

Positasque leges texere, ac retexere queat.

Vetus Vocabularium eleganter ait: *Deus potest, quidquid poss: est potentia.* Porò etsi omnipotentia gradus non habet: Deum tamen rectè omnipotentissimum dixit Augustinus lib. 21. de civit. Dei cap. 9. ubi ait, multa fieri *per miraculum omnipotentissimi creatoris.* Hîc omnipotentissimum vocat, cui nihil deest omnipotentiæ, seu qui prorsus est omnipotẽs. Ita, inquam, ut sit *omnipotens faciendo quod vult, non patiendo quod non vult*, ut ait idem lib. 5. de civit. Dei c. 10. Itaq; cavẽdum ne doctrina hac abutamur. Ideo sæpe Patres ajunt, omnipotentiam esse asylum hæreticorum, quò se recipiunt, ubi rationib. fuerint victi. *Greg. Naz. orat.* 51. Quã in sententiã Humbertus Silvæ candidæ Episcopus disp. adversus Græcos eleganter ait: *Hi non invenientes, quonam Scripturarum funiculo scapham assertionis suæ pertrahant ad alicujus stabilitatis littus, fluctuantes pertrahuntur in illud omnipotentiæ pelagus.*

OMNES. Hæc vox significat vel singula generum, id est, omnes & singulos: vel genera singulorum, id est omnis generis, ordinis, conditionis, sexus, ætatis, nationis &c. Quò pertinet distinctio præpositionis apud Aristotelem, quòd illa sit vel simpliciter καθ' ὅλον, ut omnis homo est animal: vel καθ' ὅλον ὡς μὴ καθ' ὅλε, ut, Omnis Judæa exivit ad Christum. Pertinet huc illud *Augustini epist. 107. ad Vitalem*: Quod dictum est, *Deus vult omnes homines salvos fieri*, cùm tam multos nolit salvos fieri, ideo dictum est, quia omnes, qui sal-

vi fiunt, nisi ipso volentē, non fiunt. Itaque in hujusmodi enuntiatis erit vel ellipsis, hoc modo, Deus vult omnes homines (*scil. electos.*) salvos fieri: vel ἀναδίπλωσις, hoc pacto, Deus vult omnes homines salvos fieri, qui salvi fiunt: vel denique distributio in genera singulorum, hoc modo, Deus vult omnis generis & ordinis homines salvos fieri. Porrò vox omnis notat quãtitatem discretam *Gen.* 1. 21. vel continuam, & ita idem est quod tot⁹, *Gen.* 2. *v.* 11. *Marc.* 1. *v.* 28. 33. 39. Sumitur itē vel propriè, ut *Gen.* 1. *v.* 25. 26. 29. vel hyperbolicè *Gen.* 6. *v.* 5. 12. 17.

Omophorium. ὠμοφόριον. Latinis dicitur humerale. Est vestis Patriarcharũ & Episcoporum. Illud Patriarcharum, stolam Aharonis referebat: hoc Episcoporum, habebat figuram agni, & repræsentabat oviculam perditam, quæ in humerum suscepta reportabatur ad gregē; intertextis crucibus, quæ Christum in ærumnis ferendis imitandum esse admonebat.

Ὁμοούσιος. Basilius, Gregorius Nazianzenus, & alii veteres Patres, voces τριὰς & ὁμοούσιος, etsi clarissimis Scripturarum testimoniis contentas, & Concilii Niceni authoritate firmatas, per aliquod tempus apud infirmos non usurpabant: φειδόμενοι, inquit *Basilius in libello de fide*, ὀνομάτων καὶ ῥημάτων ἐκείνων, ἃ λέξεσιν αὐταῖς οὐκ ἐμφέρεται τῇ θείᾳ γραφῇ, *parcentes uti nominibus illis, quæ non extant in divinâ Scripturâ ipsis dictionibus.* Porrò ὁμοούσιος est *consubstantialis, coessentialis*: ut Christus est nobis ὁμοούσιος secundùm humanam naturam: & Patri est ὁμοούσιος secundùm divinam naturam, τῇ φύσει καὶ οὐσίᾳ idem Deus, τῇ ἰδιότητι verò καὶ ὑποστάσει Filius. Ὁμοιούσιος est similis essentiæ; non verò ejusdem.

Onus. Propriè est quidquid hominum humeris, vel jumentorum dorso, vel quovis vehiculo ferendum imponitur. *Exod.* 23. 5. 1. *Regum* 5. 15. Impropriè est 1. negotium quodcunque difficile & molestum *Exod.* 1. 11. 2. quidquid incommodum est proximo 2. *Corinth.* 2. 5. *cap.* 11. 9. 1. *Thessal.* 7. 2. 3. id quod gravat conscientiam *Matth.* 23. 4. *Luc.* 11. 46. *Actorum* 15. 26. 4. infirmitas propria & alterius. *Galat.* 6. *vers.* 2. 5. 5. prophetia, visio, & denuntiatio severi judicii Dei, tum extra, tum intra ecclesiam *Esa.* 13. 1. & 14. 28. *sic cap.* 15. 17. 19. 21. &c. 6. doctrina & vita Christi. *Matth.* 11. 30.

Opinio. Apud Danielem *cap.* 12. 4. præsentis seculi conditio ad vivum depingitur, his verbis: *Circa tempus finis multi varia cõminiscentur, & multiplicabitur scientia.* In Hebraico canone occurrit vox יְשֹׁטְטוּ, quæ significat extendere, vagari, ita ut מְשׁוֹטְטִים sint vagabundi & latè excurrentes Opinatores. Significat itaque propheta ultimis hisce temporibus multos defecturos à regno Antichristi, verùm ita, ut defectionem istam secutura sit scientia varia, cum qua opinionum varietas conjuncta multos à serio pietatis affectu sit abreptura. Experientia sanè hoc ipsum confirmat. Nam inde ab anno 1500. scientia crevit, pietas decrevit.

Opinatissimus. Occurrit hæc vox in vulg. vers. *Judith.* 2. 13. civitatem *opinatißimam* Melothum, id est, celeberrimam.

Opus operatum. Est opus, qua tale, externo ritu peractum. Huic opponitur *opus operantis.*

Opor-

Oportet. Hoc verbum inter alia significat firmitatem decreti Dei, & officiorum pietatis atque honestatis necessitatē. De priori usu vide *Apocal.1. vers.1.* ubi Apostolus ait sibi revelari, quæ oportet fieri citò. Hîc per verbum *Oportet* notanter designat judiciorum & beneficiorum Dei æternum & irreprehensibile decretum. Similiter accipitur hæc vox *Actorum* 14.10. De posteriori usu vide *Matth.* 23. *vers.*23.

Ὀπτασία. Est apparitio bonorum angelorum, quæ fit vigilantibus. *Luca* 24.23.

Ὅραμα. Est apparitio bonorum angelorum, quæ fit dormientibus, vel in ecstasin raptis. *Act.*10.*v.*17.19.*c.* 11.5. Quāquam ὅραμα etiam usurpatur pro ὀπτασία. *Matth.*17.9. *Act.*10.*v.*3.4.

Ore gladii, & gladio oris. Hac formula indicatur discrimen inter gladium secularem & spiritualem. Nam ore gladii cadunt homines in bello & quovis tumultu: gladio oris conficiuntur hostes Dei & ecclesiæ. De ore gladii vide *Exod.* 17.13. *Luc.*21.24. De gladio oris *Apocal.* 2.16.

Oraculum. In vulg. versione significat 1. propitiatorium, ex quo Deus responsa dabat Mosi & summo sacerdoti. 2. ipsum adytum, seu sanctum sanctorum. *Exod.*25.*vers.*18.20.*cap.*37.6.*c.*40.20. *Levit.*16.*v.*2.13.15. 1.*Reg.*6.*v.*5.16.17.19.20. 21,22.23.31.*c.*7.49.*c.*8.*v.*6.8.

Oratorium. Est locus, in quo Deus oratur. *Judith.*9.1.

Oriens. Propriè est plaga cœli ad solis ortum. *Genes.*11.2.*cap.*12. 8. Mysticè est Christus, sol ille justitiæ, semper oriens, & nunquam occidens. *Zach.*3,8.*ca.*6.12. *Luc.*1.78.

Originalis. In vulg. vers. 2. *Petr.* 2. 4. originalis mundus est idem quod priscus.

Ortus. Est ab orior. *Genes.*5.10. Et interdum ponitur pro *hortus*. *Iob.* 8.16. in vulg. vers.

Orthodoxus. Sic dicitur, qui est ὀρθὸς δόξῃ, *rectus sententia*. Peculiariter, qui rectè sentit de Christiana religione. *L.* 2. *Cod. de summâ Trinitate*, is dicitur esse orthodoxus, qui est Nicenæ adsertor fidei, & catholicæ religionis cultor, nempe qui omnipotentem Deum & Christum Filium Dei uno nomine confitetur, Deum de Deo, lumen de lumine. Et quia orthodoxi insistunt & adhærent traditioni & confessioni sanctæ Dei ecclesiæ catholicæ, ideo iidem vocantur catholici, eoque nomine ab hæreticis discernuntur *l.*1. *Cod. de summâ Trinitate*: ubi Imperatores Gratianus, Valentinianus, & Theodosius ajunt: Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos verò dementes, vesanosque judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere. Porrò *orthodoxia* est recta sententia, cui opponitur *cacodoxia*. Unde *Eutropius libro vigesimo secundo, rer. Roman.* ait: Cosmas à Monotheletarum cacodoxiâ rediit ad orthodoxiam.

Osculum. Est corporale *Genes.*27.26. vel spirituale & mysticum *Cant.*1, 1. Rursus osculum corporale est vel purum & licitum, vel impurum: item est sincerum *Genes.* 29.12. vel hypocriticum *Luc.* 22.48. Porrò osculum sanctum *Roman.* 16.16. 1. *Corinth.* 6. 20. 2. *Corinth.* 13.12. 1. *Thessal.* 5.25. 1. *Petr.* 5.14. est, quod proficiscitur ab animo sanctæ charitatis pleno.

OSTENTUI HABERE. Est ignominiæ exponere *Hebr.6.6.*

Οὐσία. *Essentia.* Hæc est increata, vel creata. Illa Scholasticis dicitur essentiãs, hæc essentiata. Hîc *Origenes*, sæpe magis philosophus Platonicus quàm theologus, *in sexto* adversus Celsum disputat, An Deus habeat οὐσίαν, *essentiam*, velut Casaubonus vertit, *substantiam*? ἀλλ' οὐδὲ οὐσίας μετέχει ὁ θεός. μετέχεται γὰρ μᾶλλον ἢ μετέχει, *Sed neque substantia particeps est Deus: magis enim participatur* (. substantia.) *quàm participat.* Et post pauca subdit quærendum esse, num sit potiùs Deus nominandus οὐσία οὐσιῶν, ἰδέα ἰδεῶν, *substantia substantiarũ, & species specierũ.* Propterea Dionys. Areopagitæ libro de divinis nominibus dicitur Deus, nõ simpliciter οὐσία, sed elegãtissimè ὑπερούσιος οὐσία, *substantia omnem substantiam transcendens.* In hymno tertio Synesii leges hos versiculos: προαιώνιε νοῦ κόσμου ῥίζα, *quæ ante substantiam es mens, mundi radix*: & φύσις ἄφθεγκτος τὸ προούσιον ὄν, *natura ineffabilis, id quod ante omnem substantiam existit.* Contrà apud Irenæum Deus dicitur, sed ab homine hæretico, ἀνούσιος, *insubstantivus.* Sed de ea quæstione, an dicendus sit Deus habere substantiam, legatur Gregorius Nazianzenus oratione 49. quanquam vel sola vox Concilii Niceni authoritate firmata, ὁμοούσιος, *consubstantialis*, ei quæstioni finiendæ satis esse sobriis hominibus debebat. Porrò Scholastici distinguunt inter entitatem & essentiam, ita ut entitas dicatur generaliore sensu. Ita relationes tres divinas personales tres quidem entitates relativas, at non tres essentias relativas vocant.

OVIS. Propriè est bestia nota *Gen.4.2.* impropriè & mysticè significat fideles *Ps.79.13. Ioh.10.* Sic pastor ovium, & ovile est duplex. *Ioh.10 v.1.6.*

PÆDOBAPTISMUS. Hæc vox significat puerorum baptismum, qui eodem jure nititur, quo senum. Christus enim, quando baptismum instituit, Apostolos suos jussit, ut omnes gentes baptizent, ita videlicet, ut nec sexus, nec ætatis discrimen ullum eis præscripserit. Sicuti ergo decrepitus senex pro sua decrepita senecta ex verbis Christi nullum ad jus baptismi speciale privilegium allegare potest, sed generali mandato Christi acquiescere necesse habet: ita infantili ætati ex iisdem nullum impedimentum potest objici, cùm illa sub generali gentium appellatione, si non meliore, saltem non deteriore jure, quàm senilis ætas comprehendatur. Huc accedit praxis Apostolorum, qui multoties integras familias baptizarunt: à quibus infantes nullo jure vel colore possunt excludi.

PACIFICA. Sunt sacrificia eucharistica, hostiæ seu victimæ pacificæ. *Exod.20. 24.c.24.5. Levit.3.4.6.7.8.9.17.19.22.23. Num.7.*

PACIFICUS. Est nomen Salomonis apud vet. interpr. *1. Chron. 22.9. Cant, 8.v. 11.12.*

PAEDAGOGIA. Sic appellatur œconomia sive administratio ecclesiæ Judaicæ, quatenus per varias cæremonias, tanquam elementa & rudimenta, veteres ducebantur ad Christum. *Galat. 3. vers. 24.25.*

PAGANUS. Propriè est ad pagum pertinens, in pago habitans. Tales homines agriculturæ & rei pecuariæ dediti, non solent militare. Hinc per metaphoram ethnici & infideles dicuntur pagani, quia sub Christi vexillo non militant; seu qui arma

arma militiæ Christianæ non induerunt. *Orosius* paganos ex eo vult dici, quòd à civitate Dei alieni in locorum agrestium pagis oberrent. *Quidam* denique hãc appellationem sub Christianis Imperatoribus ortam esse volunt, cùm, idolorum templis clausis & ecclesiis Christo conditis, in pagis tantùm reliqui essent, qui ethnicis superstitionibus tenaciùs adhærescerent.

Palathæ. Sunt fructus æstivi, ut annotat author Concord. Larin. Occurrit 2. *Sam*. 16. *v*. 1. 2. 1. *Chr*. 12. 40.

Palæstina. Fuit regio maritima ad Occidentem Judææ. Quinque fuerunt ipsius metropoles: Gaza, Asdodus, Ascalon, Acron, & Gatha. *Ios*. 13. 3. Et ita quidem strictè sumitur hæc vox. Sed generaliùs dici cœpit Palæstina illa terræ sanctæ pars, quæ Idumæam, Samariam, & Galilæam continet.

Palmoni. Fictitium est vocabulum, Hebraicè פַּלְמוֹנִי: quod Rabbini ex vocibus פֶּלֶא, *Miraculum*, sive *Abscõditum quid*, & אַלְמוֹן, quod R. Salomon *ἀνώνυμον* interpretatur, compositum opinantur. Qua ratione vox hæc idem significat, ac si Germanicè dicas, der wunderliche / der seltzame / aut potiùs, der ungenante und wolbekante. Hac voce Christus nominatur *Dan*. 8. Ut per hoc nomen innuatur. Christum prodigia illa, quæ ibi Danieli revelantur, quasi abominari, & nolle, ut nomen suum geminum de illis usurpetur.

Palmes. Est naturalis *Num*. 13. 24. *Ioh*. 15. *v*. 4. 6. vel spiritualis & mysticus. *Ps* 80. 12. *Ezechiel*. 17. *vers*. 6. 7. 9. *cap*. 19. 11. *Iohan*. 15. *v*. 2. 5.

Palmus. Est nomen mensuræ. *Exod*. 28. 16. De Deo dicitur *Esa*. 40. 12. quòd cœlos palmo ponderaverit.

Panificus. Panifica. Est pistor & pistrix 1. *Sam*. 8. 13.

Panis afflictionis. Dicitur etiam panis oppressionis, tribulationis, lachrymarum. *Deut*. 16. 3. 1. *Reg*. 22. 27. *Psalm*. 80. 6. & 127. 2.

Panis mendacii. Dicitur etiam panis impietatis. Et est panis malis artibus acquisitus. *Prov*. 4. 17. c 23. 3.

Panis de coelo. Sic appellatur manna *Exod*. 16. *v*. 4. 8. 12. 15. 32.

Panis. Propriè significat panem cibarium coctum, qui inciditur & manducatur: ut quando distinctè nominantur panis & aqua 3 *Reg*. 13. 19. panis & vinum *Gen*. 14 13. *Psal*. 104. 15. Deinde per synecdochen pro omnis generis cibis ponitur, ut 4. *Reg*. 6. 32. item pro toto apparatu cõvivii in esu & potu, *Luc*. 14. 1. *Exod*. 18. 12. Hinc est, quòd radix juniperorum, lac caprarum: cibus jumentorum, & fructus arborum appellantur panis *Proverb*. 27. 27. *Psal*. 147 9 *Ier*. 11. 19. Quid? Nomine panis intelligantur omnia, quæ ad sustentationem hujus vitæ pertinent ac necessaria sunt: ut in oratione Dominica. Nam quia Christus non solùm spiritualia, sed etiam temporalia in divinissimo illo compendio à Deo petere nos docuit, necesse est, ut nomine panis intelligamus omnia corporalia, quæ ad hanc vitam commodè transigendam requirũtur: ut cùm Isaac precatur pro uxore *Gen*. 25. 21. centurio pro servo *Matth*. 8. 6. Salomon pro bona aëris temperie, fœcunditate terræ &c. 3. *Reg*. 8. 36. Itaque vocabulum panis in oratione Dominica meritò extenditur ad omnia illa, quæ in politia, œconomia &c. ad necessariam, tranquillam, & honestam vitæ hujus rationem

requiruntur. Cæterùm varia sunt panis cibarii genera, & quidem hoc modo.

1. *Panis gregarius* est, qui ex materia crassiore, solet dari servis aliisque tenuioris conditionis.

2. *Panis fermentarius*, seu fermentatus, est, qui sale & fermento insperso conficitur.

3. *Panis azymus* est, qui caret fermento. Hunc Tacitus ἐξαιρέτως vocat *panem Iudaicum*.

4. *Panis furnaceus* est, qui in furno coquitur. Dicitur etiam *testaceus*.

5. *Panis subcineritius* est, qui coquitur sub cineribus. Hic in usu fuit Hebræis. *Gen.* 18.6. *Exod.* 12.39. *Iud.* 7.13. 1. *Reg.* 17.13. *Hos.* 7.8.

6. Panis ἀποπυρίας est, qui coquitur supra carbones.

8. Panis δίπυρος, sive διπυρίτης, est ille, qui vulgo dicitur *bis coctus & nauticus*. Spartiano appellatur buccellatus. Græci vocant ἄρτον ξηρὸν, quo videntur usi Christiani in suis *Xerophagiis*, ut nominat Tertullianns. Dicitur & παξαμᾶς & παξαμάδιον; quam vocem Suidas putat esse Latinam: Δίπυρος, inquit, ἄρτος, ὁ παρὰ Ῥωμαίοις λεγόμενος παξαμᾶς.

8. Panis αὐτόπυρος, αὐτοπυρίτης, ξηροπυρίτης, & πύρινος, est, qui ex tritico paratur. Nam πυρὸς est triticum. Dicitur etiam syncomisticus, quòd omnes partes tritici recipiat.

9. *Panis similagineus* est, qui fit ex simila.

10. *Panis siligineus* est, qui ex purissimâ farinę parte paratur. Hinc Plin. li. 18.8. *Siliginem dixeris propriè delicias tritici.* Et ca. 11. Summa laus siliginis bonitate & cribri tenuitate constat.

11. *Collyra* est genus pànis mundi & parvuli, sive potiùs placentæ, quæ ut lagana in sartagine frigitur. LXX. 2. *Samuel.* 6.19. utuntur hac voce: ἑκάστῳ διεμέρισε κολλυρίδα ἄρτου. Quidam interpretantur *tortum panem*: vetus versio habet *collyridam*: Pagninus, *placentam*: Tremellius, *tractam panis*.

12. *Panis hordeaceus* est, minoris nutrimenti. Usitatus fuit veteribus. 2. *Reg.* 4.42. *Ezech.* 4.12. *Ioh.* 6.9.

13. *Panis ex milio confectus*, antequam refrigescat, sine fastidio edi potest. Tria ipsius genera usitata sunt apud Bearnos.

14. *Panis speusticus*, ἀπὸ τοῦ σπεύδειν dictus, est, qui accelerando coquitur. Cato eum sic describit: *Speusticum panem sic facito: manus mortariumque benè lavato: farinam in mortarium indito, aquam paulatim addito, subigitoque pulchrè; ubi bene subegeris, defingito coquitoq; sub testâ.*

15. *Panis fit ex oryzâ, fabis, pisis, panico, zeâ, & alicâ.*

16. *Obelia* est panis, qui olim vendebatur obolo, vel potiùs qui assabatur in obeliscis.

17. *Panis ostrearius*, sic dictus est à deliciis: ut & *artolaganus*.

18. *Mystile*, μυστίλη, est panis excavatus, quo jus sorbetur. Dicitur etiam *canica*, quòd canibus projiceretur.

19. *Selene* est panis, ita dictus à forma lunæ cornicularis. Ita in quibusdam Germaniæ locis vocantur *cornua Martini*.

20. *Panis* parabatur apud veteres *ex papavere*: quod propterea Georg. 1. à poëta dicitur Cereale.

21. *Sesamium* est placenta ex sesamo, melle & oleo. Clemens Alexandrinus protrept. Σησαμαῖ, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι.

22. *Pyramis* est genus panis à figura sic dictum.

dictum. Dictæ autem pyramides, ut *castellamenta* apud Arnobium lib. 2. Ejus verba sunt: *Vt spirulas & botulos facerent, isicia, castellamenta Lucanica.*

23. *Tolypa* est mellitus globulus, sic dictus à τολύπης sphæricâ figurâ, quòd esset placenta rotunda in modum glomeris lanarum.

24. In Indiâ Occidentali panem conficiunt ex *Maizo* semine, ex quo etiam vinum. Est semen ad unguem referens Sorgum Italorum. Vide Cardanum lib. 12. de subtilitate.

25. In Æthiopiâ panis fit ex *tapho*, grano præstantiore quàm est nostrum frumentum, quòd non corrumpatur.

26. Panis etiam fit ex *hyricâ radice*, expresso succo. Panis iste valde salutaris est homini, & anno servatur.

27. *Panis medius inter siligineum & similaceum* est, qui nullâ parte tritici ademtâ minùs nutrit quàm siligineus & similaceus. Siligineus est omnium purissimus: mox similaceus: dehinc medius, quo genere panis delectabatur Augustus Cæsar.

28. *Panis furfuraceus* levissimè omnium nutrit, & quàm citissimè per alvum descendit.

29. Fiebant olim *panes ex farina siliginea, alicâ & caseo ovillo*, ut est apud Catonem.

30. Fiebant etiam *panes ex frumento, adipe, melle, & caseo*, ut memoriæ prodidit Celsus lib. 2. Medic.

31. *Panes* olim fiebant *ex lacte, nucibus, melle, itria, & liba.*

32. Fiunt *placenta fermentata cum butyro & caseo.*

33. Olim fiebant *panes ex glandibus.*

34. In quibusdam Galliæ locis fit *panis ex castaneis.*

35. In caritate annonæ fit etiam *panis ex avena.*

36. *Panis dulciarius* est valde usitatus.

37. Dantur *panes lacticini.*

38. *Ex semine lotometra* fiunt panes in Ægypto.

39. In Italiæ quibusdam locis paratur *panis ex tribulo.*

40. *Ex loto*, qui est fructus fabæ similis, paratur panis.

41. Antiqui *ex palmis* faciebant panes.

42. In Cariâ & Rhodo paratur *panis ex ficu Ægyptia*, sive sycomoro.

43. *Ex radice ari* conficitur *panis* tritico pulchrior.

44. *Panis fit ex asphodelo.*

45. *E rapis, napis, & siseribus paratur panis.*

46. Optimus *panis paratur è cucurbitis.*

47. *Ex lupinis* paratur *panis præstans.*

48. *Ex ciceribus, dolichis & lentibus* fieri solent *panes.*

49. *Ex lappa herba* parari potest panis.


50. *Ex asellis arefactis* in pollinem redactis paratur panis.

51. Ne longiores simus, *ex omnibus ferè napis, radicibus, bulbis, & herbis* possunt confici *panes vesci & alimentarii.*

Quæ hactenus dixi de variis panum generibus, multiplicem habent usum. Nam 1. hinc intelligitur singularis providentia Dei, qui omnibus regionibus tam liberaliter prospexit de alimento. 2. hinc discimus, hostias illas, quarum usus est apud Papistas & Lutherozelotas, non esse panem verum: utpote qui ad nullum panis alimentarii genus

referri possunt. 3. hinc responderi potest ad illam quæstionem, quæ anno 1557. ex Brasilia mota fuit: An etiam in cœna Domini possit adhiberi panis Brasiliensium ex plantis & radicibus confectus. Huic quæstioni satisfecit Theodorus Beza epist. 2. ad Thilium, his verbis: *Panis & vinum sunt cœnæ signa ex Domini institutione. Ubi igitur panis aut vini vel nullus est usus, vel nulla certo tempore copia, num cœna Domini nulla celebrabitur? Imò ritè celebrabitur, si quod panis aut vini vicem, vel ex usu communi, vel pro temporis ratione supplet, panis aut vini loco adhibeatur. Hæc enim mens fuit Christi, cùm panem & vinum ad hæc mysteria deligeret, ut propositis earum rerum signis, quibus corpus nostrũ alitur, veram alimoniam spiritualem velut ob oculos repræsentaret. Itaque à Christi sententia nihil aberrat, qui nullo prorsus novandi studio pro pane & vino substituat, quæ etsi non parem, similem tamen alimoniæ analogiam habeant.*

PANIS DEI. PANIS ANGELORUM. PANIS VITAE. PANIS SANCTUS. Hæ phrases aut accipiuntur de Christo, aut de sacramento eucharistiæ. De Christo: ut *Ioh. 6. vers.* 32. 33 35. 41. 48. 50. 51. 58. Sic apud Ignatium: οὐχ ἥδομαι τροφῇ φθορᾶς οὐδὲ ἡδοναῖς τοῦ βίου τούτου· ἄρτον τοῦ θεοῦ θέλω, ἄρτον ζωῆς. *Non delector nutrimento corruptibili, neque voluptatibus hujus vitæ: panem Dei expeto, panem vitæ.* De sacramento eucharistiæ: ut Cyprian. de cœn. Domini: *Panem angelorum sub sacramento manducamus in terris; eundem sine sacramento manifestiùs edemus in cœlis.* Chrysost. in 1. Cor. homil. 27. Σὺ ἄρτον ζωῆς λαβὼν πρᾶγμα θανάτου ποιεῖς καὶ οὐ φρίττεις, *Tu sumto pane vitæ, opus mortis facis, & non times?* In Liturgiis Græcis legitur sæpiù ἅγιος ἄρτος, *sanctus panis.* Innocentius 3. mysteriorum lib. 5. c. 24. ait: *Quinque panes sunt nobis necessarii; quatuor in via, & quintus in patria: corporalis ad sustentationem, spiritualis ad informationem, doctrinalis ad eruditionem, sacramentalis ad expiationem, æternalis ad fruitionem.* Teneatur hîc illa tabella.



Dividitur etiam in panem naturæ, gratiæ, & gloriæ.

PANIFRAGIUM. Ἀρτοκλασία. Est fractio panis: quæ quidem in sacra cœna est mystica; sacramentum scil. fracti & immolati corporis Christi. Prosper: *Dum frangitur hostia, dum sanguis de calice in ora fidelium infunditur: quid aliud quàm Dominici corporis in cruce immolatio ejusque sanguinis de latere effusio significatur?* Beda: *Frangit ipse panem, quem discipulis porrigit, ut ostendat corporis sui fractionem non absque suâ sponte aut procuratione futuram.* Vide in Jur. Canon. distinct. de consecr.

Panis propositionis. Hebraicè dicitur panis facierum. *Exod.* 25. 30. Sic appellabantur panes sacri, qui coram facie Dei, tanquam ex propitiatorio arcæ prospectantis, proponebantur in mensa, & quidem jugiter: unde & panes juges appellantur *Num.* 4.7. Docebat is ritus, ecclesiam Deo esse perpetuæ curæ, à qua oculos gratiæ suæ nunquam avertat: ipsius verò esse, ut sit altrix filiorum suorum per divinæ veritatis confessionem, & studium pietatis. Porrò *panis propositionis* aliquando à Patribus dicitur panis mysticus ante consecrationem. Syris panis eucharisticus dicitur פירמא à פרם rumpere; quòd frangatur. Ideo ejus panis partes Græci vocant κλάσματα, Paschasius micam, Euagrius ἁγίας μερίδας. Vide illum *c.17. de corp. & sang. Domini*, hunc *hist. eccles. l.* 4. 36.

Panis quotidianus. Latini ἄρτον ἐπιούσιον interpretātur panem quotidianum *Matth.* 6. 11. quòd sit quotidiana & maximè necessaria alimonia. Hanc interpretationem confirmant ex Luca, qui c.11. 3. vocat ἄρτον ἐπιούσιον καθ᾽ ἡμέραν q. d. panem, quo indies ad fluxam corporis nostri substantiam sustentandam egemus. Et huc respexit Syrus, qui ἐπιούσιον vertit דסונקנן *desunKanan* q.d. panem necessitatis. Ubi memorabile est, quòd ante Hieronymi tempora Latina versio habuit *quotidianum panem:* At Hieronymus secutus Cyprianum reddidit *supersubstantialem.* Et ita etiam Ambrosius & Augustinus. Itaq; ex illorū mente panis ἐπιούσιος est cibus corporis Christi, qui animæ substantiam fulcit. Quanquam alii tradunt corpus Christi dici panem ἐπιούσιον, quòd universas substantias excellat: ut ἐπιούσιον sit idem, quod περιούσιον. Rursus alii scribunt, corpus Christi appellari panem ἐπιούσιον, id est, supervenientem, quòd Christus jubeat petere, non panem præsentis vitæ, sed cibum ad futuram & sequentem vitam. Qui de pane temporali interpretantur, hanc adferunt rationem. Panis ἐπιούσιος est adventitius, adventās, succedaneus, sequēs; quia non sufficit semel accepisse, sed necesse est ut in hac vertentium temporum vicissitudine subinde & semper, singulis diebus nobis adveniat. Ita *Luc.* 11. 4. appellatur panis ἐπιούσιος καθ᾽ ἡμέραν, quia ex manu Dei singulis diebus circumit & adventat. Itaque hic fuerit sensus: Pane continuè, subsequentibus subinde temporibus, für vnd für / in hac vita nobis est opus; ut moneamur, Patrem cœlestem singulis diebus quotidiè suppeditando panem nos pascere. Varinus ἐπιούσιον interpretatur ἐπερχόμενον, *supervenientem*, ne nostrę industriæ, sed Dei donationi illum tribuamus. Alii hanc adferunt rationem: panem non esse aliquid principale, quod in oratione à Deo petēdum sit, sed ἐπιούσιον, adventitium, accessorium, adjectitium. Et hæ quidem interpretationes nituntur ista notatione, quòd ἐπιούσιος sit à participio ἐπιών, ἐπιοῦσα. Quo sensu Demosthenes dixit ἐπιοῦσαν ἐκκλησίαν, *proximè insequentem concionem.* Et ita LXX. *Proverb.* 27. 1. τὴν ἐπιοῦσαν dixerunt pro die sequenti. Sed quia adjectiva in ουσιος non solent à participiis fœmininis formari, ideo simplicissimum est, si ἀπὸ τῆς οὐσίας hoc vocabulum ἐπιούσιος deducamus: ut panis ἐπιούσιος sit, qui sustentandæ substantiæ corporis & vitæ nostræ sit necessarius, quasi qui ἐπὶ τὴν οὐσίαν,

ad substantiam, hujus vitæ pertineat. Ita Basilius ἄρτον ἐπιούσιον explicat, ἄρτον τὸν πρὸς τὴν ἐφήμερον ζωὴν τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν χρήσιμον, i.e. *panem, qui ad quotidianam vitam substantiæ nostræ sit utilis.* Et Suidas ait: ἐπιούσιος, ὁ ἐπὶ τῇ οὐσίᾳ ἡμῶν ἁρμόζων, ἢ καθημερινὸς, *qui substantiæ nostræ sustentandæ convenit & quadrat sive quotidianus.* Porrò quia οὐσία etiam significat facultates, seu bona externa, *Luc.* 15. 12. ἐπιούσιος significat vulgatem, necessariam, & sufficientem substantiam, sicut περιούσιος significat eximium thesaurum, sive peculium: ideo quidam ἄρτον ἐπιούσιον vertunt panem necessitatis, quo opus habemus, quiq; nobis sufficit. Quam interpretationem confirmat Syrus, qui reddidit panem necessitatis. Atque ita panis ἐπιούσιος erit *panis demensi*, ut vocat Salomo *Prov.* 30. 7. Quem locum LXX. ita verterunt: Da mihi τὰ δέοντα καὶ αὐτάρκη, *ea, quæ necessaria sunt & sufficientia*, seu quibus sim contentus. Sed omnium simplicissima est illorum sententia qui ἐπιούσιον vertunt, substantiæ nostræ consentientem, & quidem quotidiè. Unde patet vulgatam versionẽ non tolli per nostram sententiam, sed stabiliri. Sed in pauca cõferamus, quæ disputantur de hac phrasi. I. Græci quidam Patres ἄρτον ἐπιούσιον de Eucharistia interpretantur: quòd panis mysticus & animæ, & corporis substantiam fulciat. ἐπιούσιος, ait Cyrillus, ἀντὶ τοῦ τὴν οὐσίαν τῆς ψυχῆς κατασκευαζόμενος, *epiusius dicitur, propterea quòd animæ substantiam fulciat.* 2. Græci quidam Patres interpretantur de Christo. Petrus Laodicensis in orat. Domin. expositione: Panis ἐπιούσιος παρὰ τὸ ἐπιέναι, h. e. *ab eo quòd adventurus est, ut sit sensus: Tu panem non præsenti seculo congruum, sed eum qui sanctis in futurum seculum repositus est, da nobis hodiè.* Similiter Damascenus capite de mysteriis. οὗτος ὁ ἄρτος ἐστὶν ἀπαρχὴ τοῦ μέλλοντος ἄρτου, ὅς ἐστιν ἐπιούσιος. τὸ γὰρ ἐπιούσιον δηλοῖ τὸν μέλλοντα, τουτέστι, τὸν τοῦ μέλλοντος αἰῶνος. i.e. *Hic panis est primitiæ futuri panis.* Nam ἐπιούσιος *significat eum qui est futurus, h.e. futuri seculi.* 3. Alii accipiunt de necessitatibus hujus vitæ.

PANIS SALUTIS. In hymno *Te lucis author personent* &c. ita legimus:

Octava prima redditur,
Dum mors ab undâ tollitur,
Dum mente circumcidimur,
Noviq; demum nascimur.
Dum manè nostrum cernimus
Redisse victis hostibus:
Mundiq; luxum temnimus,
Panem salutis sumimus.

Hîc per primam octavã intelligitur Dominica in Albis, quæ est prima octava, id est, septimana post Pascha, à quo primitùs ecclesia arcessebat initiũ anni. Hac octava solebant solenniter peragere administrationem baptismi: quod illis verbis innuitur, *mors ab undâ tollitur*, hoc est, per salutare baptismi lavacrum

——— *Veteris peccatum expellitur Adæ,*

Ut canit Alcimus. Per panem salutis intelligitur panis τῆς εὐχαριστίας,

——— *quâ Christi nobis fas sumere corpus,*
Et sacrum æterni calicis potare cruorem,

Ut idem Alcimus canit.

PAPA. Est vox honorifica, significans patrem. Hesychius, πάππας πατρὸς ὑποκόρισμα. πάππα προσφώνησις παιδὸς πρὸς πατέρα. Suidas: πάππα & ἄππα non simpliciter vocatur pater: sed est venerationis vox ad patrem. Hinc pastores ecclesiarum dicti sunt

ſunt Papæ, tanquam patres Spirituales: & tandem vox hæc translata eſt ad primæ ſedis epiſcopum, tanquam πρῶτον τῶν ἱερέων, ut *Iuſtinianus ait Novell.*131.

PAPATUS. Propriè eſt officium, dignitas & conditio papæ: ſicut conſulatus & apoſtolatus ſunt officiorum nomina. Nunc uſitatè Papatum dicimus religionem Papæ Romani.

PARABOLA. Concordantiarum vulg. verſ. author ſic adnotat de hac voce. Parabola 1. ſententia, dictum grave, eruditum. *Num.* 23. 7. *Prov.* 1. 1. Sic paſſim in hiſtoria evangelica. 2. proverbium ſarcaſticum 2. *Chron.* 7. 20. *Pſal.* 69. 12. *Eſa.* 14. 4. *Ierem.* 24. 9. *Ezech.* 18. *verſ.* 2. 3. *Mich.* 2. 4. *Hab.* 2. 6. 3. exemplar. *Hebr.* 9. 9. 4. Similitudo *Hebr.* 11. 19. Alii ſic diſtinguunt parabolā, quòd ſit nuda & theorematica, ut eſt gnoma; vel veſtita & allegorica, ut *Matth.* 13.

PARABOLANI. Sic dicuntur, qui ad curanda debilium ægra corpora deputantur: idque vel à parabola evangelica, in qua quidam à latronibus vulneratus, à Levita neglectus, à viatore Samaritano fovetur & curatur: vel à Græco παράβολος, quod ſignificat hominem, qui ſe fidenter periculo objicit, ὁ κινδύνοις παραβάλλων ἑαυτὸν, quales erant, qui Alexandriæ ægrotos publicè curabant. Occurrit hæc vox *lib.* 1. *Cod. tit.* 3. *l.* 18. A voce παράβολος fit παραβολεύω, *ſtrenuè contemno periculum.* Quam in ſententiam *Phil.* 2. *v. ult.* docti quidam legendum pronuntiant παραβολευσάμενος τῇ ψυχῇ, quod vulgo legunt παραβουλευσάμενος.

PARACLETUS. Eſt tutor cauſæ, defenſor, protector, advocatus, hoc eſt, qui advocatur, ut alicui patrocinetur. Hoc nomen tribuitur Chriſto & Spiritui ſancto. Et Chriſto quidem; quia ipſe eſt advocatus noſter, apud Patrem intercedendo 1. *Iohan.* 2. 1. Spiritui ſancto autem; quia nobis datus eſt à Patre propter CHRISTUM, ut nobis adſit in omnibus neceſſitatibus, docens verbum Dei intelligere, credere, & facere; dictans nobis preces & ſuſpiria, adeoque faciens, ut clamemus *Abba* pater; denique conſilio, conſolatione, & ope nos adjuvans. *Iohan.* 14. 16. *c.* 16. 26. *Rom.* 8. *verſ.* 15. 26. *Gal.* 4. 6. O itaque nos felices, qui habemus paracletum Chriſtum, Filium Dei, & Spiritum ſanctum, qui eſt Spiritus Patris & Filii.

PARADISUS. *Siberus in Breviario Chriſtiano* ſic ait: παράδεισος αἰσθητὸς hortus eſt, vel fuit potiùs, in Eden, in quem Adamum humani generis parentem primum Deus collocavit: νοητὸς, locus felix, quem piis Deus incolendum inhabitandumque poſt mortem conſtituit. Hic locus appellatur cœlum tertium, cœlum beatorum, τὰ ὕψιστα τοῦ οὐρανοῦ, ubi hauriemus

Lucis inacceſſa jubar, immemorabile lumen.

Vidas appellat cœli

Arbitria ad noſtros non pervenientia ſenſus.

PARALIPOMENA. Latini vocant *Relicta*. Libri Chronicorum in Bibliis uſitatè appellantur libri Paralipomenon; quia quædam in libris Regum prætérita pleniùs explicant. Hebræi hos libros vocant דִּבְרֵי הַיָּמִים *Verba dierum*, quaſi dic. diaria, ſeu annales. Hæc verò Chronica non ſunt illa, quæ in libris Regum allegari ſolent: ſed ſunt epitome

quæ-

quædam ex illis per Esdram confecta, post reditum ex captivitate Babylonica: ut fert communis opinio.

PARASCEVE. In genere est præparatio: specialiter est præparatio ad festum: specialissimè, tempus interjectum inter advesperationem & solem occasum. Eo Judæi se ad sabbatum parabant: item ad reliquas præcipuas ferias. Parasceve illa Judæorum à Tertulliano & aliis appellatur *cœna pura*; appellatione translata à ritibus gentium. Nam apud gentiles cœna pura appellabatur cœna illis apposita, qui in casto erant. Sicut itaque gentiles per suam puram cœnam ad sacra sua præparabantur: ita Judæi ad sua solenniora festa per parasceven.

PAROCHUS. Usitatè dicitur, qui præest ecclesiæ alicui regendæ. Ratio adfertur non una. 1. quòd Dei jussu, ecclesiæ præbet, παρέχει, verbum & sacramenta. 2. quòd Christo sponsam suam adducit. Pastores enim sunt quasi Christi nymphagogi. Quo sensu parochus dicitur, qui sponso sponsam deducenti assidet. 3. quòd peregrinis indigentibus debet præbere panem, & similia. Hinc Budæus: *Xenoparochi, ut opinor, iidem sunt, qui peregrinis salem & ligna præbebant.* Idem non parochias, sed parœcias primùm appellatas esse censet: ut parœci dicti sint, qui fanum aliquod accoluerunt, ejusdem scilicet fani consortes.

PARTURIO. Propriè est partum edere cupio: per translationem usurpatur 1. de ineffabili generatione Filii Dei *Prov.* 8.25. in vulg. vers. 2. de solicitudine: ut cùm creatura dicitur parturire *Rom.* 8. 22. itemque ecclesia *Esa.* 26. 18. *Apoc.* 12. 2. 3. de charitate vehementi fidelis pastoris, qua complectitur suos auditores *Gal.* 4.19. 4. de vario conatu, progressu, & opere tum bono, tum malo. *Psal.* 7. 15. *Prov.* 10.31.

PARVULUS. Est talis vel quantitate *Gen.* 25.22. vel qualitate, putà humilis corde. *Matth.* 11. 25.

Πᾶσα γραφή. Sic 2. *Tim.* 3. *v.* 16. apostolus appellat scripturam totam propheticam, ita ut πᾶσα sit positum pro ὅλη, uti 1. *Cor.* 13. *v.* 2. πᾶσα ἡ πίστις, *omnis fides*, significat ὅλην τὴν πίστιν, id est, totam fidem, scil. miraculorum. q. d. Quidquid illius fidei uspiam reperitur in cũctis θαυματουργοῖς. Unde particula universalis πᾶσα intelligitur restrictè, sive secundùm subjectam materiam, & non absolutè. Quo fit, ut utrovis modo Latinè reddas, sive *omnis*, sive *tota Scriptura*, nempe sacra illa; rectè interpreteris. ita ut fallantur Papistæ, qui hæc verba de unaquaque Scripturæ sacræ pericopâ seorsum considerata exponunt. Ubi nihil refert, fuerintne eo tempore omnes libri sacri N.T. sive minùs: quia verba Apostoli generalem continent sententiam de universis libris divinis, Ecclesiæ Christi ad informationem in fide & vita commendatis.

PASCHA. Hæc vox 1. significat solennitatem illam legalem, de qua *Exod.* 12. 2. Interdum dicitur de toto festo azymorum, interdum de illo die quo agnus comedebatur. 3. aliquando designat Christum 1. *Cor.* 5. 7. Sic Damascenus in hymno Christum appellat Pascha nostrum, & Pascha æternum, item Pascha mysticum. 4. Origeni Pascha est sacrificium Christi in cruce. 5. aliquando Pascha dicitur eucharistia, commemoratio illa veri Paschæ. Sic Gregorius Nazianz. orat. 42. dicit, communicantes in cœna Domini μεταλαμβάνειν τοῦ πάσχα, *participare*

pare Pascha. 6. etiam extra eucharistiam usurpatur hæc vox: ut cùm Chrysost. ait serm. 88. tom. 5. nos semper posse πάσχα ἐπιτελεῖν, quia mortem Domini semper possumus annuntiare.

Πάστωρ. Hieronymus in prologo galeato librum Simeonis, qui vulgo dicitur Maccabæorum tertius, appellat πάστορα, sive Pastorem Latino casu, non autem Pastôrem: nempe ἀπὸ τῆς παστάδος sive παστίδος, id est ab atrio, in quo sacerdos ille summus Simeon unà cum fideli suo comitatu intercessit ne rex Ptolemæus Philopater veniret in sanctuarium: etsi frustra fuit hæc ipsius vigilantia.

Passibilis. Est mortalis, seu passionibus obnoxius. In vulg. vers. usurpatur de Christo. *Act.* 26.23. *Iacob.* 5.17.

Pater. Aliquis ita dicitur naturâ, imitatione seu similitudine curæ, adoptione, doctrina seu informatione, honore seu dignitate, reverentia, & ætate. Exempla vide in Concord. Lat. Quando de Deo usurpatur, duobus modis accipitur: οὐσιωδῶς & ὑποστατικῶς. Etsi enim Patris appellatio commune vocabulum est totius Trinitatis, seu Unitatis in tribus perfectæ: præcipua tamen ratione primæ tribuitur personæ, quòd universæ originis fons sit. Pertinet huc distinctio: Deus dicitur Pater, propter æternam generationem, & ratione tum creationis & conservationis rerum, tum redemtionis. Itaque Deus est pater omnium jure creationis, & specialiter suorum electorum jure redemtionis.

Patres. Hoc nomine insigniuntur prisci doctores ecclesiæ, propter ætatem & eruditionem insignem. De his tria inprimis tenenda sunt. 1. quinam sint, & quo tempore vixerint. 2. quæ sit ipsorum authoritas, quemque in docendo, scribendo, & agendo modum servaverint. 3. quæ sint ipsorum scripta spuria & dubia. De I. Numeramus in universum Patres 44. eosque partimur in tres classes sive ordines. In primo ordine sunt illi, qui inde à temporibus apostolorum usque ad concilium Nicenum, anno 326. floruerunt: & sunt numero 17. hoc modo:

1. Dionysius Areopagita an. Chr. 60.
2. Clemens Romanus Papa, an. 70.
3. Ignatius, episcopus Antiochenus. an. 71.
4. Polycarpus, æqualis Ignatii.
5. Hermes. an. Chr. 72.
6. Justinus, cognomento Martyr & Philosophus, an. Chr. 150.

Athenagoras, Justini σύγχρονος.

8. Theophilus, episcopus Antiochenus, an. 170.
9. Tatianus, eodem tempore.
10. Irenæus, an. 180.
11. Tertullianus, an. 203.
12. Clemens Alexandrinus, eodem tempore.
13. Origenes Adamantius, an. 226.
14. Gregorius Neocæsariensis, an. 233.
15. Cæcilius Cyprianus, an. 240.
16. Arnobius, an. 285.
17. Lactantius Firmianus, Arnobii auditor.

In secundo ordine sunt Patres 20. qui claruerunt inde à Cōcilio Niceno, quod est primum œcumenicum, usque ad concilium Constantinopolitanum tertium, quod est sextum & ultimum œcumenicum, hoc est, ab anno Christi 326. usque ad an. 681. Series talis est.

1. Athanasius, an. Chr. 326.

2. Macarius, cognomento Senior. an. 340.

3. Hilarius, eodem tempore.

4. Optatus Milevitanus, an. 365.

5. Basilius Magnus, an. 370.

6. Gregorius Nazianzenus, eodem tempore.

7. Epiphanius, eodem tempore.

8. Ambrosius, eodem tempore.

9. Gregorius Nyssenus, frater Basilii.

10. Hieronymus, an. Chr. 380.

11. Aurelius Prudentius, an. 390.

12. Johānes Chrysostomus, an. 398.

13. Augustinus, an. 420.

14. Cyrillus Alexandrinus, an. 430.

15. Theodoretus, æqualis Cyrilli.

16. Leo Magnus, Papa, an. 440.

17. Prosper Aquitanus, an. 445.

18. Vigilius, an. 495.

19. Fulgentius, an. 500.

20. Isidorus Hispalensis, an. 595.

In tertio ordine sunt Patres 7. hoc modo.

1. Beda Venerabilis, an. 700.

2. Johannes Damascenus, æqualis Bedæ.

3. Rabanus Maurus, an. 830.

4. Haymo, an. 850.

5. Theophylactus, epitomator Chrysostomi, an. 880.

6. Oecumenius, an. 1070.

7. Bernhardus, an. 1120.

De II. Quæ sit & quanta Patrum authoritas, ex ipsis audiamus Patribus. *Tertullianus contra Hermog.* ait: Adoro Scripturæ plenitudinem. *Athanasius in synopsi* ait, ad fidem sufficere illa, quæ in Scripturâ reperiuntur dogmata. *Basilius tractatu de fide*: Manifestum est infidelitatis & arrogantiæ crimen, vel rejicere aliquid, quod scriptum est, vel addere aliquid quod non scriptum est. *Augustinus contra liter. Petil. lib. 3. c. 6.* Sive de Christo, sive de ejus ecclesia, sive de quacunque alia re, quæ pertinet ad fidem vitamque nostram, non dicam si nos, sed omninò quod secutus adjecit, Si angelus de cœlo vobis annuntiaverit, præterquam quod scripturis legalibus & evangelicis accepistis, anathema sit. Hinc patet, Patres Scripturæ deferre hunc honorem, quod sit unica regula & norma fidei. Vide plura in hanc sententiam ad titulum PRINCIPALITAS. Deinde Patres dicta & testimonia sua eatenus recipi volunt, quatenus cum scriptis propheticis & apostolicis consentiunt. Sic enim *Augustinus epist. 19.* Ego solis eis Scripturarum libris, qui jam canonici appellantur, hunc timorem & honorem deferre didici, ut nullum eorum authorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos authores canonicos, vel probabili ratione quòd à veritate non abhorreat, persuadere potuerunt. *Idem ad Crescon. l. 2. c. 32.* Ego hujus epistolæ authoritate non teneor, quòd literas Cypriani non ut canonicas habeo, sed eas ex canonicis considero: & quod in iis divinarum Scripturarũ authoritati congruit, cum laude ejus accipio: quod autem non congruit, cum pace ejus respuo. *Chrysostomus in Psalmo 95.* Si quid dicatur absque Scriptura, auditorum cogitatio claudicat. Videamus jam modum, quem Patres in scriptis suis servarunt. Principiò Patres multi de rebus sacris incommodè sunt locuti, sex de causis. 1. quia disputationis ardore eò protracti sunt. 2, quia

2. quia nondum motis disputationibus securiùs locuti sunt. 3. quia in exhortationibus vehementiùs rhetoricati sunt, vel in favorem aliorum, vel ut alios permoverent. 4. quia formulas loquendi à vulgo mutuati sunt, & proinde sæpè populariter docuerunt. 5. quia victi multitudine in superstitionum pelagus abrepti sunt, ut impetus fluminum trahit navigantes. 6. quia sæpe loquuntur recitativè, non assertivè. De primo loquitur *Basilius epist. 64. de Gregorio Neocæsariensi*: Hoc (*nimirum quòd dixit Patrem & Filium hypostasi unum esse.*) non ex decreto, sed ἐϱιστικῶς *ex contentione*, dictum esse in disputatione adversus Ælianum intelligere non potuerunt illi. De secundo accipe illud *Augustini lib. 1. contra Julianum Pelag. cap. 2.* Disputans in catholica ecclesia non se aliter intelligi arbitrabatur, tali quæstione nullus pulsabatur, vobis nondum litigantibus securiùs loquebatur. De tertio *Hieronymus* loquitur, quando de seipso agens excusat quædam incommodè dicta: Rhetoricati sumus, & aliquid declamationibus dedimus. *Theodoretus dialog. 3.* sic ait: Non ego dogmatum & decretorum regulā ea duco, quæ in ecclesia panegyricè & declamatoriè dicuntur. De quarto accipe illud *Cani in loc. com. lib. 11. c. 6.* Negare non possumus, viros aliquando gravissimos, in divinorum præsertim prodigiis describendis, sparsos rumores & excepisse, & scriptis etiam ad posteros retulisse. Qua in re, ut mihi quidem videtur, aut nimium illi sibi, aut fidelium certè vulgo indulserunt: quòd vulgus sentiebant non tantùm ea facilè miracula credere, sed impensè etiam flagitare. *Et mox* ait, authoribus nobilissimis placuisse, veram historiæ legem esse ea scribere, quæ vulgò vera haberentur. De quinto ait *Augustinus epist. 119.* Multa hujusmodi propter nonnullarum vel sanctarum, vel turbulentarum personarum scandala devitanda, liberiùs improbare non audeo. De sexto accipe illud *Hieronymi apolog. pro libris contra Jovin. cap. 4.* Veteres interdum coguntur loqui, non quod sentiunt, sed quod necesse est dicunt, adversus ea, quæ dicunt Gentiles. *Rursus*: Aliud est γυμναστικῶς scribere, aliud δογματικῶς. Idem testatur *Otthо Frisingensis libr. 4. ca. 18.* Considerandū secundùm quid loquantur authores, quid opinando, quid asserendo, quid ex magnitudine doloris semet consolando. Sic *Joachimus Abbas in Revelat.* Opinando dicere potest ex conjecturis, non intelligendo. *Catharinus de certitud. grat. assert. 13.* Neque enim quodcunque Pontifices in suis decretis enuntiativè aut opinativè magis, quā decisivè loquuntur, illud haberi debet quasi decisum & determinatum. Denique *Bellarminus* de Celestino & Innocentio cōtraria docentibus ait, neutrū aliquid de ea re certi statuisse, sed utrumque quod sibi probabilius videbatur, respondisse: & multa esse in epistolis decretalibus, quæ non faciunt rem aliquam esse de fide, sed solum opiniones Pontificum de ea re nobis declarant. Sed non tantùm incommodè dicta, verùm etiam manifesti errores, & ii quidem crassiores, occurrunt in scriptis Patrum. Et sæpenumero accidit, ut Patres posteriores priorum errores rejecerint. Ita quod Irenæus, Justinus, Clemens Alexandrinus, Tertullianus, docuerunt, gentes sine CHRISTO, sola naturæ lege, salvatas esse, Augustinus apertè

refellit. Quid? Veteres quidam suos errores, aut incommodè dicta, vel retractarunt, vel emolliverunt. *Anselmus in comment. super 2. epist. ad Corinth.* ita scribit hac de re: In libris sanctorum doctorum, quos authenticè legit ecclesia, nonnunquam inveniuntur prava, vel hæretica: non tamen pro his libri vel authores damnantur. Perlegat eorum libros prudens lector, & inveniet verum esse quod dico. *Idem testatur Sixtus Senensis præfat. lib. 5. bibliothec.* Veteres dum unum errorem omnium virium conatu destruere annituntur, sæpe in alterum errorem vel deciderunt, vel quodammodo decidisse videantur agricolarum more, qui incurvum teneræ arboris stipitem corrigere volentes, immodica nonnunquam attractione modum excedunt, plantamque in contrariam diversamque deducunt formam. *Canus loc. com. libr. 11. c. 6.* Non omnia, quæ magni authores scripserunt, sunt undique perfecta. Nam & labuntur aliquando, ut ille ait, & oneri cedunt: & indulgent ingeniorum suorum voluptati: vulgoq; interdum etiam indulgent. Porrò Patres, ne doctrina ecclesiæ horridior videretur, inflexerũt eam ad disputationes physicas, multosq; locos, putà de peccato, de libero arbitrio &c. magis philosophicè, quàm theologicè tradiderunt. Imò religionis doctrinam in multis flexerunt & formarunt ad opiniones Gentilium, & ritus illorũ nonnihil immutatos transtulerunt ad cultum Dei pio proposito an præpostero. Sic ꝙ *Plato libr. 10. de rep. Virgilius Æneid. 6. Ovid. metamorph. 15.* de pœnis purgatoriis post mortem scripserunt, ad Purgatoriũ multi ex veteribus transtulerunt in ecclesiam. *Gregorius Nyssen⁹ de vita Gregorii Thaumaturgi sic ait*: Permisit etiam memorias martyrum, ne vulgus imperitum propter voluptates in errore simulachrorum permanerent. *Augustinus confess. lib. 6. c. 2.* testis est, consuetudinem, quâ solebant epulas instituere ad memorias martyrum, à gẽtilitate ductam fuisse. *Theodoretus de evangelicæ veritatis cognitione lib. 8.* Pro Pandiis, & Diasiis, & Dionysiis, hoc est, Jovis Liberique Patris solennitatibus, Petro, Paulo, Thomæ, Sergio, Marcello, Leontio, Antonino, Mauritio, aliisq; sanctis martyribus, solẽnitates populari epulo peraguntur. Structura simulachrorũ & imaginum gentilis fuit consuetudo, fatente *Eusebio lib. 7. hist. eccles. c. 17.* Similiter ex more ethnico, de quo *Cicero offic. lib. 3.* thus & cerei accẽdebantur ad imagines. Vigiliæ anniversariæ gentibus fuerunt usitatæ, ut patet ex *Suetonio in Vespas. cap. 7.* Aspersio aquæ lustralis, de qua *Iuvenalis Satyr. 6.* gentilis est ritus, ut disertè testatur *Sozomenus lib. 6. c. 6.* Similiter accensio lucernarum de die apud *Senecam libr. 14. epist. 15.* item rasura capillorum, de qua *Apulejus lib. 11. de asino aureo.* Pro thoracibus Serapidis, crucis dominicæ signum unumquemque in postibus, ingressibus, fenestris, parietibus, & columnis depinxisse, author est *Ruffinus lib. 2. hist. c. 29.* Constantinus Magnus pro Labaro posuit signum crucis, ut ait *Sozomenus lib. 1. c. 5.* Neq; solũ gentilium ritus, sed etiã Iudæorum ceremonias revocavit ecclesia. Ita enim est, ut ait *Alcuinus de offic. divin.* Ecclesia recepit vestimenta sacra, ad instar sacerdotum Mosaicæ legis. Confer *Amalarium de offic. eccles. lib. 2. c. 22. Et Gratianus de consecrat. dist. 1.* ait, cõsecrationes, & sacras unctiones, ad imitationẽ Mosis & Levitarũ faciendas. Hęc & similia quando in scriptis

Patrum

Patrum legimus, non debemus imitari Chamum, qui verenda Noë patris ſui deridebat, ſed Semum & Japhetum, qui piè illa tegebant. Supereſt unum, quod in lectione quorundam Patrum eſt obſervãdum. Mos fuit hic veterum, ſive curioſitas ut in vocibus peregrinis, quarum non ignorarent etymum, ſatagerent aliquid invenire, quod earum ſignificationi accommodarent. Sic in dictionibus Hebraicis etyma Græca aut etiam Latina Patres comminiſcuntur; non quòd veram originem ignorent, ſicut multi exiſtimant; ſed ex mera curioſitate. Sic nomen *Ieſus* à Græco ἰᾶσθαι, *ſanare*, deduxerunt, etiam illi, quos vera ejus origo & ſignificatio non latebat. Sic enim *Cyrillus Hieroſolymitanus catecheſi* 10. Ἰησοῦς ἐστι, κατὰ μὲν Ἑβραίους σωτὴρ, κατὰ δὲ τὴν Ἑλλάδα γλῶσσαν, ἰώμενος, hoc eſt, Jeſus ſecundùm Hebræos quidem eſt ſervator, ſecũdùm Græcam verò linguam, ſanans. Ita *Ambroſius* etymum duplex dat nomini Levites, *lib.* 2. *de Abel & Cain*: In Levitis figuralis agni præceſſit myſterium, verum venturum Leviten, qui proprii corporis paſſione tolleret peccatum mundi. Levites ſignificatur ſuſceptus pro me, vel ipſe mihi levis. Sic Ambroſius. Prius etymum eſt è lingua Hebraica, poſterius è Latina. *Anaſtaſius Sinaita monachus*, homo Græcus, qui non ignorabat unde vocabulum βάπτισμα deducatur, quòd ſciret peccatum originale ſacro lavacro ablui, ſcripſit βάπτισμα dici, quaſi βάπταισμα, ἐν ᾧ βάλλεται, ἤγουν πίπτει τὸ πταῖσμα, hoc eſt, abjectio lapſus, quippe in quo abjicitur ſeu cadit peccatum. Similiter vocem Hebraicam *Paſcha* à verbo Græco πάσχειν deduxerunt, non quòd veritatem ignorarent, ſed propter illam, quam diximus, piam curioſitatem. *Ambroſius lib.* 2 *de Abel & Cain, cap.* 2. Paſcha Domini, *inquit*, tranſitus eſt à paſſionibus ad exercitia virtutis. Et ideo Paſcha Domini dicitur, quoniam & tũc in typo illo agni veritas Dominicæ paſſionis annuntiabatur, & nunc ejus celebratur gratia. *Iuſtinus in dialogo cum Tryphone* ait, agnum fuiſſe ſymbolum τοῦ πάθους τοῦ σταυροῦ, δι' οὗ πάσχειν ἔμελλεν ὁ χριστὸς, hoc eſt, paſſionis crucis, in qua Chriſtus erat paſſurus. *Philo Iudæus*, etſi nõ dicit ille quidem expreſſe πάσχα deduci à πάσχω, crebra tamẽ alluſione id videtur ſignificare: ut *de hærede rerum* divinarum: Πάσχα ἐστὶν, ὅταν ἡ ψυχὴ τὸ μὲν ἄλογον πάθος ἀποβαλεῖν μελετᾷ, τὴν δὲ εὔλογον εὐπάθειαν ἑκουσίως πάσχῃ, hoc eſt, Paſcha eſt, quando anima meditatur abjectionem irrationalis paſſionis, rationalem verò paſſionem lubens ſuſtinet. Similiter χριστὸς, *unctus*, dici queat quaſi χρηστὸς, *benign*⁹.

De 3. Multum refert, ut ſcripta veterum germana diſcernantur à ſuppoſititiis. Quæ quidem diſcretio eſt bona pars *Criticæ theologicæ*. Solent autem hîc variæ tradi regulæ, putà, quòd diverſitas ſtili oſtendat aliquem librum non eſſe hujus vel illius authoris: quòd res & vocabula recẽtioris ævi prodant ſcriptum aliquod falsò tribui authori antiquo: quòd plerique critici in dubium vocent hoc vel illud ſcriptum: quòd vocabula barbara prodant ſcriptum non eſſe authoris, qui forsè ſcripſit: ut in *tractatu de ſingularitate clericorum*, qui vulgo tribuitur Cypriano, non tantùm ſtilus ſatis diverſus à ſtilo Cypriani, ſed etiam verba multa parum Latina, quæ in Cypriano non inveniuntur, qualia ſunt, *inordinaliter*, *contubernalitas*, *mulcedo*, *paſſibilitas*, & alia, oſtendunt, non eſſe Cypriani. Sed texamus Indicem libro-

librorum sive scriptorum partim dubiorum, partim spuriorum, partim corruptorum: idque ex *Roberto Bellarmino de scriptoribus ecclesiasticis*, *& Guilelmo Perkinso de Romana fidei ementito catholicismo.*

1. *Liturgia* S. PETRI.

2. *Epistola* PAULI *ad Laodicenses: & ejusdem epistola ad Senecam.*

3. *Proto evangelium* S. JACOBI. *Ejusdem Liturgia.* Hæc precationem continet pro iis, qui in monasteriis degunt: quæ Apostolorum temporibus nulla fuerunt. In ea quoque sæpiùs occurrunt verba Apostolorum seculo ignota: θεοτόκος, ὁμούσιος, λειτουργία pro ritu missandi. Talis etiam ritus cœnæ ibi describitur, quem ab Apostolis observatum non fuisse constat ex Actis Apostolorum & Justino Martyre. Hujus porrò scripti pene 600. à Christo annis nulla fit mẽtio. Bellarminus ait, hanc liturgiam à posterioribus ita locupletatam esse, ut non facile sit dijudicare, quæ pars S. Jacobum habeat authorem.

4. *Missa* ÆTHIOPUM, adscripta S. Matthæo. Meminit epactæ & aurei numeri.

5. *Pastor* HERMÆ. Tertullianus, Athanasius, Hieronym⁹, Eusebius, & alii rectè scribunt, hunc librum nõ esse in canone.

6. *Narratio* PROCHORI *de rebus gestis S. Iohannis.* Bellarminus putat hunc esse librum, qui sub nomine *Circuitus Iohannis* inter apocrypha recẽsetur ab Athanasio. Cæterùm historia ista est authoris recentioris: quia facit mentionem τῆς ὁμουσίου τριάδος.

7. *Missa* S. MARCI, continet preces pro Papa, pro lectoribus, cantoribus, subdiaconis, quorum fuerunt munera posterioribus seculis recepta.

8. *Libri passionis* S. ANDREÆ nulla fit mentio apud probatos authores, Eusebium, Hieronymum, Gẽnadium, & blasphema q̃dam habet, *Salve sancta crux*, &c. Passio hæc tribuitur presbyteris Achaiæ.

9. *Missa* ANDREAE ejusdẽ est generis.

10. *Narratio* LINI. Hanc Bellarminus dicit esse similem narrationi Prochori: hoc est, omninò confictam, ut sonant ipsius verba.

11. Multa sunt conficta sub CLEMENTIS Romani nomine. *Euseb. lib. 3. c. 35.* Epistola ad Corinthios una genuina est. *Idem c. 34. Ruffinus in præfat. ante Recognitiones Clementis, & Conc. Vasense 1. c. 6.* unius epistolæ Clementis ad Jacobum fratrem D. mentionem faciunt: tres autem nunc edũtur. Deinde has *epistolas* non esse Clementis, apertè constat. Jacobus obiit 7. annis ante Petrum: & Clemens non fuit Romanæ Ecclesiæ præsul nisi post Petrum, ut constat ex omnibus penè historiis. Epistola 5. communionem rerum & uxorum docet. 2. Jacobũ stultissimè monet, ut non murium stercora inter fragmenta dominicæ portionis appareant, neq; putrida per negligentiam remaneant Clericorum. Porrò *Canones Apostolorum* eidem tribuuntur. Hos Tertullianus, Athanasius, & Damascenus recipiunt tanquam genuinos. At *dist. 15. c. sancta Romana*, hic liber dicitur apocryphus, & hoc idem confirmatur *dist. 16. can. 1. & 2.* Bellarminus judicat quinquaginta canones esse genuinos. Item *Constitutionum Apostolicarum li.* 8. ab eodem scripti non majorem merẽtur fidem. De his nil Eusebius, nil Hieronymus, nil Gennadius. Deinde author se prodit, ubi dicit vernũ æquinoctium incidere in vicesimũ secundum diem mensis duodecimi, qui appellatur *dystros*, sive *Martius*. At Christi & Apostolorum seculo, æquinoctium fuit Martii 25. & non 22.

nisi post Nicenum Concilium. Hoc vidit Carolus Bovius & excusare non potuit. Citârunt quidem aliquando veteres Cõstitutiones & Dispositiones Apostolicas, sed non scriptas (ut fatetur Basilius lib. de Spiritu S. c. 27.) imò ne scriptas quidem à Clemente, quia nomen ejus non apponunt nisi posterioribus seculis.

12. Opera DIONYSII AREOPAGITAE de *cœlesti Hierarchia*: De *Ecclesiastica Hierarchia*: De *divinis nominibus*: *Epistolæ* item aliquot, ut est nominatim epistola ad B. Paulum, fidem non merentur. Multi in Act. c. 17. ut Erasmus, L. Valla, Cajetanus & alii præterea docti, negãt prorsus hęc esse scripta Dionysii Apostolici, his ducti rationibus. *Primò*, etsi fuerat Pauli discipulus ab eo conversus, beneficii tamen cõversionis & amicitiæ cum pręceptore adeo obliviscitur, ut ne uno quidem loco Pauli meminerit: obscurũ quendam *Hierotheum* præceptorem suum appellãs. *Secundò*, plurimorum meminit ordinum, ut Pontificum, Præsulum, Sacerdotũ, Monachorum, &c. quorum (præterquam Episcopi) Dionysii ætatem nullum habuisse, probari potest. *Tertiò*, Eusebius & Hieronymus in Catalogo, horum nullam faciunt mentionem; imò nullus ante Gregorium M. qui tamen citans hujus literas, non judicat eum fuisse Dionysium Areopagitam. His attexam rationes Illyrici. *Prima*: quòd ille tumidus, laciniosus, improprius & ampullatus, stylus, ut est istius Dionysii, nequaquam tempore Apostolorũ Athenis fuit usitatus, sed 300. demum postea annis in Græcia & etiam Romæ cœpit esse in usu. *Casaubonus tamen exerc. 16. ad annales ecclesiasticos Baronii* author est, hunc Dionysium eximiè præ cęteris Patribus, de mysteriis, & nominatim de sacramentis; novo quodam & inusitato genere scripsisse: quod sciret, tali genere dicendi Gentium mysteria tractari consuesse. *Secunda*: Recentior versio habet, quod Hierarchiam ad Timotheum scripserit, quem etiam suum filiũ vocat: ꝙ idem est usu scripturæ & Ecclesiæ, ac discipulus. Cum Timotheus habuerit diutissime præstantissimũ præceptorem, illud electũ Christi vas, fueritq; adhuc vivo Paulo celebris Doctor ac Episcopus: ut ille potius hunc Dionysium docere potuerit, quã ab eo doceri. *Tertia*: mox post conversionẽ Areopagitæ, docuit Paulus Corinthi diu, & Ephesi diutius, q̃ loca facilè Athenis adiri possunt: ut si Dionysius iste discẽdi cupidus esset, potuerit per integrum biennium Paulũ quasi domi habere: eoq; nõ fuerit necesse eum, sese in disciplinam Hierotheo homini in Ecclesia planè ignoto dedere. *Quarta*: Initio Hierarchiæ dicit suos præceptores istam doctrinam ab Apostolis accepisse. Unde liquidò constat eum nõ fuisse Apostolorum discipulũ. Ideo autẽ in plurali dicit (*præceptores*) ut per plures sibi invicem succedentes p̃ceptores, eam doctrinam ab Apostolis ad se provenire ostendat. *Quinta*: Quî possibile fuit, istum Dionysiũ non sæpe q̃sivisse scribendo ad Timotheũ, an quid ipse rectius ab Apostolo Paulo audivisset de illis ipsis rebus, cũ quo ille tandiu familiariter vixisset, & planè eruditus fuisset. *Sexta*: meminit hic scriptor crebrò chori & templi à se invicẽ distincti & aliarũ partiũ tẽpli. Atqui tempore Apostolorũ & 100. annis postea, nõ habuerũt Christiani tã operosa tẽplorũ ædificia, sed initio in domib. cõveniebãt. *Septima*: Jo. Apostolus diuti⁹ Dionysio vixit, fuitq; plerũq; Ephesi, & in Asia minori ubi

ubi & Timotheus egit, qui ei familiaris fuisse scribitur. Quomodo ergo iste Dionysius ausus fuit docere Timotheum habentem tãtum præceptorem; & nõ poti' millies repetendo petiisset ut sibi Timotheus, vel de hac re, vel de alia suam aut Pauli Johannisve sententiã perscriberet. *Octava*: Iste Dionysius in libro de divinis nominibus citat Clementem philosophum de dialectica differentem, ac dicẽtem, quod exemplaria rerum principalia, aut ideæ seu causæ formales sint relativę. Nullus vero fuit alius Clemens philosophus quàm Alexãdrinus, cujus libri jam extant, qui ducentis post Christum annis vixit. Videtur etiam omnino ille locus citatus in fine octavi Stromatum esse, ubi Clemens dicit causas, præsertim formalem esse relativam. *Nona*: Iste Dionysius citat 4. cap. de divinis nominibus Ignatii epistolas; quæ tamen sicut illorum vitæ testantur, sunt post mortem Dionysii Areopagitæ scriptæ. Sic idem citat Evangelium Johannis & Apocalypsin in sua Hierarchia, idque ita tanquam si ea scripta jam diu fuissent pars sacræ scripturæ. At contrà si credimus historicis, utrunq; scriptum Johannes paulò ante mortem, nempe circiter 14. annos post Dionysii mortem, edidit. *Postrema:* Inter epistolas istius Dionysii est una ad Polycarpum scripta, quæ eum alloquitur tanquam jam doctorem & Episcopum. Jam testantur scriptores Dionysium, esse passum in Galliis anno Domini 96. & Polycarpum 166. suæ verò ætatis 86. Unde liquidò apparet, Polycarpum tempore passionis Dionysii adhuc impuberem fuisse. Hactenus Illyricus. Dionysii Mysticã Theologiam Athanasii seculo ignotam arbitratur *Sixtus Senensis Bibliotheca l.* 4. Mihi vehementer placet, quod *Casaubonus exercit.* 16. ait, hunc Dionysium esse scriptorem antiquissimum & elegantissimum, sed non illum, de quo habetur mentio in Actis: & addit, hoc affirmare illos, qui sint penitùs rudes tum linguæ Græcæ, tum antiquitatis ecclesiasticæ.

13. MARTIALIS *Burdegalensis* fuit ante paucos annos in Gallia repertus; & impudenter se appellat, *Apostolum Christi.* Nulla ejus mentio apud Eusebium, Hieronymum vel Gennadium. Bellarminus ait: Sanctus Martialis I Episcopus Lemovicẽsis, dicitur scripsisse duas epistolas, unam ad Burdegalenses, alteram ad Tolosanos. Sed multa sunt, quæ eas epistolas supposititias esse indicare videantur.

14. *Opera* ABDIÆ sunt conficta. Spurium eum & mendacem asserit *Molanus*, *l.* 1. *de fide hæreticis servanda c.* 6. Vide plura apud *Ivell. in Duplicat. cont. Harding. art.* 1. *sect.* 5. Audiamus etiam Bellarminum: vitæ Apostolorum, quæ sub nomine ejus (*Abdiæ.*) circumferuntur, fabulis similiores sunt, quam vitæ narrationi.

15. *Euseb. l.* 3. *q.* 35. *&* 36. *& Hieron.* Septem IGNATII numerãt epistolas: at nunc sub illius nomine habentur 12. Quinque ergo spuriæ: *Ad Mariam Cassabolitam, ad Tarsenses, ad Hieronem, ad Antiochenos, ad Philippenses.* Et si detur genuinas esse: multa tamen admixta sunt quæ non sunt Ignatii. Ut quod dicit epist. ad Philippens. quarta & sexta feria post passionis Dominicæ hebdomadam jejunandum, & prohibet jejunium Sabbathi: cum Augustinus hæc aliter disputet. Item quod dicit: *Quicunque cum Iudæis pascha ederit, comparticipabit iis qui Dominum occiderunt.* Cùm Epiphanius citet Canonem Apostolorum planè contrarium; & historia Ecclesiastica

ſtica aliud doceat. Præterea epiſtolæ *ad Smirnenſes* author, corrigit Salomonem: *Honora* (inquit) *fili Deum & regem*, Prover. 24.8. Ego verò dico: *Honora Deum ut omniū authorem, Epiſcopum verò ut principem ſacerdotum, honorare oportet, & regem. Theodoretus dialog.* 3. citat locum ex hac epiſtola de errore Menandri, qui tamen in ea hodie nō legitur. & Trithemius omiſit. Item Bellarminus ait Græcos codices eſſe corruptos. Epiſtola *ad Epheſios* ſpuria vel ſaltem corrupta. *Theodoretus Cyrenſis in Eraniſte dialogo* 1. *& Gelaſius in libro de duabus in Chriſto naturis contra Eutychen*, citant ex ea teſtimonium, quod in editis exemplaribus non habetur. Circumferuntur etiam tres alię, ad B. Virginem Deiparam una, & ad S. Johannem Evangeliſtam duæ, quibus additur epiſtola B. Virginis ad Ignatium. Sed neque in codicibus Græcis habentur, neque gravitatem eloquii S. Ignatii omninò redolent, ut ſunt verba Bellarmini.

16. *De* PAPIAE ſcriptis judicium *Euſebii eſt, hiſt. libr.* 3. *cap.* 36. eum peregrina de Chriſto loqui & fabuloſa ſcribere, & Apoſtolicas diſputationes non rectè intelligere & millenarios annos ponere.

17. *Hiſtoria* EGESIPPI, quæ hodie extat in Bibliotheca S. Patrum, ſpuria eſt. Nam lib. 3. cap. 5. ait, Antiochiam, tertio loco, ante, ex omnibus quæ in orbe Romano eſſent civitatibus, æſtimatam, quarto demum cenſeri, poſtquam Conſtantinopolis excrevit, civitas Byzantiorum. Verus autem Egeſippus fuit ante Conſtantini tempora, ann. Dom. 160. Hoc ipſo argumento utitur Bellarminus. Deinde Trithemius ait, eum ſcripſiſſe libros Eccleſiaſticorum actuum à paſſione Domini ad ſuam uſq; ætatem. Hi aūt libri cōtinent hiſtoriam de Macabæis, de bello Judaico, & de Urbis Hieroſolymitanæ excidio. Vide plura in Renati Laurentii præfatione.

18. JUSTINUS Chiliaſta eſt in Dialogo cum Triphone. *Libellus quæſt. & reſponſ.* non eſt genuinus. Nam quæſt. 82. & 86. Origenis mentionem facit. Et q. 127. Irenæi, & Manichæorum. Librum de expoſitione fidei Bellarminus judicat non eſſe Juſtini: item epiſtolam ad Zenam & Serenum: denique librum quęſtionum quinque Gentibus à Chriſtianis propoſitarum.

19. Liber *de tranſitu Mariæ* dubius *Melitoni* Sardenſi tribuitur à Trithemio: ſed malè. Apocryphus eſt *diſt.* 15. *cap. Sancta Romana.* Hieronymus hujus non meminit. *Beda in retractatione Actorum c.* 8. ait, falſa multa continere & Melitoni imponi tantum. Idem ſentit F. Suarez in Thomam. Et Bellarminus ait, indignum eſſe librum, qui tanto viro tribuatur.

20. IRENAEUS Chiliaſta fuit. *Euſeb. lib.* 3. *c.* 39. Ambigunt nonnulli, Græcene an Latinè ſcripſerit: quoniam non inveniuntur ejus libri niſi Latinè conſcripti.

21. THEOPHILUS ANTIOCHENUS. *Commentarij* ſub ejus nomine in Proverbia & Evangelium, improbantur ab Hieronymo *Sixtus Sen. Bibliotheca lib.* 4.

22. TERTULLIANUM Eccleſiæ hominem non fuiſſe ait Hieronymus: quia ad Montani dogma eſt delapſus, imò Hæreſiarcha fuit. Obiter hîc obſerva, Tertullianum Deum vocare corpus, ut ſignificet, ipſum eſſe veram ſubſtantiam. Sic enim ait contra Praxeam: *Quis negabit, Deū corpus eſſe, etſi Deus ſpiritus eſt*? hoc eſt, Quis negabit, Deum veram eſſe ſubſtantiam, tametſi ſpiritus eſt.

Libri ejus contra Orthodoxos scripti sunt hi:

Liber *contra Psychicos*, id est, contra Catholicos.

De Monogamia.

De Iejunio.

De fuga in persequutione.

De pudicitia.

De exhortatione ad castitatem, &c.

In his habentur multa semina Papatus. Gelasius omnes ejus libros judicavit apocryphos *dist.* 15.

Librum *de pœnitentia* non esse illius judicavit Erasmus.

Scripsit etiam Montanista librum de corona militis, in quo novam prophetiā explicat.

Opera Tertulliani supposititia, vel dubia, Bellarmino sunt hæc duo: Liber de Trinitate, & Epistola de cibis Judaicis.

23. ORIGENES errorum plenus. Hieronymus ejus scripta venenata appellat. Eusebius etiam & Ruffinus testantur & conquesti sunt ejus scripta ab hæreticis pessime tractata.

Spuria. *Homilia in Lib. Iesu Nave*, quæ abundant Solœcismis, & in Hieronymi Catalogo non sunt.

Tractatus tres in librum Iob, ubi accusantur hæreseos, qui unum Deum & tres personas dicunt.

Homilia dua in Psal. 38.

Homilia 4. posterioris explicationis in Cantica.

Threnorum tractatus unus.

Commentarii in Romanos non fideliter redditi à Ruffino.

Liber *de pœnitentia.* Gelasius dist. 15. dicit Apocryphum.

Homiliæ *in diversos.* In iis mentio Arianorum & Manichæorum. Ex iis si quæ sunt ab eo scriptæ, corrupit eas Ruffinus.

Bellarminus his addit:

Homilias in Leviticum.

Commentaria in Iob.

Homilias in Psalmos.

Tractatum quintum in Matthæum.

24. CYPRIANUS dum Tertullianum nimis miratur, favet aliquando Montanistis.

Spuria, quæ certò non sunt Cypriani, hæc sunt.

Tractatus de Sina & Sion.

De revelatione capitis Iohannis Baptistæ. nā meminit Pipini regis Francorum.

Expositio Symboli meminit Arianorum. Ruffini est, teste Hieronymo.

De singularitate Clericorum. habet vocabula barbara. Inordinabiliter, contubernaliter, conjugalitas, absentare.

Sermones 12. *de cardinalibus operibus Christi*, sunt incerti autoris. Teste Pamelio, & Sixto Sen. lib. 4. bibliothecæ.

Sermo de baptismo Christi contradicit sententiæ Cypriani de hæreticis rebaptizandis.

Liber de laude Martyrii argutias affectat.

Liber de duplici Martyrio Turcarum meminit, qui non fuerunt Cypriani seculo.

Liber de 12. *abusionibus*, ut opinantur Trithemius & Pamelius.

De stella & Magis & Innocentium morte.

Sermo adversus Iudæos.

Librum *Genesis & Sodomæ* Sixtus Sen. ait esse Tertulliani, Bellarminus dubitat.

Passio Cypriani scripta est à P. Diacono anno 807. Sigebertus.

Liber de aleatoribus.

Oratio pro Martyribus.

Oratio sub die Passionis.

Liber

Liber *de pœnitentia Cypriani* dist. 15. cap. S. Romana.

In hoc libro dicitur fuisse magus: quod Perkinso videtur esse falsum: fuit enim professione Rhetor ut Hieronymus ait in Catalogo, & super Jonam cap. 3. qui de Magia nihil: nec Cyprianus ipse in descriptione conversionis suæ libr. 2. ep. 2. nec Pontianus diacon⁹ ejus in vita Cypriani.

Cypriani liber de *unitate Ecclesiæ* corruptus est ad stabiliendum primatum Petri. Hæc enim verba, [*Et illi pascendas mandavit oves suas.* Rursus. *Unam constituit Cathedram.* Item, *Primatus Petro datur ut una Christi Ecclesia, & Cathedra una monstretur.* Et, *qui Cathedram Petri super quam fundata est Ecclesia deserit.*] hæc verba, inquam, desunt in variis MS. exemplaribus. Vide T. Jamesii Catalogum.

Dubia. De *disciplina & bono pudicitiæ.* Et ad Novatianum hæreticum, *quod lapsis spes veniæ non deneganda.*

25. METHODII liber de *creatione* non habetur apud Hieronymum, dubius est. *Io. Simlerus in Bibliotheca.* Libellus revelationum est suppositititius. Bellarm.

26. GREGORII NEOCÆSARIENSIS de Annuntiatione, &c. *homiliæ* dubiæ. Nam vitæ Sanctorum, lectiones item, & hymni eorum festis convenientes, primũ à Carolo constituti sunt circa an. 807. *P. Æmilius l. 2. de Gestis Francorum. Sigebertus ad an.* 807.

27. ARNOBII libri *contra gentes* sunt tãtum septem, ut testatur Hieronymus epist. ad Magnum. Octavus non est ejusdem operis liber. *Sixtus Senens. lib.* 4. Octavus ille liber inscribitur Octavius, & est dialogus inter Christianum Octavium & ethnicum Cæcilium, authore Minutio Felice.

Commentarii sub ejus nõmine *in Psalmos* sunt authoris multò recentioris. *Bellarm. de amiss grat. & statu peccati, lib. 4. ca. 9.* Nam hæreseos Pelagianæ mentionem faciunt.

28 *Concilium* NEOCAESARIENSE canones habet 14. ut dicit Collector Conciliorum, non 24. ut Gratianus ait.

29. Pontificii sugillant EUSEBII CAESARIENSIS historiam Ecclesiasticam; sed malè. Fuerit enim Arianus & Origenis immodicus defensor; fide tamen dignâ historiâ est. Hieronymus dicit: Ecclesiasticam pulchrè Eusebius historiã texuit. Et Basilius vocat eum ἀξιόπιστον.

30. LACTANTII *carmen de passione Christi* est spurium, quia contradicit genuinis scriptis Lactantii, his verbis:

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora.

Præterea nulla ejus mentio in Catalogo operum Lactãtii apud Hieronymum in Catalogo, licet aliorum meminit quæ jam non extant.

Carmen de resurrectione, Venantio ascribitur in Vaticano codice. *Thomasius. Phœnix* authorem Christianum non videtur habuisse. *Idem.* Bellarminus eleganter sic ait de Lactantio: Et quidem opera omnia, exceptis carminibus, Lactantii sunt: & quemadmodum ad eloquentiam Tullianam proximè accedunt, ita erroribus variis sic deformata sunt, ut non sine causa Gelasius Papa in Concilio Romano apocrypha censeri voluerit.

3. DONATIO CONSTANTINI. Cusanus de Concord. Cath. l 3. cap. 2. *Sunt* (inquit) *meo judicio illa de Constãtino apocrypha, sicut fortasse etiam quædam alia longa & magna*

scripta sanctis Clementi & Anacleto Papæ attributa. Constantinus Italiam filiis testamento delegavit, ut ait *Naucler.lib.2.gener.* 11. Non habetur hæc Donatio apud ullum probatum veterem authorem. Imò in antiquis Gratiani codicibus non habetur distinctio de donatione, ut testatur Antoninus 1.part.Histor.tit.8.cap.2. §.8. *Caput* (inquit) *illud non habetur in antiquis decretis, quid ergo & quantum donavit Constantinus, non est bene certum.* Idem asserit *Canus locor.com.lib.*10.*c.*5. Quinetiam decreta Paparum de hac donatione sibiipsis contradicūt. Nam *dist.*96. *c. Constantinus,* dicitur Romana urbs & Italia tota unà cū Imperio Occidentis donari Sylvestro. Sexti verò decretalibus *l.*1.*Tit.*6.*de Electione, c. Fundamentum*: Urbis tantum donatæ mentio fit. Naucler.vol.2.Gen.11.ita scribit: *Qualia autem & quæ Constantinus Ecclesiæ donaverit Romanæ, variant in hoc scribentes. Tex.in c. Constantinus, refert eum concessisse B. Sylvestro & Ecclesiæ Romanæ, urbem Romam, Italiam & omnium Occidentalium regionum provincias, ut habetur* dist.96.c. Constantinus. *Alii dicunt textum istum paleam esse, & nihil probare: quod credibile redditur. Nam Constantinus postea præmissa regna filiis suis testamento reliquit, quæ etiam abinde successionis jure in manibus remanserunt Imperatorum & regum Catholicorum. Ad quod non facit modicum* ca. Fundamentum, de elect. l.6. *loquens de Donatione Constantini. tantum dicit de urbis Romanæ donatione: Italiæ & aliarum provinciarum nullam faciens mentionem. Sed nec* can. Futuram.12. quæst. 1. *qui tex. asserit, quòd Constantinus fidem veritatis adeptus dedit licentiam per universum orbem sub suo degentibus Imperio, eos non solum fieri Christianos, sed etiam fabricare Ecclesias, & prædia constituit tribuenda, donariaque immensa tribuit, & fabricam templi primamque sedem B. Petri instituit, adeo ut sedem Imperialem relinqueret, & B. Petro ac successoribus ejus profuturam concederet. Pro hac parte facit, quòd quæ hodie dicuntur de patrimonio Ecclesiæ, ferè omnia inveniuntur à sequentibus principibus donata, alii aliter sentiunt, vincat veritas.* Rursus: *De dono ejus aut concessione apud nullos extat authores, præterquam in libro Decretalium. idque in antiquis voluminibus minimè contineri author est Antoninus præsul Florentinus in Chronicis. Quod valde miror; cum Isidorus qui fuit ab hinc anno* 800. *gravis author ac planè sanctus, in historia sua apertè dicat eum urbe Roma Pontifici cessisse.* Hæc Nauclerus.

32. NICENI *Canones* ultra 20. spurii. Theod. l.1.c.8. viginti agnoscit de Ecclesiastica politia non plures. Ergo 70. Canones editos fuisse à Patribus fictum est. Præterea Canones isti in tomis vulgaribus corrupti sunt. Apud Ruffinum veri Canones habentur, ut testatur Cyrillus in epist. ad Concil. Carthag. Extat in Tom.1. Concil. in actis Concil. African.

33. *Epistola Synodi Nicenæ ad Sylvestrum,* fictitia. In ea dicitur Macarius esse Episcopus Ecclesiæ Constantinopolitanæ: quæ tamen eo tempore nulla in universo orbe fuit.

34. Idem de *Rescripto Sylvestri* sentiendum.

35. Ejusdem farinæ sunt *Canones Arabici* 80.

36. *Concilii* SINVESSANI nullus antiquus author meminit. In eo dicitur Diocletianum verba habuisse cum Marcellino, ꝙ falsum est. *Sigonius de regno Occidentali, lib.*1. *Præfatio item hujus Concilii* in primo tomo Concil. incerti authoris est; & proinde nullius fidei.

37. *Synodus* ARELATENSIS secunda apertissi-

apertissimè depravata & incerti temporis. Dicitur enim habita sub Constantino & Sylvestro: in ea tamē fit mentio Bonifacorum ca. 17. & Concilii Vasensis 1. c.28. quod fuit sub Leone I.

38. *Chronicon* EUSEBII est corruptum. In eo Petrus (inquit) Christianorum Pontifex primus, cùm primùm Antiochenam Ecclesiam fundasset, Romam proficiscitur, ubi Evangelium prædicans 25. annis ejusdem urbis Episcopus perseverans. at contrà in historia lib. 3. c.1. ait Petrum in Ponto, Galatia, Cappadocia, & Asia prædicasse, & circa finem vitæ Romæ constitutum, cruci affixum esse. Vide etiam cap. 4.

39. *Concilii* SARDENSIS Can. 3.5.7. suspectæ fidei. In his enim conceditur appellatio ad Papam: & statutum est ei licere mittere legatum à latere, qui ejus nomine in provinciis alienis lites componat. Verùm *Augustinus epistola ad Celestinum* ait, ut aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere mittantur, nullâ invenimus Patrum Synodo constitutum. *Et contra Crescon. lib. 3. c. 34.* nullum Sardicense Concilium agnoscit nisi hæreticum. Et hæc est sententia *Cusani l. 2. c. 25. de concord. Cath.* Pugnant etiam apertè cum canone 5. Nicenæ Synodi. Interim alii censent canones non esse fictitios, sed de privilegio in Julium Papam extra ordinem collato intelligendos; & Constantinopolitanæ synodi canone 2. antiquatos.

40. *Concilia* ROMANA sub Constantino & Sylvestro spuria. horum historici non meminerunt.

41. ATHANASIUS. *Evagrius lib. 3. c. 31.* ait Apollinarii libros sub Athanasii nomine venditatos à Nestorianis ac Eutychianis.

Spuria ipsius scripta sunt ista.

Liber *de variis quæstionibus sacræ scripturæ ad Antiochum principem*: in eo Magnus Athanasius citatur quæst. 23. Et mentio fit Sancti Gregorii Nazianzeni quæst. 117. & 129. Theologiam quoque Mysticam Dionysii allegat, Athanasii sæculo ignotam. *Sixtus Senensis, lib. 4.*

Quæst. 16. de veneratione crucis, Septimæ Synodi actione 4. tribuuntur Leontio cuidam, qui circa tempora Mauritii vixit.

Tractatus de definitionibus Theologicis. Ibi citatur Nyssenus.

Disputatio Laodiceæ habita de fide inter Arium & Athanasium. Author indicat Arium hunc fuisse, non hæresiarcham sed alterum. Cassander Vigilii Martyris esse vult.

Commentaria in omnes epistolas Pauli sub nomine Athan. Theophylacti sunt.

Exhortatio ad Monachos.

Libellus de passione imaginis Christi crucifixi in Berytho Syriæ: contigit enim in anno 764. Sigebertus.

Epistola ad Marcum Papam pro exemplaribus Niceni Concilii, quia exempla quæ erant Alexandriæ, fuerunt cremata ab Arianis, unà cum *Marci rescripto.* Hæc incensio librorum fuit sub Constantio. *Athanasius epist. ad orthodoxos.* Marcus autem Papa eo tempore fuit defunctus. *Bellar. de Pontif. l. 2. c. 25.*

De unita Deitate Trinitatis, libri septem.

Epistola Secunda ad Serapionem de Spiritu Sancto.

Hi libri vulgo constituunt quartum tomum operum Athanasii: de quo Bellarminus ita pronuntiat: In hoc tomo nihil ferè est, quòd verè sit Athanasii: Rectè autem dicit ferè: quia in eodem

tomo continetur *Synopsis totius Scripturæ*: quæ est Athanasii.

Scripta ejusdem dubia.

Tractatus de incarnatione Christi.

De salutari adventu.

Contra hæreses, Sermo.

Ad Maximum Oratio decimasexta.

Epistola ad Marcellinum de interpret. Psalmorum.

De virginitate, Sermo.

Testimonia è sacra Scriptura.

Sermo de passione Domini. Hîc citantur quæstiones ad Antiochum, quæ nō sunt Athanasii. juramenta vetat.

Epistola ad omnes fratres per Ægyptum, &c.

Sermo de Deipara Virgine. In eo refutatur error Nestorii: scriptus ergo fuit post Concilium Ephesinum.

Sermo in illud Evangelii: Qui dixerit, &c.

Disputatio in Niceno Concil. contra Arium.

Epistola ad solitariam vitam agentes, partim epistola est, partim fragmentum alterius operis. Et quædam promissa dicuntur, quæ ibi jam non extant. *Author editionis Commelinianæ.*

Scriptum de vita Antonii dubiæ fidei. Nuper fuit additum operibus. In multis nugatorium est. Bellarminus quidem illud prolixè laudat: sed fabulæ, quæ ibi occurrunt, reclamant.

Homilia de Semente.

Declaratio Levitici.

Epistola ad Felicem *Papam* ait, *Romana Ecclesia est sacer vertex, in quo omnia vertuntur.* hæc allusio nō est, nec esse potest in Græco. ergo Latinè potius scripta. Præterea multa in hac epistola dicuntur, quæ Athanasio non conveniunt, ut quod dicit Romæ sumptum prædicationis exordium: & in Niceno Concilio decretum esse, debere provocationem fieri ad Roman. Episcopum in omnibus causis. *Iullus.*

Epistola ad Liberium Papam in I. Tom. Concil. in allegationibus scripturæ inepta: & proinde Athanasio nō tribuenda.

42. *Synopsis sub* DOROTHEI *Tyrensis* nomine & falsò ei ascribitur, & plena est fictis narrationibus. Inter disc. 72. numerat Eunuchum reginæ Æthiopum: & Juliam fœminam Episcopum facit: & Cæsarem, cujus mentio Epistola ad Philip. id est, Neronem, Episcopum fuisse dicit. *Bellarminus* ait: Ipsa verò synopsis plena est fabulis.

43. DAMASI *epistolium* Tom. 2. operum Hieronymi Erasmus ei putat falsò ascribi. Tribuitur etiam ei liber de vitis Pontificum: sed liber ille est Anastasii bibliothecarii. *Bellarm.* Conciliorum editio Veneta concedit, pugnare cum probatis historiis.

Et Epistola 4. *ad Episcopos Numidiæ* spuria est. Nil enim tum Episcopus Romanus commercii habebat cum ecclesiis Africæ: qui tamen in hac epistola edicta sua proponit, & non servantibus minatur.

Bellarminus ait: Vera ejus (*.Damasi.*) scripta non extant: exceptis paucis epistolis, quarum aliquæ sunt inter epistolas S. Hieronymi, aliquæ in historia Theodoreti lib. 2. cap. 22. & libr. 5. c. 10. & 11.

44. *Opera* EPHREMI. Edita ab eo Syriacè nunc non habentur nisi vel Latinè vel Græcè.

45. GREGORII *Nysseni oratio Catechetica de anima*, corrupta ab hæreticis. *Niceph. l. 11. c. 19.*

Libri octo de philosophia non videntur esse S. Gregorii Nysseni, ait Bellarm.

De festo purificationis *orationes Amphilochii*,

philochii, *Gregorii Nysseni*, *Chrysostomi*, *Cyrilli Alexandrini*, & *Andreæ Cretensis* apud Lippomanum & Surium supposititiæ; quia hoc festum fuit Justiniani tempore institutum. Vide *Durand. Enchir. lib.* 7.

46. GREGORII NAZIANZENI *Tragœdia* non sapit stylum Gregorii, neque versum Jambicum, more Gregorii, accuratè observat. Euripidem videtur imitari. *Fulco & Bellarminus.* *Metaphrasis in ecclesiasten* non est Gregorii Nazianzeni, sed Gregorii Thaumaturgi. *Bellarm.*

47. CYRILLI HIEROSOLYMITANI *Catecheses* dubiæ. Josias Simlerus. In Indice, inquit, librorum Græcorum quos respub. Augustana emit ab Antonio Eparcho Corcyro, nominantur Johannis Episcopi Hierosolymitani Catecheses φωτιζομένων 18. & μυσταγωγικαὶ quinque. Quare videndum est ne fortè Johannis sint, qui longè posterior fuit Cyrillo, quæ tamen alteri de industria fortè ascripta sunt, ut plus authoritatis haberent. *In Bibliotheca.*

Cyrilli Hierosol. *epistola ad Aug. de miraculis Hieronymi* spuria. Constat Cyrillum ante Hieronymum obiisse. Et author Sabinianum damnat quod duas in Christo voluntates ponit.

48. BASILII scripta dubia, vel saltem corrupta.

Liber de Spiritu Sancto: in cujus medio inserta quædam cēset Erasmus, quę non redolent characterem Basilii.

Ascetica in catalogo monumentorum ejus in Monodia Nazianzeni, non habentur. Eustathius qui apud Armenos instituit vitam monasticam illorum author nonnullis visus. *Sozom. lib. 3. c. 13. Niceph. lib. 9. c. 16. & lib. 13. c. 29.*

Regula sub nomine *Basilii* dubia. Ejus nulla mentio apud Nazianz. & sub ejus nomine est alia quæ 35. capita tantùm habet. Sunt in eâ quædam quæ cum Basilii scriptis non conveniunt.

Libellus de vita Basilii sub nomine AMPHILOCHII spurius: & fabularum est plenus, & cum historiis pugnantia tradit. Vide *Ivellum Duplicat. contr. Hard. art.* 1. *sect.* 33.

Basilii *epistola ad Cæsaream Patriciam* dubiæ fidei.

49. *Preces ad finem ἁμαρτιγενείας* falsò ascriptæ PRUDENTIO. Giselinus seorsim excusas vidit, non indicato authoris nomine, & contradicunt apertè odæ 7. libri καθημερινῶν, dicendo, *Non posco beata——In regione domum, &c.* Dictum impium & non tribuendum Prudentio. Vide *catalogum Illyrici, editum an.* 98. *p.* 186.

50. AMBROSII *spuria.*

Sermones breves ad Populum 92. nam horum aliqui reperiuntur inter Sermones Aug. ut 25. est 9. Augustini. 38. est inter Sermones de Tempore 73. & 69. est 31. Sermo de Sanctis. Ser. 19. de verb. Dom. est inter Ambrosianos 7. & 25. de verbis Apostoli est apud Augustinum 9. & inter Ambrosianos 37. fuit de Tempore 77. & inter Ambrosianos 68. est apud Augustinum de Sanctis 26. Inter Ambrosianos primus, est apud Aug. de Sanctis 31. & secundus, 33. Vide Bellarminum.

Sermo de Agnete. In fine hæc verba habentur. Hæc ego Ambrosius.

Sermo de baptismo Augustini, ornat eum cuculla nigra, & falsò monachatus authorem facit.

Sermones 3. 14. 30. 31. 32. 34. 44. 47. 50 51. 52. 53. 54. 56. 57. 58. 60. 61. 62. 66. 71. 77 78. & 82. sunt ad verbum inter Sermones S. Maximi. *Bellarm.*

Ejusdem

Ejusdem generis *Liber de Salomone.*

Preces præparatrices ad Missam non sunt Ambrosii : ibi adoratio Sacramenti stabilitur.

Liber *de Apologia David.* Bellarm.

De vocatione gentium libri duo, qui falsò ascribuntur Ambrosio; vel etiam Prospero Aquitanico, qui in carminibus cōtra ingratos universalem gratiam & redemptionem oppugnat, quæ tamen in prædictis libris astruuntur. Bellarminus tamen putat, Prosperi esse.

Liber ad devotam virginem.

Liber ad virginem lapsam. nam declamatio est, & propemodum tota in epistola Hieronymi ad matrem & filiam, extat. *Hospin.*

Liber *de interpellatione David.*

Liber *de viduis* pugnat apertè cum Comm. ad Rom. c.1.

Commentarii in Hebræos potiùs Remigii esse videntur, vel Anselmi. Et omninò commentaria in epistolas S. Pauli, à multis non creduntur Ambrosii, nec sine causa. *Bellarm.*

Historiam Egesippi ex Græco conversam esse ab Ambrosio, non credibile Erasmo.

Commentaria in Apocalypsin. Six. Sen. Biblioth l.4.

Ambrosii liber *de fide contra Arianos* Nazianzeno tribuitur; in Latina operum ejus editione, Ruffino interprete.

Ambrosii *Missale* mentionem facit festi Assumptionis, quod non fuit receptum nisi posterioribus seculis.

Scriptum *de vita Gervasii* apud Ambrosium est spurium. nonnulla enim habet pugnantia cum scriptis genuinis Ambr.

Epistola 84. Prosperi est. *Suarez.*

51. *Opera* HIERONYMO falsò ascripta communi omnium judicio.

Traditiones Hebraicæ in libros 3. *Regum & Chronicorum.* Sixtus Sen. libr. 4. & Lyranus.

Præfationes in { *Baruch.* / *Maccabæorum libros* 2. / *Psalterium* 2. / *Parabolas Salomonis.* 2. }

Homiliæ 4. *in Cantica.*

Loci Hebraici in Acta. Citant Hieronymum in cap. 27.

Commentarii in Threnos Ieremiæ. Sixtus Sen. lib. 4. Rabani Mauri sunt, vel Bedæ, ut censuit Erasmus.

Commentarii in Marcum cum præfatione. Sixtus Sen. lib.4.

Præfat. in Lucam & Iohannem.

Commentarii in Psalmos. Lindanus, Canus, Erasmus, Bruno.

Præfatio & commentaria in Iob. Sixtus Sen. lib. 4. Hæc commentaria Marianus Victorius tribuit Bedæ : & rectè juxta Bellarminum.

Comment. lib.3. in Proverbia Salomonis. in cap. 31. citatur Gregorius. Hæc quoque commentaria rectè tribui Bedæ, censet Bellarminus.

Comment. in 13. *epist. Pauli* Sixtus Sen. lib.4.

Epistola ad Demetriadem Pelagii est. *Greg. Arimin.* 2. *d.*26.*q.*1 *art.* 3. Non Hieronymi esse, sed Pelagii, clarè patet ex *Aug. de gratia Christi & peccato orig. c.* 37. & 38. in quibus verba Pelagii ex epistola, quam se ad Demetriadem virginem scripsisse commemorat, recitantur, quæ vicina sunt allegatis. Idem patet ex *epistola Aug. ad Iulianam,* matrem prædictæ Demetriadis, in qua etiam recitat verba Pelagii in epistola eadem contenta.

Epistola

Epistola ad { Geruntii filias. | Marcellam virginem in exilium missam. | Anneum ægrotum de viro perfecto. }

Institutio amici in scientia divinæ legis.

De tribus virtutibus.

De assumptione Mariæ Sermo, ad Paulum & Eustochium.

De honorandis parentibus.

De septem gradibus Ecclesiæ, ad Rusticũ Narbonensem Episcopum.

De laude virginitatis, ad Mauritii filiam.

De his quæ Deo in scripturis attribuuntur.

Symboli explanatio ad Damasum.

Explanatio fidei ad Cyrillum.

Ad Præsidium diaconum de Cereo paschali.

De celebratione Paschæ.

In Susannam lapsam objurgatio.

In Evagrium objurgatio ob Levitam.

Hortatio ad militem sæculi.

De 10. tentationibus Israëlitarum.

Explanatio in psal. 40. & 117.

Ad Dardanum de generibus musicorum.

De resurrectione Domini, Sermo.

De nativitate Domini, Sermo.

De epiphania Domini, Sermo.

De Quadragesima, Sermo.

Ser. 10. in vigilia Paschæ de esu agni.

Ad Eustochium de vinculis Petri.

De observatione vigiliarum.

Ad Pammachium & Oceanũ exhortatoria.

Ad quendam qui in sæculo pœnitebat.

De diversis generibus leprarum.

De duobus filiis frugi & luxurioso.

Regula monachorum per Lupum de Oliveto collecta.

Dialogus sub nomine Hieron. & Augustini.

Homilia de corpore & sangvine Domini.

Homilia super Evang. Matthæi.

Apologia pro Origene. non est Pamphili Martyris.

Catalogus scriptorum aliquot ecclesiasticorum.

Epist. ad Tyrasium super mortem filiæ.

Ad Oceanum de ferendis opprobriis.

Hieronymi responsio ad epistolam Damasi.

Ad Paulum & Eustochium de virtute psalmorum.

Ad Damasum de oblatione altaris.

Regula monachorum c. 41. continens.

Chromatius & Heliodorus Hieronymo.

Hieronymus Chromatio & Heliodoro.

De nativitate Mariæ.

Eusebius de morte Hieronymi ad Damasum.

Augustinus de magnificentiis Hieronymi.

Vita Hieronymi incerto authore.

Tractatus dubiæ fidei.

Hieronymi epistola ad Augustinum. Quum in urbe.

Alia ad eundem, Anno præterito.

Epistola ad Apronium.

Hierony. Theophilo, Beatitudo tua.

Hierony. ad Celantiam.

Comitis liber, quem Micrologus *Lectionarium* vocat. cap. 25. fertur sub nomine Hieronymi. *Honorius l. 1. c. 88.* sed authoris est multò recentioris.

Bellarminus ait, plurimos libros & epistolas commemorari, in quibus nihil sit, quod Hieronymi doctrina vel fide dignũ sit, Colophonis loco notetur illud. *Distinct. 16. cap. Sancta Romana* Hieronymi judicium approbatur, de Origene, de Ruffino, & de universis, in quibus illos reprehendit.

52. CHRYSOSTOMI *spuria* ex Sixto Senen. Biblioth. lib. 4.

Commentarii in Psalmos non sunt Chrysostomi.

Non epistola sexta ad Theodorum.

In Gen. c. 2. homilia 1. quæ incipit: Dignitas humanæ originis.

In Gen. cap. 2. hom. 1. incipiens, Deus institutor mundi: quæ collecta est ex centonibus Augustini; suntque in ea duo integra capita, ex libro de Ecclesiasticis dogmatibus transcripta, nempe trigesimum primum, & trigesimum secundum. Bellarminus ait: Liber iste habet authorem Chrysostomo posteriorem. Et addit: Aliæ quoque sunt nonnullæ (*homiliæ.*) quæ dubiæ fidei videri possint.

In Genes. cap. 2. hom. 1. Jubetur Adam.

In Gen. cap. 3. hom. 1. Deus sine initio.

In Gen. cap. 3. hom. 1. Quotiens mecum temporis.

In Gen. cap. 3. hom. 1. Christiano cum hoste.

In Gen. cap. 15. hom. 1. Fides est Religionis.

In Gen. cap. 25. hom. 1. Portabat Rebecca.

In Gen. cap. 37. hom. 1. Filii autem Jacob.

In Exod. cap. 17. hom. 1. Stabat Moyses.

In Iud. c. 11. hom. 1. Deus, qui voluit.

In 1. Reg. 13. hom. 1. Dominus Deus cum David.

In 2. Reg. 7. hom. 1. Imitatores Christi.

In 2. Reg. 17. hom. 1. Perdidit Absolon.

In 3. Reg. 17. De Helia hom. 1. Gloriosos olim.

In idem hom. 1. Cum gesta peccata.

In 4. Reg. 2. de ascensione Heliæ. hom. 1. incipiens, Apud quosdam veteres. Hanc *Beda in Quæstionibus libri Regum* putat esse Chrysostomi; sed stylus resipit autorem ejus homiliæ, cujus initium est, *Exulta cœlum, & in lætitia esto terra.* quæ ponitur inter pseudepigrapha Hieronymi, in die Dominicæ resurrectionis, & inter sermones Eusebii Emisseni.

In 4. Reg. 5. De Naaman, hom. 1. Cum Naaman.

In 4. Reg. 6. De Heliseo, hom. 1. Et si frequenter.

In Iob. cap. 1. hom. 1. Veruntamen fratres charissimi.

In Iob. cap. 1. hom. 1. Athletam in certamen.

In librum psalmorum Præfatio, incipiens, Post Mosem.

In lib. psal. Præfatio altera, incipiens: Omnis scriptura.

In Psal. 1. hom. 1. Beatitudo est omnium.

In psal. 2. hom. 1. Quemadmodum qui in Solem.

In psal. 9. hom. 1. Creatoris omnium rerum.

In psal. 9. hom. 1. Deus generis nostri.

In psal. 13. hom. 1. Quemadmodum cum Dominus.

In psal. 14. hom. 1. Est pulcher psalmus.

In psal. 22 hom. 1. Circulo consecrato.

In psal. 24. hom. 1. Viatores arctæ & angustæ viæ.

In psal. 25. hom. 1. Filii lucis.

In psal. 26 hom. 1. Ex plenitudine verbi.

In psal. 29. hom. 1. Celebritas confessionis.

In psal. 33. hom. 1. Sermo divinus.

In psal. 37. hom. 1. Sæpè à nobis.

In psal. 38. hom. 1. Et quomodo potest psalmus.

In psal. 39. hom. 1. Nec hunc quidem psalmum.

In psal. 40. hom. 1. Nonnulli quidem.

In psal. 40. hom. 1. Etiam si propheta.

In psal. 42. hom. 1. Hic psalmus est.

In psal. 42. hom. 1. Cohæret priori.

In psal. 68. hom. 1. Qui orationibus.

In psal. 71. hom. 1. Dominus virtutum.

In psal. 84. hom. 1. Omnis, qui se agnoscit.

In psal. 90. hom. 1. Psalmum nonagesimum.

In psal.

*In psal.*93.*hom.*1. Adversus fluctus.

In psal. 95. *hom.* 1. Egregium vereque mirandum.

*In psal.*69. *hom.*1. Ictus à vipera Paulus.

*In psal.*106.*hom.*1. Spiritus sanctus.

*In psal.*115.*hom.*1. Narratur quod apiculæ.

*In psal.*118.*hom.*1. Benignitas Dei.

In psal. 110. *hom.* 1. Veritatem prædicandam.

*In psal.*121.*hom.*1. Dominus noster.

*In psal.*142.*hom.*1. Judicia Domini sicut abyssus multa.

*In Esaiæ cap.*1.*hom.*1. Si volueritis, & audieritis.

*In Esa.*9. *hom.* 1. Christus unà cũ patre.

*In Esa.*42.*hom.*1. Vita innovata.

*In Esa.*62.*hom.*1. Quoniam tẽpus venit.

In Ierem. 1.*hom.* 1. Magnum Jeremiæ meritum.

*In Dan.*3. *De tribus pueris, hom.* 1. Trium puerorum sermo.

In Dan. 13. *De Susanna*, *hom.* 1. Divinæ lectiones.

*In Zach.*6. *hom.* 1. Nobiles genere.

Opus imperfectum in Matthæum Chrysostomi esse putant etiam quidam Catholici, alii negant, quia sapit Arianismum. ab omnibus tamen ob variam eruditionem commendatur. Bellarminus sic scribit hac de re: Cujuscunque sit opus, aut ab hæretico aliquo compositum fuit, aut ab hæretico aliquo corruptum: quamvis alioqui liber sit doctus, & minimè spernendus.

*In Matth.c.*2.*hom.*1. Hoc futurum.

*Hom.*1. Dedicatur novus.

Hom. 1. In eo quod dixit.

In 4.*Hom.*1. O incomparabilem.

In 5.*hom.* 1. Non tantùm.

In 5.*hom.*1. Cùm nobis pro officio.

In 5.*hom.*1. Per omnia.

In 6.*hom.* 1. Dominica.

Hom. 1. Sicut in superioribus.

Hom. 1. Series Lectionis.

In 7.*hom* 1. Omnibus notam.

In 9.*hom.*1. Christum in.

*Hom.*1. Multæ tempestates.

In 14. *Hom.*1. Hodie nobis.

*In.*15.*hom.*1. Miratur.

In 18.*hom.*1. Videtur.

*Hom.*1. Exercitia.

*Hom.*1. Magnum.

In 19.*hom.*1. Justus.

*Hom.*1. Quoniam.

In 20.*hom.*1. Postquam.

*Hom.*1. Proximè.

In 21.*hom.*1. Puto.

*Hom.*1. Si ad arborem.

In 22.*hom.*1. Omnis malitia.

*Hom.*1. Frequenter.

In 26.*hom.*1. Ad hodiernum.

*Hom.*1. Secundum Salvatoris.

In 27.*hom.* 1. Evangelicæ.

*Hom.*1. Sufficiens.

*In Marc.hom.*1. Animal.

*Hom.*1. Nunc veniamus.

*Hom.*1. Videre.

*Hom.*1. Quoniam.

Hom. 1. Instruxerat.

In 5.*hom.*1. Interrogat.

In 8.*hom.*1. In superiore.

*In.*9 *hom.*1. Jurat.

In 10 *hom.*1. Quoniam.

In 11.*hom.* 1. Iste qui.

*Hom.*1. Ingreditur.

Hom. 1. In evangelio.

In 13.*hom.*1. Evangelica.

*In Luc.*1.*hom.*1. De sol.

In 2.*hom.* 1. Joseph autem.

In 10.*hom.*1. Tum dixit.

In 15.*hom.*1. Omnium.

In 16. *hom.* 1. Quoniam dixerat.
In 19. *hom.* 1. Si per Christum.
In Ioh. 1. *hom.* 1. De Johanne dicitur.
In 4. *hom.* 1. Innumera.
In 11. *hom.* 1. Grandi fratres.
In 14. *hom.* 1. Dominus Christus.
In 20. *hom.* 1. Maria.
Hom. 1. Hoc ergo.
In 1. *Cor.* 13. *hom.* 1. Apostolus Paulus.
In 1. *Cor.* 15, *hom.* 1. In hesterno fratres.

MISSA CHRYSOSTOMI, *spuria.* Habet precationem pro Imperatore Alexio, qui vixit longè pôst Chrysostomũ: & pro Nicolao sive Papa, sive Patriarcha Constantinopolitano. Exemplaria multùm variant. Inter Sanctos qui ibi cõmemorantur, ipsius Chrysostomi fit mentio: ergo non ab illo conscripta, sed ab aliis sub illius nomine diversis temporibus, variis editionibus cõsuta. Et illa inprimis quæ dicũtur de cultu imaginis Christi, supposititia sunt. Nã Chrysost. in veris scriptis artem pingendi superstitiosam existimavit. homil. 50. in Matthæum. Et Synodus Nicena 2. undique corradens testimonia pro cultu imaginum, nusquam tamen hanc Liturgiam citavit.

Ejusdem est generis *homilia de natali Petri & Pauli*, apud Surium.

Homiliæ nonnullæ ad populum Antiochenum ex variis tum locis tum authoribus consutæ sunt, ut hom. *66.* verba [*qui purpuram indutus est.—stat Sanctis supplicaturus, &c.*] totidẽ ferè verbis leguntur inter Sermones Augustino inscriptos *de S. Paulo.* Bellarminus ait: In quinto tomo omnia ferè sunt certa, & indubitata, exceptis homiliis ad populum Antiochenum: & apertè colligitur ex contextu illarum, permultas esse fragmenta homiliarũ Chrysostomi in Matthæũ, vel in Johanné &c.

53. AUGUSTINI *spuria scripta* communi omnium judicio.

I. Tom. *Regulæ clericorum fragmentum. Regula secunda*: &, *de vita Eremitica.*

Erasmus etiam vult *tertiam regulam* esse confictam, quæ appellatur *virorum* vel *ad Servos Dei.* Et Polydoro non est visum has ab Augustino regulas conscriptas. Bellarminus ait: In hoc tomo, ut notum est ex libris Retractationum, sola duo opera dubia esse possunt, Regulæ, & de vita eremitica, quorum non fit mentio in libris Retract. Et quidem ex tribus regulis, sola tertia est certa Augustini.

II. Tom. Epistolæ Spuriæ.

Epistola quæ fuerat CXI. cujus loco substituit Erasmus *epistolam ad Fortunatianum.*

Epistola CXLII. *ad Demetriadem virginem.*

Epistolæ sedecim Augustini ad Bonifacium & Bonifacii ad Augustinum, à 181. ad 199.

Epistola Augustini Cyrillo Hierosolymitano de laudibus Hieronymi.

Epistola Innocẽtii quæ 93. est apud Augustinum, *spuria* est Erasmo.

Epistolæ ultra 242. omnes recenter à Lovaniensibus additæ.

III. Tom. *De Ecclesiasticis dogmatibus liber.* dicitur esse *Gennadii.* VValefridus de rebus ecclesiasticis c. 20. Thomas in catena, ad primum caput Matthæi. Verùm quæ interseruntur à cap. 21. ad cap. 52. sunt authoris multò recentioris: & author videtur Pelagio favere. Bellarminus ait, hunc librum esse conflatum præcipuè ex sententiis Concilii Arausicani, Innocentii, Zozimi, Cœlestini, & ipsius Augustini.

De fide ad Petrum Liber unus. Fulgentio ascribitur *à Bertramo. Libr. de corpore & Sang. Domini.*

De mira-

De mirabilibus Scripturæ liber. Disserit author de Computo annorum per cyclos lib. 2. c. 4. libri ergo scripti sunt post 600. annos à Christo. Bellarminus ait, librum esse indignum ingenio, & gravitate S. Augustini, quem etiam non magnifecit, & S. Augustini esse negavit *S. Thom. 3. p. q. 45. art. 3. ad secundum.*

De Spiritu & anima liber. citat Boethiũ cap. 37. Hugoni de S. Victore ascribitur à Trithemio.

Quæstiones de Trinitate. Bellarm.

De benediction bus Patriarcharum.

IV. Tom. *Liber de 8 quæst. Dulcitii.*

Liber quæst. 21. & quæst. 65. Bellarm.

Quæstion. veteris & novi Testamenti. Hunc librum Bellarminus existimat esse alicujus hæretici.

De incarnatione Verbi.

De Trinitate & Vnitate Dei.

De essentia divinitatis.

De fide rerum invisibilium.

Ce vera & falsa pœnitentia: in his citatur Augustinus.

De salutaribus documentis.

De amicitiâ.

DUBII.

Liber de Continentia.

Liber de Patientia.

Liber de bono viduitatis.

Liber quæst, 33.

VI. Tom. *De altercatione Ecclesiæ & Synagogæ.*

DUBII TRACTATUS.

Oratio de 5. hæresibus.

Hunc libellum Erasmus negat esse Augustini: cui Bellarminus contradicit.

De unitate Trinitatis contra Felicianum liber.

Tractatus de Epicureis & Stoicis.

Tractatus in illud, Ego sum qui sum. Hic tractatus, ut & præcedens, non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo. Bellarminus tamen censet, tractatus hos pulcherrimos esse, & Augustino dignissimos.

VII. Tom. *Contra Fulgentium Donatistam.* Ejus mentio non habetur in Retractationibus, neque in Indiculo.

Liber hypognosticôn.

De prædestinatione & gratia. Bellarm.

Liber de prædestinatione Dei. Bellarm.

Responsio ad articulos sibi falsò impositos. Prosperi est, & inter ejus opera habetur.

IX. Tom. *Expositio in Apocalypsin Ioannis.*

De diligendo Deo.

Soliloquia.

Manuale.

De triplici habitaculo.

De scala Paradisi.

De 12 abusionum gradibus.

De contritione cordis.

De Speculo.

De vita Christiana.

De assumptione Mariæ.

De contemptu mundi.

De vanitate sæculi.

De obedientia & humilitate.

De bono disciplinæ.

De visitatione infirmorum. Bellarm. l. 1. de extrema unctione. c. 4.

De visitandis infirmis.

De consolatione mortuorum. lib. 2.

De laudibus Charitatis, tractatus.

De sobrietate & castitate.

Speculum peccatoris.

De conflictu virtutum & vitiorum.

De rectitudine catholicæ conversationis.

De creatione primi hominis.

De arbore scientiæ boni & mali.

De Antichristo.

Super Magnificat. Atque hi libri sunt mani-

manifestè suppositítii in tomo nono.

Tractatus Dubii.

Liber de Agricultura Dominica, sive de feria quarta.

Liber meditationum.

Sermo de Catalcysmo.

De tempore Barbarico.

De 4. virtutibus Charitatis.

De utilitate jejunii.

De pugna animæ.

De urbis excidio.

De bono disciplinæ.

De pœnitentiæ medicina, liber. Et *de utilitate pœnitentiæ.*

X. Tomo.

Spurii Sermones.

De revelatione Stephani.

Sermones ad fratres in Eremo.

Hos Bellarminus dicit magna ex parte videri confictos.

Sermones de verbis Domini. 3.14.18.19,20. 22.28.34.38.47.52.54.56.57.58.

De verbis Apostoli 21.25.26.34.35.

Bellarmini judicium: Homiliæ, sive Sermones de Verbis Domini, & de verbis Apostoli, aut omnes, aut ferè omnes Augustini sunt: multi enim habentur in Indiculo Possidii, & qui non habentur, similes sunt aliis, sive gravitatem sententiarum, sive stylum & verba considere̱s.

Libri 50 homiliarum. 2.3.4.7.9.10.15.21. 22.30.31.41.45.46.

Bellarminus ita judicat: Liber quinquaginta homiliarum totus, aut ferè totus Augustini est: eâdem ratione; quam scil. dixit ad præced. sermones de verbis Domini, & de verbis Apostoli.

De tempore. 9.10.11.18.24.28 33.37.38. 39.43.47.48.51.59.62. dicit non iejunare in quadragesima peccatum esse: hoc tamen negat in genuinis scriptis. Epist. 118. ad Jan. ca. 4.63.68.77.95.96.97.99.113. 114.115. Nam articuli Symboli Apostolici non fuerunt Augustini seculo in eum ordinem, quo hîc habentur, digesti. Ille enim in libro de Symbolo ad Catechumen. omittit *descensum ad inferos*, & *vitam æternam*: Chrysost. tom. 5. de Symbolo omittit *communionem Sanctorum*. 117. 118. 120.121.125.128.130.132.136.137.138.152. 156.157.158.159.161. 167.169.174.176. 181.183.188.196.199.207.211.223.224. 226.228.229.238.239.241.242. ex his etiam alii censentur spurii à Protestantibus, ut 91.215.251.255.

Sermones de Sanctis. 2.5.7.10.11.15.19.20. 22.26.27.30.31.33 34.35.37. omnes ultra 50. additi à Parisiensibus. Protestantes reliquos omnes spurios, & neque *Augustini* esse, neque *Fulgentii* censent, quòd, inter alia, illorum author Serm. 35. facit *Isidori* mentionem, qui 200. post Aug. annos vixit. *Bellarminus* ait: De homiliis de tempore & de sanctis non eadem certitudo haberi potest: credibile tamen est, magna ex parte Augustini esse.

Sermones de diversis 35. omnes ultra 43. additi à Lovaniensibus. A nostris omnes censentur spurii. Bellarmino videtur secus. Judicat enim omnes istos sermones graves, & doctos, & S. Augustino esse dignissimos. Colophonis loco velim observari, Augustinum crebrò usurpare enallagen temporis præteriti imperfecti & plusquamperfecti: ut quando in libro contra epistolam fundamenti ait: *Ego verò Evangelio non crederem, nisi me ecclesiæ commoveret authoritas*: id est, Non credidissem cùm adhuc Manichæus essem, nisi me *commovisset* &c.

54. Palla-

54. *Palladii historia Lausiaca* farrago est anilium fabularum nihili proinde faciẽda: hoc cuivis legenti facillimè constabit.

55. Epistolæ Decretales, quæ dicuntur esse scriptæ per *Clementem*, *Evaristum*, *Telesphorum*, *Higinum*, *Anicetum*, *Soterũ*, *Calixtum*, *Vrbanum*, *Pontianum*, *Anterum*, *Fabianũ*, *&c usque ad Sylvestrũ*, spuriæ sunt.

Ratio *prima*: Idem & unus author omnium epistolarum fuit, quia stylus sive orationis compositio, in omnibus eadem est, & phrases in multis epistolis identidẽ recurrunt. Impossibile esse enim tot episcopis unam & eandem loquutionem fuisse, etiamsi alii conarẽtur alios imitari.

Secunda: Multa in his epistolis parum Latinè, imò barbarè dicuntur: ut episcopi sunt obediendi, diligendi, & summoperè venerandi, & non detrahendi, vel lacerandi. Et, Patres omnes sunt venerãdi, non respuendi, aut insidiandi, &c.

Tertia: Hæ epistolæ in citandis sacræ scripturæ locis, Hieronymi translationẽ sequuntur, quam tamen Pontifices harũ Decretalium authores nunquam viderant, quia nondum fuit.

Quarta: A veritate historicâ alienissima in singulis penè epistolis continẽtur. Loquuntur enim de Primatu & regno Ecclesiæ Romanæ, de ordinatione Episcoporum, de non lędendis, accusandis & deponendis sacerdotibus, de appellationibus ad sedem Romanam: ubi tamẽ tribus his primis seculis ob varias psequutiones, *parvus* (ut Sylvius loquitur) *respectus habebatur ad Ecclesiam Romanam*.

Quinta: Idem testantur viri docti & graves: putà *Cusanus de concord. Cath. l. 3. cap. 2. Bellar. de Pontif. lib. 2. c. 14.* ait se non negare aliquos errores irrepsisse in has epistolas, neque audere indubitatas esse affirmare. Et *Isidorus in præfat. ante Concilia*, haru[m] omnium non meminit. *Eusebius* tantùm Clementis & Victoris epistolarum meminit, quæ tamen hodie non extant. *Damasus* de antecessoribus suis scribens, nil de epistolis tamen, neque Hieronymus.

56. Præterea *epistolæ decretales Pontificum*, quæ habentur in Tomis Conciliorum *à Sylvestro* usque *ad Gregorium I.* & deinceps, vel *supposititiæ* sunt, vel saltem, *suspectæ fidei*. Hoc indicant magna in plurimis styli insulsitas, ineptæ scripturarum allegationes, & studium dominandi in Ecclesiam Catholicam. Eò enim collimant penè omnes, ut Primatum Ecclesiæ Romanæ tueantur. Imprimis hæ, quarum nomina sequuntur.

1. *Epistola* Marci *ad Episcopos Ægyptios*. Dicit Romanam ecclesiam nunquam errasse nec erraturam deinceps. Verũ hæc opinio de firmitate Romanæ fidei, non fuit recepta nisi his proximis seculis. Catharinus in Gal. 2.

2. Julii *epist. 1. ad Orientales pro Athanasio*, non congruit cum genuina quæ habetur apud Socratem l. 2. c. 15. & Sozom. l. 3. c. 8. *Secunda* item absurda est & inepta.

3. *Rescriptum* Liberii *ad Athanasium*: & *epistolæ ad omnes Episcopos*.

4. Felicis *epistolæ*.

5. Stephani *ad Damasum*, & Damasi *ad Stephanum Africæ Episcopum alia*: in qua hæc habentur verba, *Charitativè*, *compassibiliter*, *ordinabiliter*, *præfixi fratres*, *innotuistis*, pro indicastis &c.

Ejusdem farinæ *epistola ad Episcopos Numidiæ*, &c, alia *ad Episcopos Illyricos*.

6. Syricii *epistola prima ad Himerium episcopum Tarraconensem*. Fidei dubiæ esse ostendit styli barbaries; ut in his verbis: *In ergastulis autem suis tales personas retrudendas*,

cat, ut tantum facinus continuâ lamentatione deflentes purificatorio pœnitudinis igne poßint decoquere. Deinde imperiosè mandat Episcopo Tarraconensi, ut sua decreta passim omnibus Episcopis obsevāda communicet: verùm non tanta tum fuit Episcopi Romani authoritas. Non majoris fidei *epistola ad Mediolanenses*, nec *tertia* nec *quarta ad Episcopos Africanos* scripta.

7. ANASTASII *duæ*. Harum data, & Consules qui nominantur, non congruunt cum probatis historicis. Et in primâ hæc habentur verba. *Quasi ad caput charitativè mittere non dubitetis*, & mandat authoritate Apostolica *standum esse ad lectionem Evangelii.*

8. *Epistolæ* sub INNOCENTII I. nomine ideo suspectæ, quòd multæ sunt in illis Traditiones quæ illius seculi Theologis prorsus fuerunt ignotæ. Et integri paragraphi in his ponuntur, quæ tum in priorum, tum posteriorum Pontificum scriptis habentur. *Epistola 3. ad Exuperium* mẽtionem facit quinque librorum Salomonis. *Epist.* 22. mentionem facit insularum Episcopalium, quæ tum non erant in usu apud Christianos. Et *Epistola ejus ad Concil. Carthaginense* futilis est & inepta.

INNOCENTII *Epistolæ* quæ sunt 91. & 93. inter epistolas Augustini, spuriæ sunt. Erasmus.

9. HILARII *Epistolæ.*

10. FELICIS *Epistolæ.* Exordium 2. epistolæ ita est: *Quoniam importabilibus verbis garrulasti.*

11. ANASTASII *Epist. ad Anastasium Imperatorem* eum admonet, ut monitis Apostolicis, i. Pontificum decretis pareat. At ipsi tunc temporis monitis Imperatorum parebant.

12. JOHANNIS *Papæ Epistola secunda* pugnat cum historia illius temporis.

13. *Epistola* BONIFACII, & *annexa deprecatio Aurelii Carthaginensis.* In hac epistola fit mentio Justini principis: cum tamen Bonifacius Episcopus R. neque Senioris neque Junioris Justini temporibus vixerit. Videtur ergo ab adulatore pontificio conficta.

14. VIGILII *prima epistola*, nugatoria. Docet quod ecclesiæ dirutæ restaurari & consecrari possint solâ Missæ celebratione, sive aquæ benedictæ aspersione.

Tertia adeò confusè scripta est & edita, ut non intelligi queat.

15. JOHANNIS III. *Epistola.*

16. BENEDICTI I. *Epistola.* Ejus pars una fragmentum est Epistolæ primæ decretalis Alexandri primi. Pars altera est integrum penè caput 4. epist. 1. ad Timotheum.

17. *Epistola* SIXTI III. *ad Orientales* hæc habet verba: *Valentinianus Augustus nostra authoritate Synodum congregari jußit.* Ineptè; Valentinianus proprio jussu potuit convocare Concilium: & non habuit opus authoritate Pontificis, ficta ergo epistola.

In *Epistola Sixti III. de malis doctoribus & operibus fidei.* Illa verba [*Semper tamen Purgatorii locum excipio, in quo anima hominum corporibus soluta ad tempus expiantur*] ab alio addita sunt. Apertè enim pugnant cum antecedentibus & cõsequentibus. Nam Sixtus dicit, duo tantum esse loca, Gehennam & cœlum: & extra regnum Dei non esse vitam.

18. *Gregorii III epistola 3. in 3. tomo Concil. ad Episcopos Bavariæ* non convenit cum exemplari quod habetur apud Aventinum lib. 3. Annalium.

19. *Zachariæ epistola 5. in 3. tom. Conc.* continet

tinet inepta responsa ad stultissimas quęstiones. Inprimis notandum quod præcipit de tempore in quo lardum comedendum. *Sexta Epistola* est ab impuro Rhapsodo contaminata. Catalogus testium.

20. EPISTOLA NICOLAI *ad Michaëlem Imperatorem*. In ea dicit pios Imperatores nunquam imperasse Sacerdotibus, sed obsecrasse solùm ut patres. At contra *Euseb.l.10.ca.5.& Niceph.l.7.cap.43.* dicunt Constantinum imperasse Miltiadi Episc. Romano, ut judicaret causam Cæciliani Carthaginensis Episcopi.

21. SYNODI ALEXANDRINAE *epistola ad Felicem Papam* spuria est, & mendaciorum plena.

22. *Hilarii epistola* numero 88. apud Augustinum non est Hilarii Pictaviensis. *Erasmus.*

Epistola item *ad Apram filiam* nil habet Hilarii, neque *Hymnus ad eandem.*

Et hactenus quidem numerus epistolarum decretalium. Jam redeamus ad principalem nostrum numerum authorum.

57. *Historia de vita Ambrosii* sub nomine PAULINI spuria est. *Erasmus in præfatione in libros Ambrosii.*

58. EVODII *libri duo de miraculis S. Stephani apud Augustinum tom.* 10. spurii. Trithemius dicit Evodium scripsisse volumen de factis in Aphrica miraculis, per reliquias Stephani Martyris ab Orosio presbytero allatas, at hi libri nihil tale; & de his libris nullibi habetur mentio.

59 SOPHRONII non est *Sermo de assumptione Mariæ apud Hieronymum*, sed nugatoris, qui postremis temporib⁹ vixit, ut stylus indicat. Præterea, Sophronius Hieronymo fuit æqualis, ut ex libro de Ecclesiasticis scriptoribus constat. In hoc vero libro mentio fit hæresium Eutychetis & Nestorii, quæ post Hieronymum exortæ sunt. Ita de Sophronio judicat Perkinsus. At Bellarminus ipsum collocat in an. Chr. 630.

60. MAXIMI TAURINENSIS *Sermones,* incertæ fidei: ex iis enim plurimi variis authoribus ascribuntur.

Sermo in natale Domini, cujus exordium: In adventu Dominico, est apud Augustinum 11. de Tempore.

Sermo in Epiphania, Licet fratres dilectissimi, &c. est 37. de Tempore.

Sermo de accusatione Domini apud Pilatum, qui incipit, Mirum forsitan videatur, est de Tempore 118.

Sermo de solennitate paschali, est 128. de Tempore.

In natali S. Stephani, qui incipit, Lectio Actuum Apostolorum est quintus de sanctis apud Augustinum, & aliud habet exordium ex Augustino, ut fatentur Lovanienses.

Sermo in natali Apostolorum Petri & Pauli, qui incipit, Gloriosissimos Christianæ fidei, &c. est de Sanctis 27. Et *Sermo* qui incipit, Legimus in libro qui Apostolorum actibus inscribitur, est nonus apud Ambrosium. Et de verbis Apostoli apud August. 25.

Bellarminus ait, multos sermones tribui simul, & sancto Ambrosio, & S. Maximo: sed credibilius esse, S. Maximi esse illos etiam, qui tribuuntur Ambrosio.

61. CYRILLI ALEXAND. *in Iohannem Commentariorum*, *l.12.* At ex his 4. medii interierunt. Ergo his libri 4. additi sunt à Jodoco Clictoveo, nempe quintus, sextus, septimus, octavus, & quidem ad imitationem Cyrilli. Itaque ex duodecim illis libris in Johannem, Cyrilli non sunt,

nisi primi quatuor, & quatuor postremi. *Bellarminus.*

Libri 6. Comment. in Leviticum.

Epistola ejusdem ad Colosyrium dubiæ fidei. Non habetur inter opera ejus. Ejus fragmentum ab aliis citatur. Et utrum à Cyrillo Alexan. sit scriptum necne, incertum.

62. EUCHERII *libri 3. in Genesin & commentarii in lib. Regum,* incerti authoris, & recentioris. *Sixtus Senens. præfat. in Bibliothec. & li. 4.* Bellarminus utrumq; istum commentarium putat esse cujusdam Angli.

Ejus etiam *homilia de assumptione Mariæ,* spuria, nam in ea hæc habentur verba: *Merito S. Patres constituerunt, ut in hac solennitate Mariæ Virginis hoc Evangeliũ legeretur—,* at festum assumptionis sub Mauritio Imperatore institutum est, circa ann. 595. Vide Durandi Enchiridion. Ex ista homilia de cæteris æstimatio facienda.

63. *Libri* JOH. CASSIANI & FAUSTI RHEGIENSIS damnantur à Gelasio in Concilio 70. Episcoporum. Et rectè: scripsit enim Cassianus contra Prosperum, & Faustus contra Fulgentium, de prædestinatione Sanctorum, & de bono perseverantiæ. Præterea Faustum damnarunt P. Diaconus lib. de Incar. Hormisda Papa in Epistola, in 5. Tom. Biblioth. Ado in Chron. & Trithemius in Fausto. Ergo Diedo & Ruardus Tapperus, Fausti scripta approbando, Semipelagianos se esse produnt.

64. *Libri* 12. THEODORETI *de curatione Græcarum affectionum* dubii sunt, quia Nicephorus in Catalogo lucubrationum Theodoreti horum nullam mentionem facit. Et in his stabilitur invocatio Sanctorum, quæ tamen in commentariis in epistolas damnatur. in Coloss. 2.

Theodoreti epistolæ ad Leonem & Renatum sunt dubiæ fidei.

Item *Liber de Sanctis* nonnulla ab aliis inserta habet.

65. LEONIS *scripta* ψευδεπίγραφα.

Sermo in festum omnium Sanctorum vel spurius est, vel saltem titulus est confictus. nam hoc festum primò institutum fuit à Bonifac. IV. circa an. 610. Petrus de Natalibus l. 10. c. 1.

Sermo 5. de Quadragesima est inter Augustinianos 63. de Tempore. Et 8. est 33. de Tempore apud eundem Augustinum.

Epistolæ quædam ut 84. *&* 92. nusquam extant nisi apud Gratianum. Is autem falsator egregius veteribus, ea sæpe tribuit quæ ab iis nunquam scripta sunt. Et mirũ videri possit, Leonem edicta prætoria per Europam, Asiam, Africam mittere, cùm tamen necesse habuerit Imperatorẽ suppliciter exorare ut Concilium intra Italiam convocari juberet. Et Leonis *epistol.* 84. *&* 46. vel cõfictas esse, vel saltem corruptas hinc constabit. In his sibi arrogat plenitudinem potestatis in longinquis provinciis; & Anatolio Constantinopolitano Episcopo *exequutionem suæ dispositionis injungit initio epist.* 46. At contra Concil. Constantinop. I. c. 36. *Definimus ut Constantinopolitana sedes parem habeat dignitatem sedi veteris Romæ, & in ecclesiasticis negotiis æquè ac illa magnificetur.*

66. *Epistolæ mutuæ* JUSTINIANI & JOHANNIS urbis Romæ Episcopi in Cod. libr. I. Tit. 4. de Summa Trinitate, dubiæ fidei sunt. Nam *primò* ibi Justinianus dicit *se operam dedisse ut omnes Sacerdotes Orientalis tractus, se Romanæ sedi subiicerent.* At historici hoc tribuunt Phocæ Imperatori. *Ado Viennensis in Chronico ad an 604. Ivo in Chronico. Platina in Bonifacio 3.* Tribuitur etiam

Michaëli

Michaëli Palæologo. *Deinde* in hac epistola, Papa dicitur esse *caput omnium Ecclesiarum*: at contrà habetur apud *Gregorium* 4. *Registri. epist.* 32. 34. 36. 38. *Tertiò:* hæc epistola, ut & altera Johannis, non habetur in antiquis manuscriptis codicibus, ut testatur *Alciatus Parerg. lib.* 5. *c.* 23.

67. *Attici Epistola in fine Concilii Chalcedon.* spuria. Vide Junii Animadv. in Bellarm. de Roman. Pontif. lib. 1. cap. 24. & l. 2. c. 25.

68. *Epistola Concilii Chalcedon. ad Leonem* ficta. E Bibliotheca Coloniensium Prædicatorum non ita pridem edita.

69. GELASII *liber de duabus naturis* non est scriptus à Gelasio I. Papa. *Bellarm. de Pontifice lib.* 4. *cap.* 10. & de scriptoribus ecclesiasticis, ad an. 492. Et Canus loc. com. lib. 6. cap. 8. Concedunt tamen esse vel Gennadii, vel Gelasii Cæsariensis Episcopi.

70. VIGILII *epistola ad Theodosium, Anthemium, Severum*, hæreticos Eutychianos, quâ profitetur se ejusdem cum illis esse sententiæ. Censura. Dicitur esse cõmentitia à *Baronio Tom.* 7 *ad ann.* 538. *&* à *Bellarm. de Pontifice lib.* 4. *c* 10 verùm describitur epistola à Liberato, & extat cap. 22. Breviarii, & habetur in Chronico Victoris. Idem testatur scriptam fuisse post ordinationem Vigilii: contrarium ergo sentiens Bellarminus decipitur.

71. *Encomium* ANDREÆ CRETENSIS de *dormitione sanctæ Deiparæ* cap. 6. mentionem facit festi assumptionis Mariæ. hoc autem festum fuit primò institutum circa an. Dom. 595. ergo *orationes ejus* videntur spuriæ.

72. *Canones* CONCILII AGATHENSIS qui citantur de consecr. d. 1. c. Missas, nusquam habentur.

73. EUSEBII EMISSENI *Homiliæ* scriptæ sunt non ab Episcopo Emesæ Græco, sed à quodam Gallo, ut apparet hom. de Blãdina. *Fulco.* Consentit *Bellarm. l.* 1. *c.* 5. *de extrema unctione.* Vide etiam *libr.* 2. *de Sacramento Eucharistiæ cap.* 29. *& de scriptorib ecclesiast. ad an.* 430.

74. *Sermo de festo Nativitatis*; cujus exordium: Nativitas Domini, & extat inter opera *Fulgentii*, tribuitur Augustino: estq; Sermo 15. de Tempore. Tribuitur item *Severiano* in quibusdam MS.

75. *Dialogorum liber* GREGORII M. dubius. Italicis prodigiis plenus: nec in orationis genere, nec in rebus ipsis cum reliquis Gregorii scriptis congruit. *Chemnitius.*

Ejus *Sacramentarium* & *Antiphonarium* Pamelius edidit: sed horum nulla apud authores mentio, nisi apud *Micrologum. cap.* 24.

In Nicena Synodo 2. tribuitur *epistola de veneratione imaginum*, *Gregorio Magno*, quæ Gregorii tertii est. Magnus enim Gregorius adorationem imaginum prohibuit.

76. CAESARII ARELATENSIS *Homilia de verbis Apostoli*, Si cujus opus manserit, &c. est Sermo 41. apud Augustinum de Sanctis.

77. *Canones* SEXTAE SYNODI *in Trullo* supposititii dicuntur à Pontificiis: verùm in Synodo Nicena secunda jubentur observari, & apud Gratianum approbantur *d.* 16. *c. Sextum.* Citatur à Beza vetustum quoddam scholium Balsamonis, ex vetusto manu-scripto codice descriptum. Verba Latinè ita sunt: *Est autem hæc quoque Synodus universalis. Etsi enim Occidentales Episcopi Itali videlicet & Latini, quibus lethale vulnus à quibusdam hujus Synodi canonibus infligitur,*

gitur, valde instant istam non esse universalem, neque ei interfuisse Romani Papæ vicarios, quòd alia sit sexta Synodus regnante Constantino Pogonato habita, sicuti dictum est, hæc verò multò pòst tempore Iustiniani Rhinotmeti mandato, coierit: Ego tamen hæc audire non sustinens, & hujus allocutionis cohærentiam potius considerans, & ordine sequentes canones his verbis scriptos: Sancta & universalis Synodus hæc & hæc definiit, præteritis recentibus nomocanonibus, ut qui neque regum, neque Patrum à quibus editæ sunt Synodi, subscriptiones contineant: sumptis in manus vetustioribus nomocanonibus comperi ex subscriptionibus in hac quoque Synodo quæ in Trullo regij Palatij coïjt, adfuisse universæ Synodi Romanæ Ecclesiæ nomine vicarios, Basilium quendam Cortinæ Cretæ Insulæ metropolis, & alium quendam Ravennæ Episcopum, neque istos duntaxat, verum etiam Papæ tum Romani legatos Thessalonicæ, Sardiniæ, Heracleæ in Thracia & Corinthi Episcopos. Hæc ille. Et Bartholomæus Caranza de his ita scribit: *In volumine Conciliorum excuso Coloniæ feruntur novem canones ascripti sextæ Synodo, cum tamen sciamus sextam Synodum, quando primò sub Constantino congregata est, nullos edidisse canones: sed pòst sub Iustiniano convenientes 227. Patres in Trullo Regiæ Palatij Constantinopoli canones ediderunt sequentes 102. Hoc ita tradunt Patres, qui ad septimam Synodum convenerunt in Nicæa sub Constantino filio Leonis, & Irene ejus matre in actione quinta, & explicatius in actione sexta Tomo 1. in utroque loco citant Canonem octuagesimum secundum. Horum etiam Canonum meminit Nicolaus 1. in epistola ad Michaëlem Imperatorem. Item & Anastasius Abbas Apostolicæ sedis Bibliothecarius in præfatione 8. Synodi, dicens: quum Sexta nullam protulerit, præter fidem, regulam, sed quas ejus asseverant regulas, longè pòst sextam Synodum ab ipsis constat esse penes se, privatimque depromptas, &c. Item Patres qui ex Occidente & Oriente convenerunt ad Synodum Florentinam in Sessione 5 citant hos 102. canones sextæ Synodi in Trullo. Item Gratianus in decreto citat aliquot canones istorum, & scribit illi sextæ Synodo.* Hæc ille. *Dist. 16. cap. Sextam.* Adrianus Papa ait, *Sextam Synodum sanctam cum omnibus suis canonibus recipio.* Et idem Adrianus in epistola ad Tarasium hæc habet verba: *In sextæ Synodi diviné & legaliter prædicatis canonibus.*

Novem illos canones qui in 2. tomo Conciliorum sextæ Synodo tribuuntur, adulterinos esse concedit Surius.

78. Bedae Martyrologium variis additionibus corruptum nonnulli existimant.

79. *Synodus Nicena 2. pro adorandis imaginibus*, idololatrica & impia est: & proinde rejecta fuit ab Occidentalibus Ecclesiis. Aventinus lib. 4. annalium: *Scita* (inquit) *Græcorum de imaginibus adorandis tradunt Concilio Francofurtensi rescissa sunt.* Idem Ado ætate sexta, Hovedenus, &c. Albertus Pighius noluit editionem hujus Concilii Coloniensem, pro genuinâ agnoscere. Multa etiam in eo palpabiliter falsa.

80. *Caroli Magni librum contra Nicenam Synodum* Pontificii suppostititium dicunt; sed sine argumento. Hujus libri meminit Hincmarus Remorum Archi-Episcopus cap. 10. contra Hincmarum Jandunensem Episcopum; & testatur quòd illum adolescentulus in regio Palatio legerit: citat etiam ad verbum integrum ferè ca. 28. l. 4. Deinde Romæ in Lateranensi Bibliotheca, idem exemplar vetustis Longobardicis literis descriptum extare, *Augustinus Steuchus* ejus Bibliothecæ præfectus publico etiam scripto testatur. Hæc doctissimus Hospinianus.

81. DAMASCENI ORATIO *de dormitione Deiparæ* dubia. Citat enim Euthimium, qui vixit posterioribus seculis sub Alexio.

De libris ejus de imaginibus sic pronuntiat Baronius: *in multis ejus scripti fidem vacillare, & compluribus ipsum scatere mendaciis.*

Libellus sub ejus nomine editus à Turriano Jesuita è bibliotheca Cardinalis Sfortiæ *de corpore Christi*, nullius fidei, ut verbo dicam. Scripta ejus propter pudendos errores non magnam apud pios authoritatem merentur.

82. De operibus ISIDORI *Hispalensis* Bellarminus sic ait: Mirum est, unde tot opera S. Isidori prodierint: quorum non meminit S. Hildephonsus, qui eadem ætate vixit, qua Isidorus ipse.

83. DONATIO LUDOVICI *Pii* (qui fuit filius Caroli Magni) qua scilicet is Romam & liberum jus eligendi novum Pontificem Papæ & civibus Romanis concessit. dist. 63. c. *Ego Ludovicus*, fictitia est. Quia Paschalis à populo vi coactus pontificatum obire, neglecta authoritate Imperatoris, per legatos purgat se apud Ludovicum Pium, & culpâ in Clerum & populum transfert. Imperator verò à Papa satisfactionem accepit, verùm Clerum & populum cum increpatione monet, ne simili exemplo Imperatoriam majestatem læderent. *Sabellicus Ennead.* 8. *l.* 9. *Platina in Paschali. Molinæus* I. C. Bibliothecarium Rom. Pontificis hujus capituli authorem esse: & proinde ut suspecto minimè credendum fore, existimat. Præterea canon dist. 63. c. *Ego Ludovicus*, pugnat cum dist. 63. c. *Cum Hadrianum.* Nam si Ludovicus primus liberam Pontificis electionem concessit: cur ejus nepos Ludovic. II. injuriam sibi factam esse putabat?

84. Iuramentum OTTONIS Imperatoris, per legatos Joanni Papæ præstitum dist. 63. c. *ubi Domino*, confictum est. Is enim Romam profectus ut Papæ Dominus, Joannem ob scelera curavit deponi, comprobante id toto Clero & populo. *Luitprandus, P. Diaconus hist. libro* 6. *& Theod. à Niem.*

85. *Liber de vitis Pontificum* editus, sub nomine Anastasii. Multa in hac historia asseruntur à veritate aliena, quæ nullius gravis & prisci authoris testimonio confirmari possunt; multi in eo Chronologici lapsus, nonnulla pugnantia & asystata. Baronius suspicatur à pluribus, minimùm duobus, scriptoribus esse consarcinatum. Nonnullis in locis adulterina aliorum adjectione vel detractione, ob summam superiorum seculorum inscitiam, depravatus est. Platina, Tritenhemius, Onuphrius tribuunt quoad priorem partem, Damaso. Abundat fœdissimis barbarismis & solœcismis. Hæc Albinus.

86. PASCHASII LIBER *de corpore & sangvine Domini* depravatus est: narratio enim de visibili specie corporis Christi in forma infantis, quæ habetur c. 14. in Bibliotheca S. Patrum, inserta est à Monacho fabulatore. Nam hæc fabula pugnat cum tota doctrina Paschasii de modo præsentiæ Christi in cœna, & magna styli varietas est. Hoc observavit *Hospin. lib.* 5. *de Sacrament.* Bellarminus hunc librum appellat insignem; & addit, hunc authorem fuisse primum, qui seriò & copiosè scripserit de veritate corporis & sangvinis Christi in Eucharistia contra Bertramum presbyterum, qui fuit ex

primis, qui eam in dubium revocarunt.

87. SIMEON METAPHRASTES fuit trivialis Constantinopoli ludimagister, & *Sanctorum vitas* scripsit, quæ non immeritò *mendaciorum legenda* dici possunt. *Bellarminus de scriptoribus eccles.* sic annotat: Illud autem observandum est, à Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt.

88. ANSELMI *de imagine mundi* lib. 2. à quibusdam Honorio ascribuntur. *Simlerus in Biblioth.*

Anselmi commentariis in Matthæum, locum à Græcis intertextum, asserit *Bellarm. de Euchar. l. 4. c. 19.*

89. Opera BERNARDO ascripta *spuria*, vel saltem *incertæ fidei.*

De vita solitaria ad fratres de monte Dei.

Meditationes.

De interiore domo.

De ordine vitæ.

Scala Paradisi: Lovanienses rejiciunt.

Formulæ honestæ vitæ.

Speculum Monachorum.

Sermones varii; quos vide in editione Antuerpiensi: Inter hos.

Sermo de cœna Domini.

Liber de conscientia.

Sermo de Andrea.

Descriptio Claræ-Vallis.

Epistolæ Bernardi Sylvestris.

Sermones Gilleberti 48. *in Cantica*, ab eo loco quo Bernardus morte præventus desierat. scripsit enim Bernar. tantum 86.

De lamentatione Mariæ.

Doctrina Bernardi.

Homilia de discipulis euntibus Emaus.

Libellus de amore Dei.

De natura & dignitate amoris divini libellus.

Liber de passione Dei, super illud: Ego sum vitis vera.

Oratio rhythmica ad membra corporis Christi: Et *alia de dominica passione*: item *alia ad Christum & Mariam*: item *alia de nativitate Christi.*

Formula privatæ confessionis.

Ad Sororem modus bene vivendi.

De conscientia Liber alius.

Deprecatio ad Mariam.

De miseria humana.

Sermones de pugna spirituali.

De 12. *gradibus humilitatis.*

Sermo in Dominica infra octavam Epiphaniæ.

De cœna Serm. 15. P. Martyr alterius nomen appositum vidit.

Homilia super, Simile est regnum cœlorum negotiatori.

Epistola ad Matthæum Albanensem Episcopum.

Super salve Regina, Meditatio.

Sermo in adventu Domini de 11. oneribus.

Vita S. Malachiæ.

Vide Bellarminum de scriptoribus ecclesiasticis, ad an. Chr. 1130. ubi egregiè ostendit, dicta ferè opera non esse Bernardi.

90. HUGO DE S. VICTORE. Opera ejus tribus tomis comprehēduntur. Bellarminus de illis ita judicat: Non pauca sunt in operibus Hugonis, quæ non videntur germana ejus opera.

91. *Galfridi Arthurii Monumetensis lib.* 4. *de rebus Britannicis.* Censura G. Neubrigensis: *Quidam* (inquit) *nostris temporibus scriptor emersit, ridicula de Britannis figmenta contexens; eosque longè supra virtutem Macedonum*

donum & Romanorum, impudenti vanitate attollens. Galfridus hic dictus est, agnomen habens Arthurii: pro eo quòd fabulas de Arthuro ex priscis Britonum figmentis sumptas, & ex proprio auctas, per superinductum Latini sermonis colorem, honesto historiæ nomine palliavit. Qui etiam majori ausu, cujusdam Merlini divinationes fallacissimas, quibus utique plurimum de proprio adjecit, dum eas in Latinum trāsfunderet, tanquam authenticas & immobili veritate subnixas, prophetias vulgavit. Rursus; *Præterea in libro suo, quem Britonum historiam vocat, quam petulanter & impudenter ferè omnia mentiatur, nemo nisi veterum historiarum ignarus, quum in librum istum incidit, ambigere sinitur. Nam qui rerum veritatem non didicit, fabularum vanitatem indiscrete admittit. Omitto quanta de gestis Britonum ante Iulii Cæsaris imperium & adventum, homo iste confinxit; vel ab aliis conficta tanquam authentica scripserit.* Hæc ille aliquanto asperius: quanquam & in ipsum Neubrigensem refundi eadem culpa debet, quā Arthurio tribuit. Aliquando enim deflectit ipse à cæteris historicis; nugis item fabulisque circumfluit, in suâ rerum Anglicarum Historia.

92. *Epistola* FRANCISCI ad *omnes fratres suos, spuria.* Bellar. de Missa. li.2.c.10.

93. PSALTERIUM B. MARIÆ falsò tribuitur Bonaventuræ. nam ille super Magistrum ait, cavendū esse, ne, dum matris excellentia ampliatur, filii gloria minuatur.

94. *Iacobi* de Voragine Episcopi Genuensis *Legenda* vulgò dicta *Aurea*, revera est impudētissima legenda mendaciorū.

95. NICEPHORUS CALLISTUS fabularum plenus. Apud eum fabula est de imagine Christi missa ab eo ad Abagarum. *Euseb. hist. lib.1. in fine,* nil tale in Archivis reipub. Edessenæ reperit. Bellarminus ait, in historia hujus authoris inveniri errores proprios Græcorum: & non paucos errores in rebus historicis. Idem docet Cardinalis Baronius in Annalibus.

Sed concludamus *Criticum nostrum* de doctoribus ecclesiæ, & aliis veteribus scriptoribus. Concludamus, inquā, nonnullis regulis in medium allatis.

I. Veteres authores, qui non citantur à posteris suis, nec ab aliquo bono authore, vel spurii proculdubio sunt, vel non in ecclesia probati, & minoris certè fidei.

II. Libri editi à Romanis bibliothecariis, quiq; tantùm in Vaticana bibliotheca reperiuntur, vel in monachorum claustris, meritò habentur suspecti.

III. Quæ à veteribus incommodè dicta sunt de re aliquâ fidei ante exortam de re eadem hæresin, cōmodè & candidè sunt exponenda, & emollienda: sin post, communi calculo rejicienda.

IV. Libri tribus primis seculis, quæ ecclesiæ infantia, & tempus innocentiæ dici possunt, scripti, in tres classes dispartiri debent. Aut enim sunt libri verè apostolici & canonici: aut sunt genuini fœtus Patrum: aut sunt suppositi tii. Rursus, qui sunt genuini Patrum fœtus, conscripti sunt ab iis ad Christianam religionem nuper conversis, aut à confirmatis in eadem, aut denique à lapsis in hæresim vel alium errorem.

V. Historia ecclesiastica ante Cōstantini tēpora planè fuit neglecta. Prim⁹ Eusebi⁹ Cæsariēsis ad scribendā ecclesiæ catholicę historiā καθολικὴν, seu universalē, animū appulit, & orsus à nativitate Dñi, rerum

rerum gestarum seriem ad sua usque tempora singulari diligentia pertexuit. Eusebii exemplum postea secuti sunt, qui hodieque extant, quique ab Evagrio soli nominantur, Sozomenus, Theodoretus, Socrates, & post hos ipse Evagrius: cujus historia desinit in anno Imp. Mauritii 10. Christi 600. tribus demtis, vel paulò plus.

VI. Post seculum sextum paulatim unà cum temporum cōditione immutata fuit prior forma theologiæ simul & historiæ. Nam Scripturæ minùs diligenter fuerunt tractatæ & minùs simpliciter expositæ. Res externæ, miracula, imagines, reliquiæ, sanctorum cultus, ac tandem unius Papæ dominatio & monarchia, prioris religionis institutis successerunt. Cæterùm qualis fuit istorum temporum theologia, talis & historia. Nam & in historicis monumentis, miracula utplurimum utramque paginam conficiebant, vel à sanctis, vel ab imaginibus, vel à reliquiis edita: atque ut supremum ecclesiæ monarcham theologi agnoscebant; ita multi historiam scribere professi, Romanorum Pontificum successiones, Antipaparum schismata, aut novas artes à Papis excogitatas, firmandæ potentiæ suæ, literis mandare: id verò erat historiam scribere ecclesiasticam. Fuit sanè illorum temporum & imperitia meliorum literarum magna, & miraculorum benigna copia; verorum sine dubio multorum, sed & falsorum nihilo pauciorum. Fatetur hoc *Bellarminus lib. de scriptoribus ecclesiasticis*, ubi ad an. 850 de Simeone Metaphraste ita scribit: Illud autem observandum est, à Metaphraste scriptas fuisse historias de vitis Sanctorum, multis additis ex proprio ingenio, non ut res gestæ fuerunt, sed ut geri potuerunt. Addit enim Metaphrastes multa colloquia, sive dialogos Martyrum cum persecutoribus, aliquas etiam conversiones astantium paganorum in tanto numero, ut incredibiles videantur: denique miracula plurima, & maxima, in eversione templorum, & idolorum, & in occisione persecutorum: quorum nulla est mentio apud veteres historicos. Quæ Bellarminus scribit de Metaphraste, ad alios ejusdem farinæ scriptores jure merito transferuntur.

VII. Veteres interdum adhibuerunt piam fraudem. Vide titulū Pia Fraus.

VIII. Cæsar Baronius in historiæ ecclesiasticæ illustratione fabulas parciùs admisit quàm alii: tantamque in hoc studio adhibuit diligentiam, ut, si eam immoderato partium studio non corrupisset, dignus foret sine controversia, cui omnes & veteres & recentiores, qui illam eruditionis partem unquam attigerunt, assurgerent & fasces submitterent: ut sunt verba *Isaaci Casauboni, prolegomenis exercitationum* 16. *de rebus sacris & ecclesiasticis*.

Patiens. Significat eum, qui patitur. Et *primò* quidem Deus dicitur patiens *Exod.* 34. 6. *Luc.* 18. 7. & alibi passim; quia diu patitur, id est, fert & tolerat peccatores, non accelerat ardorem iræ suæ. *Deinde* homo dicitur patiens, qui iram cohibet ac moderatur. *Denique* patiens dicitur, qui tolerat afflictiones. 2. *Timoth.* 2. 24.

Patriarcha. Sic in genere dicuntur principes familiæ. Antonomasticè Abraham, Isaac, & Jacob appellantur patriarchæ. Denique patriarcha est idem quod hierarcha. Sic in Orientali Ecclesia

siâ erat summa dignitas patriarchæ, ut pontificis in Occidentali. Erant quatuor, Alexandrinus, Antiochenus, Hierosolymitanus, & Constantinopolitanus, qui inter reliquos primas tenebat, & οἰκουμενικὸς dicebatur. Constantinopolitanus confirmari necesse habebat à metropolitano Heracleensi, idque factum jam à temporibus Severi Imperatoris, qui Byzantium Heracleæ subjecit. Eo demortuo, & sede vacante faciebat Cæsariensis. Tamen archiepiscopi Bulgariæ & Cypri, & quidam alii metropolitani, qui αὐτοκέφαλοι dicebantur, ei nõ suberant. Quæ de primatu fuit cõtentio inter Romanum pontificem & patriarchã Constantinopolitanum, eam decîdit Justinianus, & Romę Constantinopolin subjecit. *Novell.* 121. Sed & postea contentio de primatu fecit, quæ sub Michaële Palæologo sublata est. In ecclesia occidentali primò unus patriarcha fuit Aquilejæ, mox sub Phoca etiam Gradis ordinatus alter. His deinde additus Forojuliensis: postremò quartus accessit Moscoviæ.

PATRICIUS. Origo hujus dignitatis in ecclesia est à Constantino Magno. Præponebantur patritii episcopis in ecclesia: quippe proximi ab Imperatore. Hinc ut Imperator ἐπιστημονάρχης dicebatur, & ecclesiæ præerat tanquam caput: ita patricius aliquis ejus locum tenebat, & ὑπεκκλησίων hac de re dicebatur.

PATRINUS. Ita dicitur, qui de fonte sacro suscipit; quia est ceu pater. Unde Hebræis eleganter appellatur אֲבִי הַבְּרִית *pater fœderis*. Scriptoribus ecclesiasticis etiam dicitur sponsor, susceptor, pater initialis, arbiter initiationis, testis baptizati pueri, propater, pater spiritualis, patrimus, sponsor baptismi, fidejussor. Sic mulier, quæ suscipit infantem ex fonte sacro, dicitur *matrina*, susceptrix, onomastria initialis, parens mystica, parens initialis, promater, & patrima.

PATRONUS. In ecclesia sic dicitur, qui ecclesiam aliquo beneficio singulari ditavit, & jus beneficiarii nominandi sibi retinuit. Vulgò *collator*. Patronatus est jus patroni. Vulgò *collatura*.

PAULUS. Fuit nomen apostoli gentium: qui fuit binomius. Nam major pars Judæorum binominis erat, altero nomine Judaico, altero Græco vel Romano. Sic noster apostolus fuit appellatus Saul; quod nomen in tribu Benjamin erat familiare: itemque Paulus, quia cùm civis Romanus esset, debuit nomine aliquo Romano insigniri. Ejus verò nominis Latini non priùs est mentio in Actis, quàm ad gentiles missus est, quibus notior erat Romana appellatio, quàm Judaica. Sunt qui putant ipsum appellatum fuisse Paulũ, quòd Sergium Paulum procos. converterit. Sed hoc est insipidum: ut & illud, quòd Paulus sit dictus à פָּלָא, quia fuerit mirabile Dei organum.

PAUPER. Est 1. egenus *Exod.* 22. 25. *Lev.* 14. 21. 2. afflictus, miser, tenuis; cujus conditio est vilis, qui ab aliis facilè & impunè opprimitur. *Psal.* 9. *v.* 10. 13. 19. & 10. *v.* 2. 8. 9. 10. 12. 14. 17. 3. pauper Spiritu, afflictus & humilis coram Deo. *Matth.* 5. 3. *c.* 11. 5 *Luc.* 4. 18. *Iac.* 2. 5. 4. spiritualibus donis destitutus. *Apoc.* 3. 17.

PAUPERCULA. Sic appellatur Ecclesia afflicta in vulg. vers. *Esa.* 51. 21. & 54. 11.

PAX. Est 1. pax Dei, cum iis, quos

gratuito amore complectitur in mediatore Christo *Actor*.10.36. *Rom*.5.1. 2. ipse Christus, author, princeps & unica caussa reconciliationis, salutis, & glorificationis electorum. *Ephes*. 2. 14. 3. effectum illius pacis, quam habemus, Deo reconciliati per Christum. *Luc*.2.14. 4. tranquillus rerum status, & securitas in hac vita: quæ piorum respectu est spiritualis pacis velut appendix. *Psal*. 29. 11. & 72.7. 5. Societas aut fœdus inter homines. *Deut*. 23. 6. *Ios*. 9. 6.

PAXIMACIA. Sic veteres appellarunt parvulos panes semilibres, id est sex unciarum. *Caßianus collat*. 2. *abbatis Mosis cap*. 19. author est, veteres Patres in eremo degentes duobus paximaciis, id est duobus parvulis panibus, vix unius libræ, id est 12. unciarum, pondus habentibus, fuisse in singulos dies contentos. Singula ig. paximacia fuerunt sex unciarum, & duo simul juncta penderunt libram 12. unciarum, qualis fuit apud veteres in usu. Alii legunt *paximatia*. *Paxamatus* etiam in Gloss. Isid. est panis subcineritius. *Paximas* vel *paxamas*, apud Suidam est panis bis coctus. Videtur dictus ab authore Paxamo. Columbano de regul. monach. cap. 5. Paximas est genus parvi panis: *Olera, inquit, legumina, farina aquis mixta cum parvo pane paximate, ne venter oneretur & mens suffocetur*.

PECCATUM. Tria potissimùm sunt vocabula in canone veteri, quibus peccatum significatur. Ea conjunguntur *Dan*. 9. 24. פֶּשַׁע הַחַטָּאה עָוֹן, *Transgreßio, Delictum, Iniquitas*. Vox פֶּשַׁע summum inobedientiæ & prævaricationis gradum indicat, quæ in hominem, qui Dei aliqua cognitione imbutus est, & qui se in conscientiæ recessu legi ejus obnoxium sentit, cadere potest: per quam nempe Dei verbum ejusque mandata multoties malitiosè, nec citra illorum contemtum, transgredimur, freventliche vnd muthwillige vbertrettung. Cujus protervíæ accuratam & graphicam descriptionem habet *Esaias cap*. 1. Deinde per vocem חַטָּאה omnis error, delictum & deviatio à lege Dei intelligitur, quæ quotidiè variis modis ex infirmitate corruptæ carnis, ejusdemque ad legem Dei inhabilitate committitur. Hæc vox in plurali hîc ponitur חַטָּאות, sed prior in singulari. Cujus discriminis hæc est ratio. Peccatorum nullus est numerus, etiam in renatis, eaque omnia Messias obsignat, ut loquitur angelus hoc loco. Sed & protervia illa, quæ in habitum abiit, à Messia cohibetur. Denique vox עָוֹן iniquitas, sive culpa, significat fontem, ex quo transgressio & peccatum scaturiunt. Hic est ille fomes, quem *Rom*. 7. apostolus describit. Hæc est illa matricula, de qua David *Psal*. 51. 7. Præterea hæc etiam vox significat culpam & reatum, adeoque non tantùm fontem, sed etiam effectum peccati mõstrat. Atque hæc sunt tria illa vocabula, quibus morbus noster cum suis symptomatis depingitur. Confer *Ierem*. 33. 6. 7. 8. qui est loco Danielis geminus. Scholastici faciunt peccatum naturæ, ut est monstrum; artis, ut est nævus in opere artificis; denique moris, & hoc est hujus loci. In eo considerant materiale & formale. Qua de re Thomas q. 71. art. 6. in 2. 2æ. *Augustinus in definitione peccati posuit duo; unum, quod pertinet ad substantiam*

tiam actus humani, *quod est quasi materiale in peccato*, *cùm dixit dictum*, *factum*, *vel concupitum*: *aliud autem est*, *quod pertinet ad rationem mali*, *quod est quasi formale in peccato*, *cùm dixit contra legem æternam*. Hîc materiale est subjectum, formale autem inordinatio seu vitiositas. Et ita quidem accuratè locuturi accipiunt hos terminos. Sed Melanchthon & alii populariter formale peccati faciunt reatum seu condemnationem: cùm illa formam, id est, ἀνομίαν, sequatur: materiale autem dicunt esse ipsum vitium. Hinc usitata est regula, *manente materiali peccati in renatis, tolli formale*, id est, reatum.

Peccatum habere. Hoc nihil est aliud, quàm corruptæ carnis infirmitate adhuc laborare, & ab eadem tentari. Quam in sententiam Johannes 1. *epist. cap.* 1. 8. ait: *Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, nos ipsos fallimus, & veritas non est in nobis.*

Peccatum operari. Hoc est factitare artem peccandi, seu carnis concupiscentiis fræna contra conscientiam laxare. Hoc Hebræi eleganter exprimunt ista phrasi פֹּעֲלֵי אָוֶן *Qui operantur iniquitatem*, seu, *Operarii iniquitatis.* Quò pertinet illud Johannis 1. *epist. cap.* 3. 8. *eos, qui peccatum operantur, ex diabolo esse.* Verba Græca eleganter sonant, ὁ ἔχων τὴν ἁμαρτίαν, &, ὁ ποιῶν τὴν ἁμαρτίαν.

Peccatum originale. Hoc in hymno Ambrosii, *Immense cœli conditor*, appellatur *vetus error*: sicut peccatum actuale, *nova fraus.* Verba sic habent:

Infunde nunc, piissime,
Donum perennis gratiæ,
Fraudis novæ ne casibus
Nos error atterat vetus:

Porrò peccatum originis etiam appellatur à poëtâ Christiano *malum*

Quod latet arcanâ non enarrabile fibra.

Et in hymno Petri Abelardi vocatur *zyma scoriæ*, his verbis:

Naturam superet
Natus rex gloriæ:
Regnet, & imperet,
Et zyma scoriæ
Tollat de medio.

Ubi Siberus sic annotat: Zyma scoriæ ἀλληγορικῶς est peccatum originale, seu primigenium; quæ est ipsa vitiositatis impressio, quæ in totum genus humanum à parente primo promanavit. ζύμη, fermentum est: Scoria, fæces sunt metallorum, seu recrementa. Cæterùm peccatum *originale* sic dicitur, non ad restrictionem, quasi æquivocè peccatum appelletur: sed ad distinctionem peccati actualis. Nec etiam originale appellatur, quòd sit aliorum omnium peccatorum fons & origo, significatione transitivâ, & ratione effecti, etiamsi id ei revera competat: sed, vel quia inest unicuique ab ortu suo, id est, ab ipso conceptionis momento; vel quia contrahitur à prima origine, id est, à primo parente; vel quia omnes jam inde ab initio in Adam peccaverunt. Quæ tres rationes olim à diversis allatæ, in hanc unam contrahi possunt; *originale* vocari, quia propagatione hæreditariâ nativitatem nostram maculavit, atque in nobis statim, ut primùm homines sumus, insedit, & originis lege in nos derivatum est.

Πέμπειν εὐχαριστίαν. Veteres partes consecrati panis appellarunt εὐλογίας, quas mittebant ad alias parœcias, aut ad ἐπιδημοῦντας, *peregrinos*, declarandæ dilectionis ergò, & consensionis in fide. Eusebius 5. hist. c. 26. πέμπειν εὐχαριστίαν, *mittere eucharistiam*, id dixit. Postea illa consuetudo fuit prohibita: extatque summa canonis Concilii Laodiceni in hæc verba apud Balsamonem: περὶ τοῦ μὴ τὰ ἅγια εἰς λόγον εὐλογιῶν κατὰ τὴν ἑορτὴν τοῦ πάσχα εἰς ἑτέρας παροικίας μεταπέμπειν, *De non transmittendo sancta in usum consecrationum, festo Paschatis, ad alias parœcias.* Similiter etiam Latini *Eulogias* dixerunt frusta panis benedicti quidem, sed non in usum Eucharistiæ; qui & mittebatur ad absentes, & sacris peractis à sacerdote, dabatur iis qui communicare non fuerant parati, ut est in Decreto Pii I. Dabantur eædem Eulogiæ & Catechumenis, qui jus sumendæ eucharistiæ non habebant. Itaque hoc illis erat loco sacramenti, atque adeo quoddam sacramentum illis erat, laxiore significatione. Ac propterea panem illum vocarunt etiam ἀντίδωρον: quoniam locum obtinebat τοῦ δώρου, id est, eucharistiæ. Dixerunt eundem panem & κλαστὸν & κατάκλαστον, *fractum*, propter fractionem, quam in illo dividendo observarunt. Hinc phrasis in jure canonico Græcorum, μεταδοῦναι κατακλάστου, *participem facere fracti*, hoc est, partem panis benedicti dare.

PENTECOSTE. Πεντηκοστὴ dies est quinquagesimus à Paschate, insignis ille & celebris, apud Judæos quidem, propter legem divinam latam in monte Sinai, Christianos verò, propter Spiritum sanctum specie in oculos incurrente in apostolos effusum. Deinde totum intervallum à Dominica resurrectionis, ad Pentecosten, veteres Græci & Latini pentecosten vocant. *Tob.* 2. 1. Epiphanius serm. cathol. καὶ δι' ὅλου μὲν τοῦ ἔτους ἡ νηστεία φυλάττεται ἐν τῇ αὐτῇ ἁγίᾳ καθολικῇ ἐκκλησίᾳ. Φημὶ δὲ, τετράδι καὶ προσαββάτῳ, ἕως ὥρας ἐννάτης, δίχα μόνης τῆς πεντηκοστῆς ὅλης τῶν πεντήκοντα ἡμερῶν, ἐν αἷς οὔτε γονυκλισίαι γίνονται, οὔτε νηστεία προστέτακται. Hieronymus: *Die Dominico & per omnem pentecosten nec de geniculis adorare, & jejunium solvere, multaque, quæ scripta non sunt, rationabilis sibi observatio vindicabit.*

Περιηχεῖσθαι. *Cyrillus Hierosolymitanus in Procatechesi* eleganter ait, Catechumenos, quibus fas non est cognoscere sacra mysteria, περιηχεῖσθαι, *vocem circumsonantem audire*: postea verò quàm facti sunt fideles, ἐνηχεῖσθαι, *intus erudiri.* Unde Catechumenos ponit inter τοὺς ἔξω, *extraneos ab ecclesia.*

PERFECTI. Patres promiscuè omnes veros Christianos appellabant perfectos; omnesque hortabantur ad βίον τέλειον, vitam perfectam: authore Christo *Matth.* 5. *vers.* 48. & apostolo *Colos.* 4. *vers.* 12. *& cap.* 1. *vers.* 28. Peculiari autem notione τελείους, *perfectos*, illos appellarunt, qui mundo renuntiassent, & vitæ austerioris propositum suscepissent: quomodo usu venisse diximus in vocibus ἀσκεῖν, *& asceta, & ascetria*: de quibus suprà.

PERFECTIO DEI. Perfectum multifariam usurpatur. Vulgo perfectum opus dicitur, quod est absolutum & consummatum, ut domus cujus non ampliùs pendet

pendet opus, aut liber, qui ad umbilicum perductus est. Ita Deus non dicitur perfectus. Talis enim perfectio procedit ad perfectioně ab imperfectione, quæ nulla unquam in Deo fuit. Perfectum quoque dicitur unumquodque, cui nihil deest eorum, per quæ possit finem assequi, ad quem res ordinata est. Hoc sensu omnia Dei opera in sua specie sunt perfecta. Neque hoc modo Deus perfectus dicitur: quia nòn est ad certum finem ordinatus, cùm ipse sit summus finis. Sed perfectum Deum dicimus, ut nulla absolutè ei desit perfectio. Unumquodque enim eatenus est imperfectum, quatenus est in potentiâ passivâ ad aliquem actum. At Deus est purus actus, nec in eo ulla est passiva potentia. Quapropter oportet ut quidquid est perfectionis & virtutis in creaturis, nõ modò fluat ab illâ prima perfectione, quæ est in Deo, sed etiam ab ea includatur. Nam ut omnis potestas magistratuũ inferiorum includitur potestate summi principis; & ut sol comprehendit virtutes omnium calidorum & calefacientiũ; & sicut ratiocinatio humana includitur in intellectu angelico: ita omnis perfectio creaturarum includitur perfectione creatoris. Excipio tamen eas perfectiones creaturarum, quæ sunt vel remedia malorum, vel subsidia imperfectionum. Ejusmodi enim perfectiones Deo tribuere non laus est, sed contumelia. e. g. vis motrix, qua animal sese movet motu locali est perfectio quædam animalis, quæ non est in Deo: quia hæc perfectio est levamentum imperfectionis. Nimirũ quia animal non potest eodem tempore simul esse in pluribus locis, data est ei facultas motrix; quæ huic imperfectioni aliquatenus medeatur; ut animal saltem in pluribus locis sit successivè, & diversis temporibus. Hæc perfectio non est quærenda in Deo; quia cùm ubique sit, non habet quò se moveat. Sic ratiocinari & texere syllogismos est perfectio quædam humanæ menti à Deo indita, veritatis indagatrix, & ex notioribus gradum sibi struens ad ignotiora. Hæc perfectio, cùm sit subsidium ignorantiæ, & supplementum imperfectionis, frustra in Deo quæreretur, qui non ratiocinatur, nec veritatem indagat, nec ex uno alterum colligit: quia omnia ei pariter nota sunt, & omnia una simplici intellectione cognoscit. Imò verò ut res cognoscat, non opus est ut in eas oculum intellectus sui cõvertat: sed ipse se aspicit, & in mente sua videt archetypum æternum rerum omniũ, & in voluntate sua causam efficientem omnium eventuum. Atque si quis totum corpus haberet oculis obsitum, aut esset totus pupilla, non opus haberet conversione corporis aut oculorum, nec ad circumstantia circumferret aspectum, quia uno eodemque temporis puncto, quoquoversum aspiceret, & omnia circumstantia ei pariter obversarentur: ita cùm Deo nihil sit magis præsens altero, non opus est mentis aciem volvat, aut res lustret ordine successivo. Nec ad novam cognitionem assequendam affert novam intentionem animi, quia ipsi nihil est novum. Sic præteritorum memoria, & futurarum prospicientia, virtutes sunt & perfectiones hominis, qui natus est in tempore; & cujus actiones, & duratio, mensurantur à tempore. Quas virtutes Deus ei indidit, ut hausta documenta custodiat, & evitet noxia. Hæ perfectiones cùm sint remedia imperfectionum, & subsidia infirmitatis, non possunt Deo

nisi ἀκύρως tribui, & quæ ἀνθρωποπαθῶς in hoc argumento dicuntur, θεοπρεπῶς intelligenda sunt. Accedit alterum idque insigne discrimen: nempe quòd illæ perfectiones, quæ in creaturis sunt variæ atatque dispersæ, in Deo sunt una eademque perfectio. Veluti si aliquod esset animal, quod unico sensu omnia ageret quæ nos agimus quinque sensibus: non secus ac omnes lineæ à circumferentia ad centrum circuli protractæ, in centri puncto uniuntur, & quò magis abscedunt à centro, eò magis dilatantur, & sparguntur: ita omnes virtutes creaturarum in Deo sunt una virtus, & quò magis à Deo absceditur, eò magis sparguntur & raréscunt, donec ad indignissima perveniatur. Causa hujus discriminis est, quòd hæ perfectiones seu virtutes creaturarum sunt qualitates & ornamenta addita substantiis. At unica illa Dei perfectio est ipsissima ejus essentia, quæ cùm sit simplicissima, ob multiplicitatem tamen effectuũ varia nomina sortitur. Inde est quòd in homine aliud est scire, aliud velle. Nec præscientia hominis causa est eventus futuri. At cum præscientia Dei sit ipsissima ejus essentia, necesse est eandem esse perfectionem cum voluntate & providentia, ac proinde ejus præscientiæ insit vis non modò præcognitrix, sed etiam ordinatrix futurorum. Nec putandum est, Deum præscire futuras procellas, aut terræ motus, aut eclipses, quia futuræ sunt: sed potiùs dicendum, eas futuras, quia id fore Deus præscivit. Neque tamen per hæc volumus, si quando eædem perfectiones Deo & creaturis tribuũtur, has perfectiones de Deo & creaturis prorsus, æquivocè prædicari. Sapientia quidem Deo & angelo non tribuitur συνωνύμως, & eodem planè sensu: quia hæc in Deo substantia est, in angelo autem qualitas. Nec tamen iccircò æquivocè hæc dicuntur. Nam inter merè æquivoca, ut inter lupum animal, & lupum muricem equinum, nullus est ordo naturæ, nulla dependentia, nec per unum itur ad alterius cognitionem. At sapientia angeli, imago quædam est divinæ justitiæ, & quasi scintilla inde emicans: & unius cognitio ad alterius contemplationem animum nostrum evehit. Hæc ergo sunt de eorum genere quæ analoga appellantur: veluti cùm ens dicitur genus analogum substantiæ & accidentis, & pes dicitur de pede animalis, & de fulcro mensæ: est enim in maxima diversitate non obscura tamen quædam analogia atque convenientia. Hinc jam facilè est judicare, cur quædam attributa Dei dicantur communicabilia, quædam incommunicabilia. Nimirum quædam Dei attributa sunt ἐνεργητικὰ, id est, operantia, ita ut imaginem aliquam sui extra se producant in creaturis: ut sunt bonitas, sapientia, sanctitas &c. Hæc itaque dicuntur communicari non quantum ad οὐσίαν, sed quãtum ad usum & actum externum. Rursus sunt attributa quædam Dei quiescentia, ut loquuntur, hoc est, ita comparata, ut nullam extra se edant operationem: ut sunt æternitas à priori, immensitas &c. Hæc itaque dicuntur ἀκοινώνητα. Hîc tamen tenendum est, attributa communicabilia traducta per incommunicabilia, nullo modo à creaturis parparticipari. e.g. bonitas æterna, immutabilis, immensa &c.

Permissio. Hęc est actus voluntatis. Estq; alia Dei, alia creaturarum. Permissio Dei est, qua ille volens permittit aliquid

quid fieri, ita ut concurrat cum opere, quod permittit, illudque efficaciter dirigat. Itaque quidquid fit permittente Deo, id fit volente Deo, seu voluntate ipsius. Hinc *Augustinus enchiridio ad Laurentium capit.* 95. rectè ait: Non fit aliquid, nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. Idem docet *Hugo de S. Victore libro primo, cap. 7. part. 4. de sacram.* Cùm bonum facit, & permittit malum, apparet voluntas ejus in illo, quoniam esse vult quod facit aut permittit. *Item*: Est Dei voluntas beneplacitum ejus, & voluntas ejus operatio ejus, & voluntas permissio ejus. Huc etiam pertinet illud *Lombardi libro primo, distinct.* 45. *cap.* 11. Permissio quoque Dei & operatio Dei voluntas Dei appellantur. Ex his videre est, permissionem rectè Deo tribui. Neque enim intelligitur otiosa aliqua inspectio, vel invita actio, vel voluntatis remissio aut etiam omissio, sed actio ejusmodi, quâ Deus non efficit quidem opus creaturæ, sed tamen illud ita fieri sinit, ut simul efficaciter dirigat. Alia est ratio permissionis illius, quâ homo homini aliquid permittit. Nam illa sæpe est actio invita, inspectio otiosa, & peccatum peccans, ut loquuntur, hoc est, ita comparatum, ut sit causa peccati, quod ab alio perpetratur: ut quando magistratus permittit lupanaria.

PERPETUUS. Perpetuum tempus, quando ad sacrificia legalia refertur, significat longum illud temporis spatium usque ad Christi plenam manifestationem sub Evangelio: Si ad leges politicas Mosis, tempus brevius, nempe usque ad jubilæum. Aliis locis, de Christo & fœdere Dei, notat æternitatem.

PERSONA. In sacrosancta Trinitate, ut eleganter ait *Siberus in Breviario Christiano*, persona, τὸ πρόσωπον, seu ὑπόστασις, est per se verè, & reipsa, non imaginatione aut cogitatione consistens singulare, τὸ δέ τι, in unius naturæ essentia peculiaribus, & quas cum nullo habet communes, notionibus, ac sempiterna, quæ est character, proprietate distinctũ. Hebræi eleganter personas SS. Trinitatis appellant פָּנִים *facies*, & מדות *modos*.

PERSONARE. PERSONARI. Personare est 1. constituere personam. 2. in personam assumere. Proinde personari est 1. constitui personam. 2. assumi in personam. Personatur autem aliquid vel *extrinsecus*, per aliquid externum, ut humana Christi natura est assumta à λόγῳ in unitatem personæ: vel *intrinsecus*, ut divinæ personæ per notiones suas characteristicas, περιχώρησις. In genere est intima præsentia. In specie est naturalis, quomodo forma præsens est formato: vel supernaturalis eaque gemina. 1. In SS. Trinitate: ubi περιχώρησις est modus, quo personæ SS. Trinitatis sunt ἀσύμφυρτοι καὶ ἀνεκφοίτητοι. 2. In Christo: ubi λόγος est in carne per περιχώρησιν proximam illi, quæ est in SS. Trinitate.

פָּרוּשׁ. Est asceta, *exercitator*: & modò Pharisæis peculiariter tribuitur; modò in genere cuivis austeriorem vitam agenti. *Iosephus libro secundo, de bell. Iud. capite septimo*, dicit, tria esse genera philosophiæ, seu tres philosophias, apud Judæos: videl. Pharisæos, Sadducæos, & Hessæos. *Pharisæi*, inquit, *dicuntur, qui certiorem legalium rituum notitiam profitentur.* Dicti sunt non à פרש, quod est explanare; sed à פרש quod est separare, ita ut Pharisæus sit quasi ἀποκεχωρισμένος, id est, separa-

ſeparatus à vulgo ſanctimoniâ quâdam vitat. Vide Caſaub.exerc.1.num.9. ad annales Baronii.

PETRA. Obſervant grammatici Græcorum, aliud eſſe πέτραν, aliud πέτρον: nã πέτραν eſſe rupem aut ſaxum ingens, πέτρον verò parvum lapidem, quales ſunt, qui Græcis χερμάδες & χερμάδια *pugillares lapides*, quòd manum impleant, dicuntur. Hoc diſcrimen non eſt in lingua Latina, ubi *petra* in fœminino tantùm genere uſurpatur. Uſurpatur autem hæc vox propriè, vel metaphoricè. Propriè petra eſt rupes: metaphoricè declarat aliquid naturæ rupis, lapidis, aut ſaxi conveniẽs: & tum obtinet ſignificationem vel ex communi uſu loquendi petitam, vel ſcripturæ & Patribus peculiarem. Significatio ex communi uſu loquendi petita rurſus eſt duplex. Aut enim in bonam, aut malam partem accipitur vox *petra*. In bonam: ut cùm homo firmus adverſus affectus dici ur petra; & cùm virtutes dicuntur petræ, quòd ſint habitus conſtantes, vel quòd ſint quaſi editæ rupes extra aleç periculum; denique cùm bona vitæ æternæ propria conferuntur πέτραις ἀκινήτοις, *petris immobilibus*. In malam partem accipitur hæc vox, quando homines inſipiẽtes, ignari, & ſtupidi appellantur λίθοι, πέτραι, ξύλα, λίθινοι, αἰπολίθινοι, & λελιθωμένοι, id eſt, lapides, petræ, ligna, lapidei, ſuapte natura lapidei, & qui obriguerunt inſtar lapidum. Et hæ quidem omnes metaphoricæ locutiones ex uſu communi loquendi ſunt petitæ. Significatio ſcripturæ & ſcriptoribus eccleſiaſticis peculiaris & ipſa non eſt una. Nam petra ibi dicitur, vel ex qua, vel ſuper quam eccleſia catholica ædificatur. Priori modo omnes verè fideles ſunt vivæ petræ, ſeu vivi lapides, ex quibus conſtat ſpirituale ædificium eccleſiæ 1. *Petr.* 2. *v.* 5. Poſteriori modo petra dicitur univocè, vel æquivocè ſeu analogicè. Univocè Deus & Chriſtus appellãtur petra: analogicè hoc idem nomen tribuitur fidei, bonis operibus eccleſiæ, Scripturis, Apoſtolis (.nominatim Petro.) martyribus, ſingulis fidelibus. Et primò quidem *Deus* in V.T. locis penè innumeris appellatur צור, *petra, rupes*. Quæ appellatio ad ſignificationem nominis Tetragrammati proximè accedit. Nam Deus appellatur petra, quia eſt principium & cauſa omnium rerum, & habet robur invictum tum ſibi tum ſuis, & ab æterno in æternum durat, & deniq; eſt ſpes & fiducia noſt a, ſeu fundamentum ſpei & fiduciæ. Hoc ſenſu nomen petra eſt Deo proprium in quarto modo. Quæ etiam cauſa eſt, quòd vox צור ab Interpretibus librorum ſacrorum perſæpe non vertitur *petra*, aut *rupes*, ſed *Deus*: *ut Deut.* 32. 2. *Sam.* 22. *v.* 32. *Pſalm.* 31. *v.* 3. & 73. *v.* 26. & multis aliis locis. Deinde *Chriſtus* appellatur petra tribus potiſſimum de cauſis: tum quia eſt Deus, idem eſſentia cum Patre & Spiritu ſancto; tum quia eſt fundamentum eccleſiæ, ſeu lapis angularis, in quo totum ædificium congruenter coagmentatum creſcit, *Epheſ.* 2. *v.* 20. 21. *Pſalm.* 118. *v.* 22. *Eſa.* 28. *v.* 16. *Matth.* 21. *v.* 42. *Luc.* 20. *v.* 17. *Actor.* 4. *v.* 2. 1. *Petr.* 2. *v.* 16. tum denique quia Chriſto, ceu rupe duriſſima omnes eccleſiæ illius hoſtes obteruntur *Matth.* 21. *v.* 44. 1. *Cor.* 10. *v.* 4. Tert ò *fides vera* dicitur petra & fundamentum, quia eſt habitus à Chriſto ita infuſus, ut ſit ἀμετάθετος καὶ ἀμετάπειστος, hoc eſt, firmus & nulla perſuaſione mutabilis. Unde eſt illa locutio frequens in Patribus, fundari & ſtare ἐπὶ τὴν πέτραν, ἐν τῇ

πέτρᾳ

πέτρᾳ, ἐπὶ τῆς πέτρας τῆς πίστεως, id est, super petram, seu in petra fidei. Vide *Cyrillum Hierosolymitanum Catechesi* 14. *Damascenum* 3. *de imaginibus, Iacobi liturgiam, Chrysostomum tom.* 7. *pag.* 50. *de martyribus, Cyrillum contra Nestorium lib.* 11. Hoc quoque sensu præcipua doctrinæ Christianæ capita, ut de cultu unius Dei, de sacrosancta Trinitate, de salute per unum Jesum Christum & his similia, dicuntur fundamentum ecclesiæ. Porrò à petra, cùm pro fide accipitur, est verbum elegans πετρῶσθαι, hoc est, in petram converti: ut cùm Patres dicunt, Petro id nomen esse inditum propter τὴν πεπετρωμένην πίστιν, *propter firmissimam fidem.* Ita de Stephano ait Chrysostomus, ipsum πολλῷ πλέον τῇ πίστει πετρούμενον, *quoad fidem, omni lapide duriorem fuisse*, cùm nempe lapidum ictus exciperet. Quemadmodum autem fides, ita etiam *bona opera* quarto loco appellantur petra & fundamentum. Sic Paulus 1. *Tim.* 6. *vers.* 19. ait, θεμέλιον καλὸν εἰς τὸ μέλλον, *fundamentum bonum in futurum*: ubi Oecumenius sic annotat: τὴν τῶν ἀγαθῶν ἔργων πρᾶξιν θεμέλιον ὠνόμασε, *actionem bonorum operum nominavit fundamentum.* Quintò ipsa quoque *ecclesia* vocatur petra & mons propter stabilitatem & firmitudinem, sive, ut loquitur Chrysostomus, διὰ τὸ στεῤῥὸν αὐτῆς καὶ ἀσάλευτον. *Epiphanius in compendio de fide catholica* ecclesiam appellat sanctam Jerusalem, virginem Christi, ejus sponsam, & ἀσφαλῆ βάσιν καὶ πέτραν, *tutam basin & petram. Hieronymus super Iobi* 29. Petra ecclesia fundata super Christum, firmissimam petram, de se gratiam Spiritus sancti, velut rivos, effundit. Sextò *Scripturæ* etiam Patribus appellantur petra & fundamentum. *Origenes contra Celsum, tom.* 4. ait, domum Dei ædificari super summis montibus πάντων τῶν προφητικῶν λόγων, οἵτινες αὐτοῦ θεμέλιός εἰσι, *omnium sermonum propheticorum, qui sunt ejus* (. domus, id est ecclesiæ. *) fundamentum. Chrysostomus in libro ad eos qui scandalizantur*, ait: ἐπιλαβώμεθα τῆς πέτρας ἐκείνης καὶ τῆς ῥήσεως τῆς λεγούσης, καὶ εἶδεν ὁ θεὸς πάντα ὅσα ἐποίησε, καὶ ἰδοὺ καλὰ λίαν, *Apprehendamus illam petram, & dictum istud, Et vidit Deus omnia quæ fecit, & ecce omnia bona valde.* Septimò *Apostoli & Prophetæ* appellantur petra & fundamentum. Nam Paulus *Ephes.* 2. *vers.* 10. ait, fideles superædificari *fundamento Apostolorum & Prophetarum*, vel, quod ipsi posuerunt, vel quod sunt ipsi Apostoli & Prophetæ ratione doctrinæ. Ita *Hieronymus ad Hedybiam quæstione octava*: Petræ, *inquit*, sunt universa vaticinia Prophetarum: qui & ipsi à petra Christo cum Apostolis petræ vocabulum acceperant. Octavò *martyres* sancti appellantur hoc eodem nomine. Sic Stephanum protomartyrem appellat *Chrysostomus* petram & columnam ecclesiæ *tom.* 7. *pagina* 579. Τί τοίνυν τῆς πέτρας ἐκείνης τῆς λογικῆς γένοιτ' ἂν δυνατώτερον; τί δ' ἂν ὀφθείη τοῦ στύλου τῆς ἐκκλησίας στεῤῥότερον; hoc est, Quid igitur petra illa rationali potentius fieri queat? quid cerni possit columna ecclesiæ firmius? Nonò & ultimò *fidelium quilibet* petra nominatur à Patribus. Sic enim *Origenes tractatu* 1. *in Matth.* Petra est enim, quisquis Christi discipulus est: & *Gregorius Nyssenus libro de perfectione*, διὰ τούτων καὶ τοιούτων πέτρα καὶ ἡμεῖς ἐσόμεθα, μιμούμενοι καθὼς ἐστὶ δυνατὸν, ἐν τῇ τρεπτῇ φύσει τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀμετάθετον, hoc est, Per hæc & his

his similia, ipsi quoque fiemus petra, si imitati fuerimus, quantum fas est in mutabili natura, Domini nostri naturam, neque conversioni, neque mutationi obnoxiam. *Ambrosius lib. 6. in Evangelium Lucæ*: Qui carnem vicerit, ecclesiæ fundamentum est. Et *paulò post*: Petra est Christus, qui etiam discipulo suo hujus vocabuli gratiam non negavit, ut & ipse sit Petrus, quòd de petra habeat soliditatem constantiæ, fidei firmitatem. Enitere ergo, ut & tu petra sis. *Thomas in Catenâ aureâ, sive continuo in quatuor Evangelistas commentario*: Petra est omnis, qui imitator Christi est. Causam hujus nomenclaturæ accipe à *Gregorio Nazianzeno orat.* 28. petras dici fideles, propter στερρότητα καὶ βάρος λογισμοῦ, *firmitatem & pondus mentis*, id est, ut alii Patres dicunt, propter soliditatem fidei, & constantem professionem. Hîc observare oportet infinitam Dei bonitatem, qui proprios uni sibi titulos, mortalibus servis suis communicare non dedignatur. Nam sicut Christus *Iohan.* 8. *v.* 12. dicit ipse, Ego sum lux mundi: & *Mattth.* 5. *vers.* 14. Apostolis suis dicit, Vos estis lux mundi: sic ipse solus est petra ecclesiæ, illiusque fundamentum & lapis, & nihilominus tamen hos titulos etiam tribuit membris suis: quanquam alio sensu. Tantùm enim κατὰ μέθεξιν, *propter communicationem ex gratia Dei factam*, vel potiùs καθ' ὁμοίωσιν, *propter aliquam convenientiam*, de servis Dei ejusmodi vocabula prædicantur. Nimirum in Deo est φύσις πράγματος, *natura rei*, in nobis τιμὴ ὀνόματος, *honor nominis*, ut loquitur *Chrysostomus homiliâ post captum Eutropium habitâ*. Sed jam videamus illud, quod supra diximus, Apostolis, & nominatim Petro attribui nomen petræ. Diximus quemlibet fidelium nominari petram à Patribus. Eximiè verò illi nominantur petræ, qui inter ecclesiæ membra excellunt, ut Martyres & Apostoli. Rursus inter Apostolos Petrus frequentissimè dicitur ab omnibus Patribus petra & fundamentum ecclesiæ: non propter aliquam monarchiam (neque enim metaphora petræ adhibetur ad exprimendam dominationem, sed ad indicandam soliditatem, vel firmitatem.) sed propter eminentiam zeli; quia nempe Petrus fuit præditus ζήλῳ πεπυρωμένῳ, ut loquitur Chrysostomus, id est, *zelo ignito*. Huc accedit & illa ratio; quòd nomen hujus Apostoli petram notat. Petrus enim ita dictus est à vera petra quæ est Christus: ita ut Petrus sit nomen παρώνυμον, seu denominatum à petra. Ex his patet Christum & Petrum non uno eodemque modo appellari petram & fundamentum ecclesiæ. Nam Christus est petra ecclesiæ ratione personæ & officii sui, seu est fundamentum vitale, essentiale, principale, & αὐτοσθενές. Petrus est petra non ratione personæ suæ, sed ratione doctrinæ, adeoque est fundamentum ministeriale. Quare sicut metonymicè, sive metalepticè, authorum nomina pro ipsorum operibus ponuntur: ita Petrus, id est doctrina, seu confessio Petri, est petra ecclesiæ. Christus est αὐτοδύναμις, sive αὐτοφυὴς πέτρα, seu αὐτοπέτρα: Petrus est δυνατὸς, sive δευτεροπέτρα, quæ ῥώμην πετρίνην habet à Christo. His ita positis non difficile est explicare locum *Matth.* 16. *vers.* 18. *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo ecclesiam meam.* Nā πρώτως intelligitur Christus, unicum illud

illud

lud fundamentum principale, ut liquet ex 1. *Corinth.* 3. *vers.* 2. δεύτερως doctrina seu confessio & fides Petri, adeoque & ipse Petrus, tanquam causa instrumentalis. Sicut enim homo pius rectè dicit, Deus me sanavit, &, Medicus me sanavitr, &, Rhabarbarum me sanavit: ita ecclesia rectè potest dici ædificata super Christo, & super doctrina Petri, & super Petro vel unoquoque fidelium. Videamus hac de re sententiam Patrum. *Tertullianus adversus Marcionem libro quarto, capite* 13. Affectavit charissimo discipulorum de figuris suis peculiariter nomen (*.Petri.*) communicare. *Hilarius de Trinitat. libro secundo.* Unum igitur hoc est immobile fundamentum, una hæc est felix fidei petra, Petri ore confessa: Tu es Filius Dei vivi. *Et libro sexto, de Trinitat.* Super hanc igitur confessionis petram ecclesiæ ædificatio est. *Et paulò post*: Hæc fides ecclesiæ est fundamentum. *Chrysostomus homil.* 55. *in Matth.* Super hanc petram ædificabo ecclesiam meam, id est, fidem atque confessionem. *Cyrillus dialogorum cum Hermiâ libro quarto.* Petram, opinor, per agnominationem aliud nihil quàm inconcussam & firmissimam discipuli fidem vocavit. *Eusebius Emissenus homiliâ in natalem sancti Petri*: Super hanc petram, quam tu modò in fidei fundamentum posuisti: super hanc fidem, quam tu modò docuisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi; super hanc petram, & super hanc fidem ædificabo ecclesiam meam. *Ambrosius serm.* 84. Quia petra Christus, Simon nuncupatus est Petrus. *Et super Ephes.* 2. Super istam petram ædificabo ecclesiam meam, hoc est, in hac catholicæ fidei confessione. *Et cap.* 5. *de incarnationis Dominicæ sacramento*: Fides ergo est ecclesiæ fundamentum. Non enim de carne Petri, sed de fide dictum est &c. *Augustinus de verbis Domini secundùm Matthæum sermo.* 13. Super hanc petram, quam confessus es, super hãc petram, quam cognovisti, dicens, Tu es Christus Filius Dei vivi, ædificabo ecclesiam meam. *Idem tract.* 24. *in Iohan.* Petra erat Christus, super quod fundamentum etiam ipse ædificatus est Petrus. *Idem tract.* 10. *in primam epist. Iohan.* Quid est, super hanc petram ædificabo ecclesiam meam? Super hanc fidem, super id, quod dictum est, Tu es Christus Filius Dei vivi. Hanc eandem sententiam confirmant novem Pontifices Romani: putà *Eutychianus in decretali epist.* 1. *tom. primo Concil. Leo I. sive Magnus in celeberrimâ ad Flavianum Constantinopolitanum Episcopum epistola*: *Leo II. in epistolâ ad Constantinum Pogonatum Imper. Felix Papa epistolâ* 3. *tom.* 1. *epistolarum Pontificum Romanorum*: *Gregorius Magnus tom.* 2. *in explicatione septem Psalmorum pœnit. Innocentius III. in epistolâ ad Otthonem Frisingensem*: *Adrianus IV. in epistola ad Fridericum I. Nicolaus II. in jure canonico, dist.* 22. *cap. Omnes*: *Gregorius VII. Hildebrandus dictus, in illo versu*:

Petra dedit Petro, Petrus diadema Rodolpho. His subscribunt *Hugo de sancto Charo*, *Anselmus Glossa interlinearis*, & *Nicolaus Lyranus*, *omnes super h. locum*: item *Thomas Aquinas lect.* 5. *super Iohan.* 6. & *Pererius in Danielem.*

Pharao infanticida. Crudelis ille brephoctonus & persecutor ecclesiæ figurat diabolum, juxta hymnum:

Post jugum servile Pharaonis,
Post catenas diræ Babylonis,
Liber homo qui patriam quærat
Cœlestem Hierosolymam.

PHARISÆUS. Vide suprà פרוש.

PHILOSOPHIA INANIS. Ita *Coloss.* 2. 8. appellatur omne id, quod ab hominibus adhibetur ad evertendam justitiam Evangelii: h.e. argutiæ & inanes persuasiones de solida sapientia & justitia extra Christum.

PHURIM. Judæi habent festa legalia septem, putà sabbatum, neomeniam, pascha, pentecosten, festum clangoris, festũ propitiationis, & scenopegiam. Alias festivitates adjecerunt his Hebræi propter varios eventus, sicut Encænia & Phurim id est, festum Hester. Sed non dicuntur legales, i.e. lege institutæ. Quod attinet ad festum Phurim, id est, sortium, illud celebratur 14. & 15. mensis Adar (.nobis 27. & 28. Febr.) quibus Judæi legunt historiam Esther, & quoties mentio fit Hamani, pugnis & malleis pulsant scamna in synagogis, ac si caput Hamani ferirent. Dicitur autem *Phurim*, q. d. κληρωτήρια, ob sortem in urnas conjectam authore Hamano, tempori cædi Judæorum optando. A qua immani laniena Deus gratiosè Judæos liberavit. Itaque εὐχαριστίας ἕνεκα hoc festum fuit humanitùs institutum.

PHYLACTERIA. Sunt membranulæ, in quibus Judæi inde à Pharisæorum tẽpore inscribunt sententias quasdam Biblicas, abusi textu *Deut.* 6. 8. Hebraicè appellantur תְּפִילִּין, *orationes:* quòd oraturi, applicent sibi istas membranas. Sunt autem duæ: quarum una alligatur fronti, & dicitur תְּפִילִּין שֶׁל רֹאשׁ, id est, orationes capitis; altera manui sinistræ, & dicitur תְּפִילִּין שֶׁל יָד id est, orationes manus. Vide interpretes super *Matth.* 23.

PHYSICUM. Scholastici frequenter distinguunt causam & actionem in physicam & moralem. *Causa physica* verè ac realiter influit in effectum: *moralis* nõ influit quidem, sed tamen agit externè. Sic v.g. Deus vocando hominem internè est causa physica: pastor vocando hominem externè est causa moralis. Hinc patet physicum hîc non opponi hyperphysico, sed significare influentiam, quæ vel verè & merè est physica, ut cùm sol agit in hæc inferiora; vel est posita in influxu hyperphysico, qui aliquid simile habet influxui merè physico, ut cùm Deus nos regenerat, imprimendo nobis formam supernaturalem. Breviter *τὸ physicum* accipitur propriè pro naturali; vel impropriè pro eo quod habet aliquam convenientiam cum naturali, non quidem ratione principii interni, sed tamen ratione principii externi, quod producit in nobis supernaturaliter nova agendi principia, sicut in naturalibus fit naturaliter.

PHIALA. In Apocalypsi mysticè significatur plaga magna, qua Deus affecturus est postrema regni Antichristiani secula, hoc modo. Spiritus sanctus plagas triplices commemorat in hoc libro. Primi ordinis plagæ figurantur per sigilla: secundi ordinis, per tubas: tertii, per phialas: ubi manifesta est pœnarum αὔξησις, hoc modo. Phialę vasa sunt, quibus aqua vel alius quidam liquor cõtinetur. Cum hujusmodi itaque infuso & paulò pòst effundendo liquore Spiritus sanctus has ultimas iræ Dei plagas comparat, ut indicet, quantò aqua spissior est aëre, qui per tubam torquetur, tantò phialarum istarum plagosam operationem fortiorem & efficaciorem futuram, quàm tubarum fuit. Rursus quemadmodum usus tubæ valde est conspicuus & patheticus, sigilli non item: ita pœnæ secundi ordinis vehe-

vehementiores sunt illis primi ordinis. Sigilla & tubæ affecerunt mare, ejusque flumina, h. e. universam ecclesiam: sed phialæ effunduntur in lacum, id est, ecclesiam Romanam afficiunt. Vide tit. Lacus iræ Dei.

Phosphorus. Clarior evangelii doctrina 2. *Pet.* 1.19. appellatur hoc nomine; quod aliàs propriè significat stellam Veneris, quæ valde est illustris. Nimirum doctrina evangelii antecedit & sequitur Christum, solem illum justitiæ, sicut Phosphorus (qui & Hesperus.) antecedit & sequitur solem.

Φώτισμα, Illuminatio. Baptismus ita dicitur antiquæ ecclesiæ. Etsi enim donum illuminationis etiam conferant verbum & sacra cœna: tamen ut sacra cœna peculiari quadam ratione appellatur communio; sic baptismus, illuminatio. Vide *Dionysium cap.3. hierarch. eccles.* Sic *νεοφώτιστοι, recens illuminati*, sunt modò vel nuper baptizati.

Piaculum. Græcis *κάθαρμα*, Hebræis אָשָׁם dicitur. Quæ vox occurrit *Esa.* 53.10. *Postquam posuerit animam suam* אָשָׁם *hostiam pro delicto.* Ubi vox אשם idem prorsus significat, quod apud Paulum *Peccatum*, quando dicit, *Eum, qui non noverit peccatum, pro nobis à Deo factum esse* Peccatum. Nimirum ut אָשָׁם significat reatum atque sacrificium pro reatu: ita חַטָּאת est peccatum & sacrificium pro peccato. In Concord. Lat. vulg. vers. ita legere est de hac voce: Piaculum 1. expiatio Levit. 17. 11. 2. *Sam.* 21.3. 2. *Chr.* 29. 24. 2. scelus. *Lev.* 19.29. *Iud.* 20.6.

Pietas. Est sincera veri Dei cognitio & reverentia, cum ejusdem cõstanti professione & cultu conjuncta. 1. *Tim.* 4. 8. & 6.6. Vide etiam paulò pòst.

Pietatis Sacramentum. Ita in vulgata versione 1. *Tim.* 3. 16. dicitur incarnatio Filii Dei. In Græco est *μυστήριον*. Itaque *ἐνανθρώπησις* Filii Dei est inter maxima pietatis, i.e. doctrinæ Christianæ, mysteria.

Pietates. Ita appellantur officia pietatis in vulg. vers. 2. *Pet.* 3. 11.

Pia Fraus. Eodem sensu dicitur, quo dolus bonus, & officiosum mendacium. Harum rerum exemplum occurrit apud priscos ecclesiæ doctores: quibus solenne fuit primis ecclesiæ nascentis temporibus bono fine falsos libros fingere. Hac de re *Casaubonus exercit. 1. ad apparatum Baronii* sic ait: Postremò illud quoque me vehementer movet; quòd videam primis ecclesiæ tẽporibus quàmplurimos extitisse, qui facinus palmarium judicabant, cœlestem veritatem figmentis suis ire adjutum; quò facilius videlicet nova doctrina à Gentium sapientibus admitteretur. Officiosa hæc mendacia vocabant, bono fine excogitata. Quo ex fonte proculdubio sunt orti libri sexcenti, quos illa ætas & proxima viderunt, ab hominibus minimè malis (nam de hæreticorum libris non loquimur.) sub nomine etiam Domini Jesu, & apostolorum, aliorumque sanctorum publicatos. *Et mox*: Quemadmodũ autem istorum factum non possumus non gravissimè reprehendere: ita judicia illorũ Patrum satis mirari non possumus, qui ejusmodi scripta tanta facilitate receperunt, & ad fulciendam cœlestis veritatis authoritatem testimonia ex illis proferre non dubitarunt. Quis ignorat Justinum, Clementem Alexandrinum, Tertullianum, & alios Patres, libros sæpe laudare, quos jam nemo vel mediocriter studiis

theologicis imbutus, dubitat apocryphos fuisse: & quidem notæ aliquando non optimæ, ac proinde jure optimo à Papa Gelasio & Concilio Romano postea esse damnatos. Sed tempore opus erat, ut fraus detegeretur. Refero in hunc censum oracula Sibyllina. *Et paulò pòst:* Neque nos sanè negamus, multa divinitùs, dici potuisse à paganorum vatibus, non minùs quàm ab asina Balaam. Illa tantùm rejicimus, quæ arcana religionis nostræ apertiùs explicant, quàm factum sit unquam à Dei prophetis. Itaque Casaubonus existimat carmina Sibyllarum de Christo, & aliis mysteriis religionis, itemque librum integrum, qui sub nomine Mercurii Trismegisti circumfertur, & similia, esse ψευδεπίγραφα, hoc est, *falsò inscripta:* utpote quæ sint Christianorum, vel potiùs Semichristianorum figmenta. Hæc quoque est sententia *Augustini de civitate Dei, lib.* 18. *cap.* 48. Quæcunque, *inquit*, aliorum prophetiæ de Dei per Christum Jesum gratiâ proferuntur, possunt putari à Christianis esse confictæ.

PIEL. Ejus forma est duplex. Prima simplex, quæ significationem Kal simpliciter intendit: altera, quadrata, in qua actio thematis substantiva fit transitiva, & vis ejus ita intenditur, ut fiat frequentativa, ut מְשַׁמֵּם

PINNA. PINNACULUM. Quod *Lucæ* 4.9. est pinna templi, id apud *Matt.* 4.5. vertitur pinnaculum. Nihil autem aliud ibi significari versimile est quàm peribolum, qui circa summum tectum templi erat, ne quis ibi ambulans caderet, qualem Deus fieri omnibus in tectis jusserat *Deut.* 22.8. Latini podium appellant: Græci πτερύγιον, quia ab ædificiis extabat, & velut in aëre pendere videbatur, tanquam ala. In hunc locum diabolus Christum duxit: quia persuadere volebat, ut præcipitem se mitteret, conveniebat ejus consilio, ut in editissimum locum duceret. Erat autem Jerusalem in loco edito, templum autem in editissimo totius urbis, in monte Moriâ. 2. *Par.* 3. 1. Denique pinna locus erat totius templi altissimus.

PIETAS. Hæc est virtus ad omnia utilis. 1. *Tim.* 4. Ethnici pietatem statuerunt deam, ut & alias virtutes. Hos eleganter refutat Arnobius lib. 4. adversus gentiles. his verbis: *Nos (nisi fortè communem tollitis nobis atque eripitis sensum.) nihil horum sentimus & cernimus habere vim numinis: neque in aliqua contineri generis sui forma: sed esse virtutem viri, salutem salvi, honorem honorati, victoriam victoris, concordiam concordis, pietatē pii, memoriam memoris, feliciter verò viventis ac sine ullis offensionibus felicitatem.*

PLASMA. πλάσμα, *figmentū*, à πλάσσω. Hinc est plasmo, plasmatio, plastes, protoplastes, & protoplastus: è quibus quatuor priora vocabula usurpantur de Deo & creatione, ultimum de Adamo. Voce *plasmo* utitur vetus Bibliorum interpres 2. *Reg.* 19. *v.* 25. *Iob.* 10. *v.* 8. *Psal.* 74. *v.* 17. *&* 119 *v.* 73. *Esa.* 37. *v.* 36. 4. *Esdr.* 6. *v.* 46. *& c.* 8. *aliquoties. Sirach c.* 33. *v.* 13. Sic *plasmatio* 4. *Esdr.* 8. *v.* 7. item *plastes Esa.* 45. *v.* 11. 18. Patribus quoq; usitata sunt hæc vocabula: ut in hymno Ambrosii *Rex sempiterne* &c.

Qui mundi in primordio
Adam plasmasti hominem.

Et paulò pòst:

Vt hominem redimeres,
Quem antè jam plasmaveras.

PLACABILIS. Est 1. placatus, propitius. *Exod.* 32. 12. *Iob.* 33. 26. 2. gratiosus, charus.

charus. *Gen.*43.14.*Prov.*15.4. 3.acceptus. *Prov.*15.8.*Esa.*60.7.*&* 61.2. *Malach.*2.13. 4.expiatorius. *Exod.*29.33.*Num.*5.8.

Planto. Plantat homo idq; propriè *Gen.*9.20.vel impropriè 1. *Cor.*3. *v.*6.7.8. Plantat & Deus, & quidẽ 1. creando *Gen.* 2.8. *Psal.*94.9. 2. instaurando per Christum *Esa.*51.16. 3. ædificando ecclesiam per ministerium verbi & magisteriũ spiritus *Matt.*15.13. 4. stabiliendo suos *Exod.* 15.17.5. patienter ferendo impios *Ier.*12.2.

Πληροφορία. Est firma persuasio, sive certioratio & assecuratio. In N.T. sæpiùs occurrit, & significat plenum animi affectum & studiũm, fidemq; stabilem. Propriè πληροφόρος est, plenum aliquid adferens, non vacuum, non imperfectum: deinde, qui plenam fidem adfert. Hanc fidei plenitudinem eleganter describit **Catechismus Tridentinus**, seu **Romanus**, *parte* 1.*cap.*2. *quæst.* 2. *his verbis:* Quis in materia fidei evãgelicæ dicitur credere? Credendi vox hoc loco putare, existimare, opinari non significat: sed ut docent sacræ literæ, certissimæ assensionis vim habet, qua mens Deo, sua mysteria aperienti, firmiter constanterq; assentitur. Quamobrem is credit (quod ad hujus loci explicationem attinet.) cui aliquid sine ulla hæsitatione certum & persuasum est. Neq; verò existimare quisquã debet, fidei notitiam minùs certam esse, quòd ea non cernantur, quæ nobis credenda fides proponit. Etenim divinum lumen, quo ea percipimus, tametsi rebus perspicuitatem nõ adferat, nos tamen de his dubitare non sinit. Deus enim qui dixit de tenebris lucem splendescere, ipse illuxit in cordibus nostris, ut non sit nobis opertum evangeliũ, sicut iis qui pereunt. *Huc usq; Catechismus* **Romanus**: cum quo è diametro pugnat *canon* 13. *sessionis* 6. *Concilij Tridentini.* Si quis dixerit, omni homini ad remissionẽ peccatorũ assequendam necessarium esse, ut credat certò & absq; ulla hæsitatione ꝓpriæ infirmitatis & indispositionis, peccata sibi esse remissa, anathema sit. Ita Trident. Concilium pugnat cũ Catechismo Tridentino, seu Romano, qui jussu Pii V. Pontificis Rom. editus, & ex decreto Cõcilii exaratus est. Colophonis loco notet illud *Basilii Magni* ἠθικῶν *seu Moralium summa* 80 *c.*22. τί ἴδιον πίστεως ἀδιάκριτος πληροφορία, Quid est proprium fidei? Indubitata persuasio. De hac persuasione Juvencus rectè canit:

Namq; ubi certa fides fuerit cõplexa salutem
Non erit ulla illic anceps agitatio ———

Plethi. Vide Crethi.

Plumarius. Nicol. Fullerius miscel. sacr. l.1.c.20. putat artẽ plumariã eam fuisse, quę nunc apud Indos Occidẽtales viget, q opera plurima ex aviũ plumis versicolorib. contexunt exquisita & inimitabili arte. Hãc solertiã putat illuc esse traductã unà cum ipsis hominibus. Alii plumariam artẽ dictam esse putant, quòd super culcitris plumeis exerceret. Sed astipulor Fullerio. Itaq; plumarius ꝓpriè est artifex operis plumarii, seu ex pluma: synecdochicè quilibet dædal⁹ variator. De arte plumaria & opere plumario idẽ est judiciũ. Vide hæc vocabula in vulg. vers. *Exod.*35.35.*c.*39.29.*c.* 26.*v.*1.31.36.*c.*28.39. *&* 36.37.

Pluvia temporanea seu tempestiva & serotina. Occuriũt hęc *Deut.* 11.14.*&* *Ioel.*2. Est autẽ pluvia tempestiva, quę decidit post sementẽ, & terrã instituit ad ꝓferendos fructus: serotina, quæ antecedit collectionẽ proventuũ, & reddit grana turgida, ut uberior messis colligat.

Pneuma.

PNEUMA. In prosa, quæ canitur die Epiphaniæ, hæc leguntur verba: *Omnis nunc caterva tinnulum jungat laudibus organi pneuma*: ubi vox πνεῦμα significat cantionem musicam organo pneumatico decantandam.

POENITENTIA. Significatio ejus alia est in Canone, alia in praxi ecclesiæ. Nam ibi pœnitentia est actus hominis avertentis se à malo, & convertentis ad bonum: hîc est actus idem certis signis coram ecclesia manifestatus. De priori eleganter dicunt Rabbini: *Ad pœnitentiam quatuor requiruntur*: *Primum*, ut aliquem pœniteat peccati, iniquitatis, & reatus: *Secundum*, ut ea deserat: *Tertium*, ut confiteatur illud in corde suo: *Quartum*, ut in corde suo firmiter & sincerè constituat, se nolle ad illa reverti. Vide plura infra, ubi hic titulus recurrit.

POENA. Triplex est pœna; solutionis sive satisfactionis, probationis, castigationis, & ædificationis. Et pœna solutionis aut est perfecta, ut λύτρον Christi: aut imperfecta & semper continuata, ut est pœna damnatorum.

POETICI LIBRI. Sic à theologis dicuntur quinq; ista volumina; Job, Psalmi, Proverbia, Ecclesiastes & Canticum canticorum: non quòd constent oratione numerosa, qualis est apud Græcos & Latinos, constans longarum & brevium syllabarum varietate: aut quòd rhythmicè sint conscripti: sed quia conscripti sunt stilo pathetico, qualis est poeticus. Itaque τὸ poeticum hîc non est idẽ quod numerosum, sed significat πάθος poeticum. Deinde in iis libris non solùm est poesis sublimitate stili constans, sed etiam membra orationis jucundè temperans, quanquam citra pedum mensuras. Scribit quidem Hieronymus prologo 1. in Jobum, *A verbis Iob, in quibus ait*, Pereat dies, in qua natus sum &c. *usque ad eum locum, ubi ante finem voluminis scriptum est*, Idcircò ipse me reprehendo &c. *hexametri versus sunt dactylo spondeoq; currentes, & propter linguæ idioma crebrò recipientes & alios pedes, non earundem syllabarum, sed eorundem temporum*. Sed hîc usurpari potest illud vetus: οὐ μανθάνω.

POENITEOR. Occurrit in vulg. vers. *Marc*. 1. 15. & *Act*. 3. 19. Pœnitemini, pro, pœnitentiam agite.

Πολίτευμα. Est vita, sive conversatio civilis. Occurrit hæc vox *Philip*. 3. ubi apostolus πολίτευμα nostrum reponit in cœlo. Videtur autem respexisse ad illa Heracliti verba; πολιτεύσομαι οὐκ ἐν ἀνθρώποις, ἀλλ' ἐν θεοῖς, *epistolâ ad Amphidiamantem*. Rectè vertitur, *Municipium nostrum est in cœlo*. Nam municeps est, qui in civitatem Romanam receptus muneribus capessendis fit aptus; seu qui receptus est in civitatem, ut munus faciat cum civibus, suo interim utens jure. Hæc egregiè competunt electis, quorum nomina scripta sunt in cœlo.

POLITIA. Aliquando est vitæ institutum. Sic Epiphanius πολιτείας μείζους appellat instituta vitæ austeriora. Quas vulgò regulas dicunt monachorum, quæ totius vitæ degendæ normam præscribunt, eas Græci Patres πολιτείας interdum appellant: unde etiam πολιτεία ponitur pro κακουχία & vexatione corporis ex pia devotione aut etiam superstitione. Apud Chrysostomum sæpe πολιτείας nomine intelliguntur bona opera, quę alibi πρᾶξιν ἀγαθὴν & βίον καθαρὸν vocat.

POENITENTES. Ita specialiter in ecclesiâ

ecclesiâ dicuntur, qui ob scandalum datum certos ritus obeunt, per quos testantur seriò se resipiscere, & cum offensis in gratiam redeunt. Olim in Ecclesia Oriẽtali erant quatuor eorũ ordines. 1. προσκλαίοντες, *aggementes*; qui extra ecclesiam stantes orabant ingressuros, ut preces pro se funderent. 2. Ἀκροώμενοι, *Auscultantes*; qui stabant in loco, cui nomen erat Νάρθηξ, *Ferula*. 3. Ὑποπίπτοντες, *Succidentes*; qui intra ecclesiam post suggestum stabant, & orantes procidebant. Illi ante eucharistiam exibant cum Catechumenis. 4. Συνεστῶτες, *Consistentes*; qui orantes quidem in ecclesia stabant, sed ad eucharistiam non admittebantur. Basilius Magnus canon. 58. ὁ μοιχεύσας πεντεκαιδεκαετίαν. τέσσαρα μὲν ἔτη προσκλαίων, πέντε δὲ ἀκροώμενος, τέσσαρα ὑποπίπτων, καὶ ἑνὶ συνεστὼς, ἤγουν τοῖς πιστοῖς συνευχόμενος, τῶν ἁγιασμάτων δὲ μήπω ἀξιούμενος, εἰ μὴ μετὰ τοῦτο.

Poenitentia. Usurpatur de Deo & hominibus. In Deo pœnitentia non est affectus, sed mutatio effectus: quia nempe ipsi displicet suam beneficentiam erga perversos continuare, aut suas pœnas in conversos extendere amplius. *Gen.6.v.6.7. Ier.26.v.13.19.* In hominibus pœnitentia est legalis vel evangelica, initialis vel consequens &c. Vide nostras definitiones theologicas.

Polyandrium. Tria significat. 1. locum, ubi multi sunt viri. 2. locum, ubi multi sunt sepulti. 3. locum, ubi congregabuntur in fine seculi omnes homines. Postrema ista significatio est apud Lactant. de opific. Dei, *c.* 11. *Tunc fient terræmotus, & scindent se montes, & subsident in latitudine valles profundæ, & congerentur in ea corpora mortuorum, & vocabitur nomen ejus* πολυάνδριον.

Polymitarius. Est, qui varii coloris filis opus variegat. *Exod.* 35. 36. 37. 38. in vulgata vers.

Polystaurium. Erat vestis Patriarchalis, cui multæ cruces erant intertextæ. Dicebatur etiam φαινόλιον.

Pontifex. Numa Pompilius constituit magnum sacerdotem hoc nomine, cùm Tiberis impetu magno delatus antiquissimum pontem invaderet. Hic votis placatoriis ad fluvium factis, ne pontem dirumperet, fluvio persuasit, ut pontem quietè toleraret. *Ita Suidas.* Pontifex itaque ethnicis primitùs dictus est sacerdos ille, qui pontem liberavit. Deinde quilibet sacerdos dictus est Pontifex. Manavit hoc nomen ad Christianos Latinos: qui pontificem vocarunt quemlibet pastorem ecclesiæ, & κατ' ἐξοχὴν pastorem ecclesiæ Romanæ; qui etiam differentiæ causa dicitur Pontifex Maximus.

Potestas. Ea Scholasticis est triplex. 1. summa, seu authoritatis; quæ est solius Dei. 2. Media, seu excellentiæ; quæ est Christi θεανθρώπου. 3. Infima, seu ministerii, qualis est hominum. Deinde potestas *Rom.* 13. 1. significat magistratum. Denique angeli appellantur potestates *Coloss.* 1. 16.

Præceptum. Sumitur latè pro quavis sententia, qua aliquid præcipitur: vel strictè, & ita præcepta, ceremoniæ & judicia distinctè dicuntur *Deut.* 5. 31. ubi מצוה, ἐντολαὶ, sunt leges morales, quarum ratio est clara & evidens in ipsa litera. חקים δικαιώματα, sunt ceremoniæ, quæ rationem habent secre-

tam: משפטים, κρίματα, sunt leges judiciales.

PRÆDAMNO, Significat antè damno, damnationem mente concipio, antequam fiat. Est autem prædamnatio alia justa, ut est illa in Deo ab æterno: alia injusta, de qua Tertull. in apol. *Ignotam sectam, ignotum & authorem, vox sola prædamnat, quia nominantur, non quia revincuntur.* Quod attinet ad prædamnationem divinam, illa est præparatio pœnæ, & à Scholasticis appellatur *reprobatio affirmativa & activa*, quæ est alter actus reprobationis, ante omnes quidem res, sed non causas in rebus aut à rebus exituras præcognitas & consideratas. Est enim respectivus peccati, tanquam antecedentis necessarii. Quia ut Deus justè hominem propter peccatum in tempore damnat: ita & illum ab æterno propter peccatum prædamnavit. Primus actus reprobationis dicitur præteritio, seu non-electio, Scholasticis *reprobatio negativa & passiva*, ante omnes res, & causas in rebus aut à rebus exituras. Ejus enim causa extra Dei voluntatem nulla est. *Matth.* 11. 25.

PRÆDESTINATIO. Hujus vocis notio in Scripturis est specialis. Significat enim præordinationem seu electionem ad gratiam & gloriam æternam, *Rom.* 8. *v.*30. Et hoc sensu ex Patribus & Scholasticis prædestinatio definitur præparatio gratiæ ad gloriam, seu præparatio gratiæ & gloriæ. Sed in scholis theologicis attenditur latior significatio hujus vocis, ita quidem, ut prædestinatio ponatur genus electionis & reprobationis. Cujus latitudinis ratio adfertur triplex. Nam primò prædestino, si vocis vim spectes; nihil est aliud quàm ante destino, constituo, ordino: & proinde prædestinatio æterna est destinatio ad quecunq; statum, sive beatum ex gratia, sive miserum ex justitia. Deinde veteres doctores eodem modo usurpant hanc vocem. *Augustinus tom.* 9. *tract.* 48. *in Iohannem* ait: Quomodo dixit istis. Non estis ex ovibus meis? Quia videbat eos ad sempiternum interitum prædestinatos, non ad vitam æternam sui sangvinis pretio comparatos. *Et tractatu* 110. Pro eo mundo Christus non rogat, de quo scriptũ est, Ne cum mundo damnemur: neq; enim quò prædestinatus sit, ignorat. *Et paulò post*: Ipsi sunt mundus damnationi prædestinatus. *Fulgentius lib.* 1. *ad Monimum*: approbat & explicat sententiã Augustini, quâ ad interitum quosdam prædestinatos affirmat. *Idem ibidem*: Non ergo prædestinati sunt mali ad hoc, quòd malè operantur, à concupiscentia sua abstracti & illecti, sed ad hoc, quòd justè patiuntur inviti. Prædestinationis enim nomine non aliqua voluntatis humanæ coactitia necessitas exprimitur, sed misericors & justa futuri operis divini sempiterna dispositio prædicatur. *Concilium Valentin. sub Lothario cap.* 3. Cõfitemur prædestinationem electorum ad vitam, & prædestinationem impiorum ad mortem. Ad extremũ res ipsa habetur in Scripturis. Legimus enim ibi nõ tantùm electos esse prædestinatos ut conformentur imagini Filii Dei *Rom.* 8. *v.* 29. sed etiã reprobos esse προγεγραμμένους εἰς τοῦτο τὸ κρῖμα *Iudæ vers.* 4.

PRÆMIUM. Scholastici præmium beatorum duplex ponunt. 1. *substantiale*; quod est animæ beatitudo, consistens in clara visione & perfecta securitate de visionis illius & fruitionis perpetuatione, & gaudio quod habent in Deo. 2. *Accidentale*; quod consistit in gaudio, quatenus

nus habent de bono creato vel de liberatione ab aliquo malo. *Iidem* dicunt præmium quoddam auream, quoddam aureolam, quoddam quod nec est aurea nec aureola. *Aurea* est præmium substantiale: *aureola* est gaudium seu gradus gaudii de operibus à se factis, rationem habentibus excellentis victoriæ, per quod apparebit exteriùs in corpore quidam decor: *præmium quod nec est aurea, nec aureola*, est gradus quidam gloriæ.

PRAEPUTIUM. Est 1. carnis. *Gen*.17.*v*.11.14.23. 2. cordis. *Deut*.10.6. *Ier*.4.4.3. arborũ. *Lev*.19.23. 4. ipse præputiatus. *Ro*.2.*v*.26.27. 5. status & conditio præputiati post Christi manifestationẽ *Gal*.5.6.*c*.6.15.

PRAESCIENTIA. Est 1. præstitutum Dei. *Act*.2 23.1.*Petr*.1.2. 2. adventus. Ita 2.*Petr*.1.16. in vulg. vers. præscientia Christi ponitur pro adventu ejus. Puto legendum esse *præsentia*.

PRAESCITI, προεγνωσμένοι. Aliàs hac voce significant communiter electi & reprobi: aliàs specialiter electi: aliàs deniq; itidem specialiter reprobi. Secundæ significationis exemplum est apud *Iustinũ Martyrem apologia* 2. *pro Christianis*, ubi ait, Deũ tãtisper Christũ in cœlis detẽturum, dum hostiliter adversantes ei dæmones percutiat, & eorum numerus, qui boni atque ꝓbati esse ab eo præcogniti sunt, expleatur. *Similiter in dialogo cum Tryphone Iudæo* ait, electos, ut crederẽt, præcognitos fuisse. *Ambrosius lib*. 1. *de vocatione gentium cap*. 3. ait: In electis & præscitis atq; ab omnium generalitate discretis, specialis quædam censetur universitas. *Item*: Plebs ergo præscita, plebs nõ repulsa, ii sunt, qui in Christo justificati sunt. *Augustinus tom*.7. *de bono perseverantia li*.2.*c*.18. Unde aliquando eadem prædestinatio significatur etiam nomine præscientiæ, sicut ait apostolus, Nõ repulit Deus plebẽ suam ꝗ præscivit. Hoc ꝙ ait, præscivit, non rectè intelligitur, nisi prædestinavit: quod circumstantia ipsius locutionis ostendit. Loquebatur enim de reliquiis Judæorũ, quæ salvæ factæ sunt, pereuntib. cæteris. Tertiæ significationis exempla occurrunt apud Scholasticos, q; præscitos & prædestinatos opponunt, ita ut illi sint damnandi seu reprobi, hi servandi seu electi. Superest prima significatio, quæ in libellis theologicis passim occurrit. Nam præscientia Dei si cesset cõparata, ut illâ præsciat futura, i. e. evidẽter ea cognoscat. Itaq; Deus omnia præscit: quia ipse scit, q̃d facere, quid permittere, quid impedire velit. Cęterùm etsi omnia Deus præscit: tamen frequentiùs electi in Scripturis dicuntur præsciti. *Rom*.8.*v*.29. *c*.9.*v*.2.1.*Petr*.1.*v*.20. Quibus in locis vox πρόγνωσις eleganter vertitur *prædecretum*, seu *ante-decretum*.

PRAESCRIBO. Inter alia significat normã proponere imitandã: sicut præceptor discipulo dat ὑπογραμμόν. Ita hæretici habent suas præscriptiones, Deinde præscriptio est certa exceptio. Ita Tertullianus edidit pręscriptiones, i. e. exceptiones, contra hæreticos.

PRAESENTIA. Est συνύπαρξις ἀδιάστατος, *indistantia ab aliquo*, seu existentia rei cum re. Ita locatum à loco non distat, neque cognitũ à cognoscente, neq; notificatum à notificante, neq; creditum à credente. Porrò dicitur aliquid præsens esse. 1. τοπικῶς, *localiter*, respectu loci. 2. σημαντικῶς, *significativè*, quatenus repræsentatur. 3. ἀντιληπτικῶς, *perceptivè*, quatenus percipitur. 4. ἐνεργητικῶς, *operativè*, quatenus operatur. Rursus pꝛæsentia est major vel minor, mediata vel imẽdiata, naturalis vel supnaturalis,

essentialis vel accidentalis, realis vel intentionalis, substantialis vel pactionalis, quò pertinet præsentia sacramentalis. Ad extremum tres sunt modi præsentiæ Dei: γενικὸς, *generalis*, quomodo Deus omnibus rebus est præsens: εἰδικὸς, *specialis*, quomodo Deus est præsens ecclesiæ suæ: εἰδικώτατος, specialissimus, quo pacto personæ SS. Trinitatis sibi invicem sunt præsentes, & λόγος præsens est carni assumtæ.

PRÆSTABILIS. Primò est idem quod excellens, præstans: deinde, qui facilè præstat, hoc est, remittit *Ioel. 2. v. 13.* Hugo: *Benignus* (.Deus.) *attrahendo, misericors dulciter suscipiendo, patiens expectando, multæ misericordiæ omnia remittendo, & præstabilis super malitia, minimè puniendo: vel præstabilis, quia semper præsto est veniam postulanti. Hi sunt quinque digiti in manu Dei attrahentes.* In Concordant. Lat. vulg. vers. sic adnotatur: *Præstabilis, quem pœnitet* Joel. 2. 13.

PRÆSUMO. Est 1. antè sumo, præoccupo, priùs sumo: ut in vulg. vers. 1. *Cor. 11. 21.* Si cœnam præsumit. 2. mente judico, suspicor, animo sumo rem cognitam; præsumo cogitatione. Sic dicimus præsumere spe. 3. nimium mihi sumo, audax & impudens sum. Hinc & præsumtio variè dicitur. Est enim 1. propriè dicta, qua quis ante sumit, seu præcipit rem aliquam. 2. impropriè dicta: & hæc est culpabilis, videl. superbia, qua quis nimiùm sentit de suis viribus aut operibus, aut impunitate: vel laudabilis, quæ nempe est modesta secundùm veritatem. Distinguitur etiam in temerariam, verisimilem seu probabilem, & violentam.

PRÆTER. Hæc vocula latiùs patet, quàm *contrà*, juxta illud *Bernhardi lib. 2. de consideratione ad Eugenium*: Contra salutem propriam cogitet nihil. Minus dixi, contra: præter dixisse debueram. Ita *Chrysostomus in Gal. 1. ad illa verba Pauli*: Etiamsi ego aut angelus de cœlo evangelizaverit vobis præter id quod accepistis, anathema sit: *sic annotat*: Neq; dixit, Si contraria annuntiaverint, aut totũ evangelium subverterint: verùm si vel paulum evangelizaverint præter evangelium, quod accepistis, etiamsi quidvis labefactarint, anathema sit.

PRAVICORDIUS. Pravus corde. Occurrit in vulg. vers. *Eccles. 3. 38.*

PRECATIO. Est civilis, vel religiosa. Precatio civilis, sive socialis, est, cùm in communi hominum societate unus aliquid ab altero precatur. Religiosa est, quæ soli Deo debetur. Estque vel communis SS. Trinitati, vel propria Christi mediatoris, quæ dicitur ἀξίωμα θεανδρικὸν, quo Christus θεάνθρωπος in unitate personæ invocatur.

PRANDIUM. Patres nonnulli cœnam Domini appellant prandium. *Zeno Veronensis serm. ad neophytos.* Hortor vos nativitatis tantæ festa læto celebrare convivio; cœlesti prandio, honesto, salubri, atque perpetuo. In veteri tragœdia, *Christus patiens*, eodem versu, & prandium nominatur & cœna. Sic enim ait poëta, sive is fuit Apollinaris, sive Gregorius Nazianzenus: Μύσαις ἄριστον παραθεὶς δεῖπνον μέγα, *Mystis prandium apponens, cœnam magnam.*

PRETIUM. In Scriptura usurpatur de sangvine Christi: *Pretio emti estis.* Patres corpus Christi vocant *saccum pretii nostri*, in quo Dominus portavit pretiũ redemtionis nostræ. August. in Ps. 22. *Ecce Christus*

stus passus est: ecce mercator ostendit mercem: ecce pretium, quod dedit: sanguis ejus fusus est: in sacco ferebat pretium nostrum: percussus est lancea: fossus est saccus: & manavit pretium orbis terrarum. Idem cõfess. c. 14. eucharistiam vocat *sacramentum pretii* [illegible] mus religiosam memoriá sacrificii Christi, quod est pretium redemtionis nostrę.

PRETII NOSTRI SACRAMENTUM. Sic August. Confess. c. 14. vocat eucharistiam; quia est memoria sacrificii illius, in quo solo posita est nostra salus, & pretium nostrum.

PRESBYTER. Propriè est senior: deinde honorabilis persona: tum ecclesiæ pastor, *Actor.* 14. 23. & 15. 2. 1. *Timoth.* 5. *v.* 17. 19. *Tit.* 1. 5. *Iac.* 5. 14. & specialiter pastor, qui est gradu inferior, quàm episcopus: denique Christianus excellens, qui in pastorum collegium cooptatur disciplinæ juvandę causa. In historia ecclesię penultima significatio est usitatissima. *Clem. Alexandr. Strom.* 6. κατὰ τὴν ἐκκλησίαν προκοπαὶ ἐπισκόπων, πρεσβυτέρων, διακόνων. Et 7. τὴν μὲν βελτιωτικὴν οἱ πρεσβύτεροι σώζουσιν εἰκόνα, τὴν ὑπηρετικὴν δὲ διάκονοι. Hier. ad Evagr. *Alexandriæ à Marco Evangelista presbyteri semper unum ex se electum in excelsiori gradu collocatum episcopum nominabant.* Tamen etiam permutabantur illa nomina, ut episcopi pro presbyteris, & presbyteri pro episcopis dicerentur. Ita Johannes 3. ep. se vocat πρεσβύτερον. Sic Hieron. in cap. 1. Tit. ait: *Idem ergo est presbyter, qui episcopus.* Ibidẽ scribit, à superbia profectum esse, ut decretum fuerit in toto orbe, *ut unus de presbyteris electus superponeretur cæteris.* Addit: non suam, sed scripturarũ esse sententiam, *episcopum & presbyterum esse unũ nomen officii.* Quid hîc amabo statuendum? Resp. Nomina ista primò quidem fuere communia, ut Chrysostomus, Theodoretus, & Oecumenius docent: sed successu temporis gradu dignitatis distingui cœperunt episcopus & presbyter: tandem etiam accessit gradus jurisdictionis, invalescente καισαροπαππίᾳ in ecclesia.

BRESBYTERIUM. Est 1. officium & dignitas presbyterorum, quæ etiam dicitur presbyteratus. 2. cœtus seu collegiũ presbyterorum. 3. locus, ubi congregari solent presbyteri.

PRIAPUS. Est horrenda statua idololatrica, terriculum. 1. *Reg.* 15. 13. 2. *Chron.* 15. 16. Sic quidem vulgatus interpres. Priori loco vox Hebr. significat horrorem, horrendum idolum: posteriori intelligitur Astarte, quæ fuit & Juno, & Venus, & Luna, ut monet Josephus Scaliger.

PRIMATUS. Primatus ecclesiasticus est functionis, vel ordinis, vel temporis, vel ætatis, vel præstantiæ donorum, vel dignitatis, honoris & potestatis. *Primatus functionis* est apostolatus. Nam Apostoli gradu superiores erant aliis ministris ecclesiæ. Hunc primatum omnes Apostoli ex æquo habuerunt. *Primatus ordinis* est, quo quis primus est in ordine collegarũ. Hunc Petro tribuunt Patres. *Primatus temporis* est, quo quis tempore prior est aliis. Sic Petrus priùs ad apostolatum vocatus est quàm Johannes, Paulus &c. *Primatus ætatis* est, quo quis ætate aliis antecedit. Hunc primatum etiam Petrus videtur habuisse. *Primatus præstantiæ donorum* est, cùm quis eminet inter alios ob dona sibi collata. Sic agnoscit Paulus τοὺς ὑπερλίαν ἀποστόλους. *Primatus dignitatis, honoris, & potestatis* est, cùm quis alio est dignior, & ideo honoratur præ illo, & plus potest. Intellige dignitatẽ & honorem toto

genere diversum. Hujusmodi primatum Petrus præ aliis Apostolis non habuit: ut patet ex sequentibus. *Cyprianus martyr libro de unitate ecclesiæ, sect.* 3. *ait*: Hoc erant utique & cæteri Apostoli, quod fuit Petrus, pari consortio præditi & honoris & potestatis. *Ibidem*: Christus Apostolis omnibus post resurrectionem suam parem potestatem tribuit. *Idem epist.* 71. *ad Quintum*: Petrus, quem primum Dominus elegit, & super quem ecclesiam suam ædificavit, à Paulo reprehensus, non vendicavit sibi aliquid insolenter, aut arroganter assumsit, ut diceret, se primatum tenere, & obtemperari à novellis & posteris sibi potiùs oportere. *Chrysostomus super Act.* 1. Jam & illud considera, quàm Petrus egerit omnia ex communi discipulorum sententia, nihil authoritate sua, nihil cum imperio. *Idem in Gal.* 2. de Paulo ait: Jamque se cæteris honore parem ostendit, nec se reliquis illis, sed ipsi summo (. τῷ κορυφαίῳ.) comparat, declarans quòd horum unusquisque parem sortitus sit dignitatem. *Ambrosius libro de incarnationis Dominicæ sacramento, cap.* 5. Petrus ubi audivit, vos autem quid me dicitis? statim loci non immemor sui primatum egit: primatum confessionis utique, non honoris: primatum fidei, non ordinis. *Ordinem hîc vocat superioritatem, seu gradum, quo aliis sublimior extiterit. Idē super Gal.* 2. Paul⁹ accepit à Deo, ut dignus esset habere primatū in ṗdicatione gentiū, sicut & habebat Petrus in prædicatione circircumcisionis. *Ibidem*: Paulus Petrum solum nominat, & sibi comparat, quia primatum ipse accepit ad fundandam ecclesiam: se quoque pari modo electum, ut primatum habeat in fundandis gentium ecclesiis. *Gregorius Magnus libro* 4. *in* 1. *Reg. cap. ult.* dicit, Paulum esse effectum caput nationum. Ex his, & similibus locis Patrum, patet, Petro tribui primatum sive prærogativam ordinis, donorum, ætatis, fervoris sive zeli &c. non verò dominationis, jurisdictionis, potestatis, honoris, dignitatis: nisi fortè honoris & dignitatis vocabula restringas ad dona majora & plura. Sed videamus titulos, qui Petro passim tribuuntur, & illos accommodemus ad ea, quæ paulò ante ex Patribus recitata sunt. *Eusebius ecclesi. historiæ li.* 2. *c.* 14. Petrum his titulis ornat: τὸν καρτερὸν καὶ μέγαν τῶν ἀποστόλων, τὸν ἀρετῆς ἕνεκα τῶν λοιπῶν ἁπάντων προήγορον, *fortem illum, & magnum inter Apostolos, qui virtutis ergo ante reliquos omnes loqui solitus.* Etiam apud *Chrysostomum homil.* 3. *in Acta* tale quid legitur: εἰκότως ταῦτα ἐγίνετο διὰ τὴν ἀρετὴν τοῦ ἀνδρὸς, *Meritò hæc ita fiebant. propter excellentem viri* (. Petri.) *virtutē. Idem super Matt.* 16. sic scribit: Τί οὖν τὸ στόμα τῶν ἀποστόλων ὁ Πέτρος; ὁ πανταχοῦ θερμὸς, ὁ τοῦ χοροῦ, τῶν ἀποστόλων κορυφαῖος &c. *Quid igitur Petrus os illud Apostolorum? Is, ut calidus ubique, chori Apostolorum coryphæus* &c. Hîc tria elogia tribuuntur Petro. In primo, quòd dicitur fuisse os Apostolorum, virtutis præstantioris specimen inesse quidam existimant, & rectè. Secundum elogium passim tribuitur Petro apud Chrysostomum. Oportet autem per θερμότητα, id est, calorem, intelligere zelum Petri, ut constat ex illo *Hieronymi super Matth.* 15. In omnibus locis ardentissimę fidei invenitur Petrus. Ita *Cyrillus in Iohannem lib.* 12. *ca.* 64. ait, Præveniebat alios Petrus. Ardore namque Christi præcipuo fervens, & ad faciendum, & ad respondendum paratissimus erat. In tertio elogio specimē est hono-

honoris, quem coapostoli habuerunt Petro: at non dominationis, neque monarchiæ. Nimirum quo sensu Demosthenes Dionysio Halicarnasseo dicitur dux & coryphæus chori Oratorũ; & Appius Claudius eidem appellatur κορυφαιότατος τῆς δεκαρχίας, id est, *præcipuus dux decemviratus*: eodem sensu Petrus Chrysostomo dicitur κορυφαῖος τοῦ χοροῦ τῶν ἀποστόλων, & Epiphanio in Ancyroto pag. 484. ὁ κορυφαιότατος τῶν ἀποστόλων q. d. coryphæorum supremum, seu maximè præcipuũ. Adeo autem appellatione hâc coryphæi, vel etiam κορυφαιοτάτου, nullum peculiare jus dominationis, aut honoris toto genere sejuncti, attribuitur, ut in eodẽ collegio possint esse plures κορυφαιότατοι, ut in collegio Apostolorum Petrus, Johannes & Jacobus, qui & præstiterunt reliquis, & nominantur ante reliquos. Porrò Petrus à Græcis Patribus appellatur ἔξαρχος, ἀρχηγὸς, κεφαλὴ, πρωτοστάτης, προστάτης, προήγορος τῶν ἀποστόλων, id est, *præcentor*, *dux*, *caput*, *antistes*, *præses*, *prælocutor* Apostolorum. Quæ quidem omnia sunt vocabula ordinis, non dominationis. Quâ de re eleganter & verè *Cyrillus in Iohannem libr. 4. cap. 38.* Per unum qui præerat, omnes respondent: sanctam profectò sanctisque congruentem disciplinam optimè conservantes, & posterioribus prudentiæ atque modestiæ laudabilia præbentes exempla. Decet n. non omnes confusè, nec prosilientes impudenter, quasi raptâ uti ratione: sed cedere iis, qui & consilio & ordine præpositi sunt. Propterea Paulus quoq; ait, Prophetæ duo aut tres vicissim loquentur. Opus igitur erat divinitùs comprobatæ prudentiæ, soli responsionem cõmittere illi, qui *ordine major* erat. En pulchrè descriptum primatum Petri: quem & tot locis Augustinus ait, fuisse *primũ ordine*. Huc quoque pertinet, quod *Barlaam* ait *in libello de principatu Papæ*: Apostoli, quod ad ecclesiam attinet, ἰσότιμοι πάντες ἐτύγχανον, i. e. honore pares erant: sed in sacro illo choro duodecim virorum B. Petrus ἐξῆρχετο, i. e. erat coryphæus: hanc habẽs prærogativam, quòd præsentibus cæteris ipse docendi initium faciebat: ac fortasse etiam πρωτοκαθεδρία, honos primo loco sedendi, illi deferebatur. Sic itaque in potestatis æqualitate fuit aliqua inter Apostolos honoris diversitas. Id enim loca illa Scripturæ sine dubio innuunt, in quibus vel nominatur primus inter Apostolos Petrus, ut *Matth. 10. v. 2. Marc. 3. v. 16. Actor. 1. v. 13. & alibi*: vel seorsim à reliquis nominatur, ut *Marc. 1. v. 36.* Et prosecutus est eum Simon, & qui cum eo erant. Sic *Luc. 8. v. 45. Act. 11. v. 14. & 37.* Hæc est honoris prærogativa, de quâ *Cassianus lib. 3. de incarnatione Domini*: Primum decuit respõdere (*Petrum*) ut idem esset ordo responsionis, qui erat honoris: & ipse antecederet confessione, qui antecedebat ætate. Honoris prerogativa non est dominatio, neque imperium monarchicum. At, inquis, Patres non solùm attribuunt Petro τιμὴν, *honorem*, inter collegas, item ἡγεμονίαν καὶ προστασίαν, *curam & præsidentiam*, similesque titulos: sed etiam *regnum*, ut quando *Ambrosius* ait *lib. 4. de fide*, Christũ dedisse Petro regnum. At, inquam ego, ibi est sermo de regno cœlorum, seu de jure clavium, quod omnium Apostolorum fuit cõmune. Hinc Chrysostomus elegãter ait, omnes Apostolos communẽ ἀρχὴν πνευματικὴν, *principatum, vel dignitatem spirituale͂*, à Christo accepisse. Rursus, inquis, Petrũ usurpasse aliquã authoritatem

tem inter Apostolos. Resp. Authoritas illa Chrysostomo dicitur παρρησία, *libertas, aut fiducia loquendi*, eaque generosa: seu pia quędam audacia faciendi aliquid eximiū præ cæteris. Verba Chrysostomi sic habent *super Matth*.17. Πέτρος ὁ πανταχοῦ θερμὸς, καὶ παρρησίας γέμων, μᾶλλον δὲ ἀγάπης ἢ παρρησίας: *Petrus in omnibus calidus, plenus libertatis, vel charitatis potiùs quàm libertatis*. Hîc Chrysostomus, quasi corrigens se, tribuit charitati, quod antea tribuerat τῇ παρρησίᾳ. Nulla hîc est monarchia, aut dominatio. Quâ de re idem *Chrysostomus super Actor*. 1. *vers*. 25. sic ait: Ὅρα δὲ αὐτὸν μετὰ κοινῆς πάντα ποιοῦντα γνώμης· οὐδὲν αὐθεντικῶς, οὐδὲ ἀρχοντικῶς: *Observa autem ipsum* (.Petrum.) omnia facere de communi sententia Apostolorum: nihil quasi haberet authoritatem, aut principatum. αὐθεντικῶς est, quod in Scholis dicitur authoritativè. Vox primatus occurrit *Coloss*.1.18.3.*Iob*.9.

PRIMICERIUS. Est quisquis in ordine suo primus. Ita Augustinus serm. 21. Stephanum vocat *primicerium martyrum*: & Badricus Dolens-Archiepisc. in historia Hierusalem Petrum appellat *primicerium Apostolorum*.

PRIMITIVUS ACHAIÆ IN CHRISTO. Sic *Rom*.16.5. dicitur, qui primus in Asia Christo nomen dedit, ad fidem ejus conversus.

PRIMITIÆ. Sunt 1. naturales. 2. legales. *Exod*.23.19.3. Spirituales. Et ita 1. Christus dicitur primitiæ dormientium seu mortuorum. 1. *Corint*.15.*vers*.20.23 2. credentes dicuntur primitiæ. 1. *Corinth*.16.15. 2. *Thess*.2.13. *Apoc*.14.4. 3. dona Dei dicuntur primitiæ spiritus. *Rom*.8.23.

PRIMOGENITUS. Propriè est qui de matre primus natus est. Deinde ponitur pro pręcipuo & excellente: item pro charissimo. Jus primogeniti in V. T. erat dupla portio hæreditatis. v. g. si tres essent filii, hæreditas in quatuor partes dividebatur, quarum duæ primogenito cedebant. *Deut*.21.17. Deinde ad primogenitū trāsibat sacerdotiū & regnū patris 2. *Par*. 5. *v*. 1.2. Christ⁹ dicitur *primogenitus omnis creaturæ Col*.1.15 i.e. princeps & dn̄s omnium creaturarū, seu hæres primarius omnium creaturarū. *Heb*. 1. 2. Et eodē sensu dicitur principium opificii Dei *Apoc*. 3.14. Idem dicitur *primogenitus ex mortuis Coloss*. 1. 18. id est, princeps eorum qui ex mortuis unquam resurrexerunt, aut resurgent. Nemo enim ad tantam resurrexit dignitatem, ad quantam Christus. In Concor. Lat. dicitur, Christum appellari primogenitum ratione temporis, quod sit ante tempora, & ratione dignitatis.

PRIMOGENITUS MORTIS Est angelus morti præpositus. *Iob*. 18. 13. ut est in Targum. Alii explicant cruentissimam mortem. Et sic in vulg. vers. est, *Mors primogenita*.

PRIMOGENITI PAUPERUM. Sic *Esaia* 14.30. dicuntur homines pauperrimi, alios paupertate præcedentes.

PRIMUS. Est 1. æternus *Esa*. 41.4. & 44. 6. & 48.12. *Apoc*.1.17. & 22.13. 2. primus ratione numeri, temporis, & ordinis. *Genes*.8.5. 3. præstantissimus *Cant*.4.14. *Ezechiel*.27.22. 4. primarius. 1. *Samuel* 22 9. 2. *Reg*. 25.18. 5. qui in principiis populi est constitutus. 1. *Reg*. 21. 9 *Iob*. 29.25.

PRIMI TEMPORIS. Ita dicuntur in vulg. vers. 1. fructus præcoces *Ierem*.24.2. 2. robustiores *Gen*.30.42.

PRIMUM. Interdum est idem quod optimum: ut frumentum primum *Ezech*. 27.17. Interdum etiam idem quod purgatissi-

gatissimum. *Proverb.*3.14. *Thren.*4.2.

PRINCEPS. Est qui quoquo etiam modo, authoritate, munere, nomine, supra alios eminet. Ita Christus dicitur princeps: & Satan, princeps hujus mundi: & magistratus, princeps populi, vel absolutè princeps.

PRINCIPALITAS. Hæc vox occurrit apud *Tertullianum libro de præscriptionibus*: Principalitas, *inquit*, veritati, posteritas mendacitati deputanda. Id enim est Dominicum, & verum, quod priùs est traditum: id autem extraneum & falsum, quod est posteriùs immissum. His verbis Tertullianus commendat veram antiquitatem, de quâ accipe illud Christi *Matth.* 19.*v.*8. A principio non fuit ita: & istud Pauli 1. *Corinth.*11.*vers.*23. Ego enim à Domino accepi, quod & tradidi vobis: & 1. *Iohan.*1.*v.*1. Quod erat à principio: denique illud *Iudæ v.*3. Necesse habui vobis scribere, ad vos hortandos, ut decertetis pro fide, quæ semel tradita est sanctis, ἐπαγωνίζεσθαι τῇ ἅπαξ παραδοθείσῃ πίστει τοῖς ἁγίοις. Hinc liquet, illam demum esse fidei regulam verã, quæ à principio fuit, quæ à Domino est accepta, quæ semel fuit tradita. Hoc & *Tertullianus* volebat, cùm *in libro de velandis virginibus* scribebat. Veritati nemo præscribere potest, non spatium temporum, non patrocinia personarum, non privilegia regionum. Hoc & *Cyprianus* volebat, cũ *in epistola ad Cæcilium*, errantes in religione, ad radicem atque originem traditionis Dominicæ, omnibus novellis & humanis traditionibus valere jussis, jubebat reverti. Ideo *Tertullianus* ait, de rebus fidei aliunde suadere neminem posse, nisi ex literis fidei: & *Cyrillus Hierosolymitanus in Catechesi* ait, οὐδὲ τὸ τυχὸν, id est, ne minimum quidẽ, quod ad fidem pertineat, aliunde peti debere, nisi ex Scripturis: & *Basilius libro de fide* ait, fidei eversionem esse, ἢ ἀθετεῖν τι τῶν γεγραμμένων, ἢ ἐπεισάγειν τῶν μὴ γεγραμμένων, aut prætermittere aliquid quod sit scriptum, aut aliquid non scriptum inducere: denique *Chrysostomus* aliique Græci Patres subinde admonent, Nihil hodiè post semel à Christo traditam fidei regulam, posse quemquam παρεισφέρειν, *novi aliquid inducere*, sine peccato. Idcirco *Gregorius Nazianzenus in epicedio Athanasii* orthodoxam fidem ἔγγραφον εὐσέβειαν nominabat, id est, pietatem scripturis comprehensam: hæresin verò Arianam, ἄγραφον καινοτομίαν, id est, novitatem extra Scripturas inductam. Et hæc omnia verissimè quidem illi. Nam ut est apud *Tertullianum de præscriptionibus*: Nobis nihil ex nostro arbitrio inducere licet: sed nec eligere, quod aliquis de suo arbitrio elegerit. Apostolos Domini habemus authores, qui nec ipsi quidquam ex suo arbitrio; quod inducerent, elegerunt: sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignaverunt.

PRINCIPIUM. Est 1. æternitatis, & existentiæ universalis. Ita Christus est principium *Coloss.*1.18. *Apoc.*1.8. & 3.14. & 22.13. 2. originis & excellentiæ *Prov.*1.7. 3. conditionis. *Gen.*10.10. *Iob.*42.12. 4. loci & situs. *Genes.* 33. 2. *Ios.* 13. 30. *Iob.* 28.1. 5. temporis. *Genes.* 1.1. 6. magnitudinis. *Iob.*40.14.

PROBLEMA. Occurrit in vulg. vers. *Iud.*14.*v.*12.13.15.16.19.

PROBO. Probat homo, & quidem vel res alias, ut aurum *Psal.*12. vel actiones, ut bona vel mala opera 1. *Thessal.*1.5.21. vel personas 1. *Timoth.*3.10. Probat & Deus *Psalm.*17.3. & 26.2. & 66.10. Probat, inquam

quam, nos, non ut discat, sed ut ostendat, quales simus.

Pro archivis esse. Ἀρχεῖον, & inserto digammâ Aeolico Ἀρχεῖϝον, est curia magistratuum, ubi asservantur documenta & instrumenta publica. Hinc *pro archivis esse* significat aliquem aut aliquid eo loco habere, quo merentur res asservatæ in archivis. Quam in sententiam *Ignatius epistolâ ad Philadelphenses* ait: Ἐμοὶ ἀρχεῖά ἐστιν Ἰησοῦς ὁ χριστὸς, οὗ παρακούσαι πρόδηλος ὄλεθρος, id est, Mihi pro archivis est Jesus Christus, quem nolle audire manifesta est pernicies. Hinc Prophetæ & Apostoli dicuntur actuarii Dei, & ecclesię tabellio: quia videl. occupantur circa archiva Dei, ut illa constituant, amplificent, & semel constituta & amplificata fideliter conservent.

Probatica porta. Aliter porta gregis. Erat Hierosolymis proxima templo. In toto muri Hierosolymitani ambitu novem portæ leguntur: *Gregis, Vallis, Fontis, Davidis* (. quæ & piscium.) *Vetus, Equorum* (. *quæ & Ephraimi* .) *Anguli* (. quæ & Benjaminis .) *Aquarum, Ruderum*, quæ & Sterquilinii. Ex his portis in omnes terræ Israelis partes exitus patebat hâc ratione: Ex Gregis, Vallis, ac Fontis, in totam Australem regionem usque ad desertum Sinai. Ex portâ Piscium in Emaunta, Bethlehem, Joppen, & in omnem Palæstinam, ad magnum usque mare. Ex portâ veteri ad Tyrum & Sidonem. Ex portâ Equorum ad Dan, Emath, & Damascum. Ex porta Benjamin in silvas tribus Benjaminitidis. Ex porta Aquarum & Sterquilinii in montem Olivarum, Jordanem, mare salis, & omnes tractus Orientis.

Prologus Galeatus. Ita Hieronymus appellat præfationem, quam sacris Bibliis præposuit: quòd in eo discernens libros canonicos ab apocryphis, velut commune & galeatum præsidium id vellet esse, ad tuendam omnium divinorum voluminum authoritatem; seu, quòd eo, tanquam galeâ, illos tegeret. De hoc prologo ita scribit *Thomas de Vio Cajetanus, Cardinalis sancti Xysti, & Papa adversus Lutherum legatus ad Carolum V. Imperatorem, præfatione in Iosuam*: Divo Hieronymo, Pater beatissime (. *alloquitur Clementem VII.*) universa ecclesia Latina plurimùm debet, non solùm ob annotatas ab eo in libros veteris & novi Testamenti particulas tum adjectitias, tum ambiguas: sed etiam propter discretos ab eodem canonicos à non-canonicis.

Promereor. Hæc vox in vulg. vers. *Hebr.* 13.16. passivè usurpatur: *Talibus hostiis promeretur Deus.* In Græco est, εὐαρεστεῖται, id est, delectatur. Inepta itaque est versio vulgata.

Propassio. Est perturbatio, cùm aliquod πάθος in nobis primùm exurgit, ante accommodatum assensum. Hieron. in S. Matth. ait: *Inter* πάθος *&* προπάθειαν, *id est, inter passionem & propassionem hoc interest, quòd passio reputatur in vitium; propassio licet vitii culpam habeat, tamen non tenetur in crimine.* Sed rectiùs προπάθεια est affectus ita motus, ut in æquilibrio retentus non declinet ad pravitatem. Et hujusmodi propassio fuit etiam in Christo. Deinde προπάθεια significat passiones Christi, quæ antecesserunt magnam ipsius passionem.

Propheta. Hæc vox usurpatur de homine nudo, & de Christo mediatore. Exemplum utriusque hujus significationis est *Deuter*, 18.17. *Prophetam ex medio tuo,*

ex fratribus tuis, qualis ego sum, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: Et illi obedietis. Ad quæ verba R. Moses Gerundensis eleganter ita annotat: *Versus hic incipit primùm à Nun, & desinit in Nun: per quod indicatur, quòd propheta huic omnes quinquaginta portæ intelligentiæ & cognitionis notæ sunt futuræ. Idem decem vocabulis constat, per quod indicatur, prophetæ illius verbis eandem obedientiam deberi, quæ decem præceptis.* Et quòd Moses ibidem de eo dicit כָּמֹנִי *qualis ego sum*: dicit vocem hanc Arithmeticè tantundem valere, quantum עָנָו id est, *humilis, mansuetus.* Unde patet, quanta cura & diligentia vetus ille Israel mysterium Messiæ in Canone perquisiverit. Porrò modus, quo Deus se patefecit prophetis, ponitur *Numer.*12.6. visio, scilicet in ecstasi, & somnium, & ore ad os. *Isidorus libr.*7.*cap* 8. recenset septem genera prophetiæ: putà ecstasin *Actorum* 10.10. visionem *Esaia* 6.1. somnium *Genes.*37. per nubem *Genes.*16.10. vox de cœlo *Genes.*22.*vers.*11.12. accepta parabola, sicut apud Salomonem in Proverbiis. Septimum genus est repletio Spiritus sancti. Et hactenus quidem propriè accipitur vox propheta. Aliàs etiam significat eum, qui docet ex immediato Dei dono, sive voce, sive scripto; sive spiritu & gratia tantùm sit propheta, sive etiam officio & missione. In Concord. Latin. ita est legere. Prophetarum triplex genus. 1. Eorum, qui in ecclesiæ gubernatione extra ordinem suscitati, de communibus ejus necessitatibus Deum è re nata consulebant, & de futuris respondebant. Ideo Videntes sæpe dicuntur. 2. Alterum genus eos complectitur, qui cessantibus sacerdotibus extraordinariè à Deo immittebantur. 3. Tertium genus est prophetarum N.T. qui doctrinę divinæ explicandæ & applicandæ dono insigniuntur. Horum omnium caput & princeps est Christus.

PROPHETIA. Duobus modis hęc vox accipitur in Scripturis. Et primò quidem est *prophetia extraordinaria*, quæ est donum Dei ac veluti Regale ecclesię, quod datur peculiaribus personis, ut populum Dei vel hostes ipsius rerũ futurarũ prędictione instruant. Deinde est *prophetia ordinaria*, h.e. sedula & accurata verbi Dei meditatio atq; interpretatio ecclesiæ pꝑetua.

PROPOSITIONIS MENSA. Hodiè Græci in celebratione Eucharistiæ duas mensas adhibent: unam vocant *πρόθεσιν*, q.d. mensam propositionis; in qua ponuntur panis & vinum ante consecrationẽ: deinde transferuntur, quę fuerunt ibi apposita, in alteram mensam, ubi fit consecratio. Eam mensam vocant altare, & *ἅγιον βῆμα, sacrum suggestum.* Quid? Vetus ecclesia mensam Domini appellavit *θυσιαστήριον*, & altare: unde appellatio ista, *Sacramentum altaris.*

PROPOSITIO. In vulg. vers. est 1. ænigma. *Iud.*14.14. *Dan.*8.23. 2. thema. 1. *Reg.* 18.24. 3. documentum, quod sub exemplis latet. *Psal.*78.2.

PROPOSITUM. Est vel hominis *Act.*11.23 c.27.13, vel Dei. *Rom.*4.5. c.8.28. c.9.11. *Eph.*1.*v.*5.11.2.*Tim.*1.*v.*9.

PROSELYTUS. Est advena. Specialiter est, qui ex paganismo ad Judaismũ accedebat. Nã populus Dei dividebatur in Israelitas cives natos & factos. Erant a. duplices proselyti: videl. alii circũcisi & totã legem amplexi, & hi appelabãt גֵּרִים צֶדֶק i.e. proselyti justitiæ, seu veritatis, & גֵּרִים בְּרִית proselyti fœderis: alii incircũcisi, qui appellabant גֵּרִים שַׁעַר h.e. pselyti portę, q intra portas, inter Judæos sc. habitabãt.

*Deut.*14.21. Proselyta est fœmina, quæ ex gentilibus ad Judaismum accessit: ut Hagar, uxor Josephi & Mosis &c.

PROSEUCHA. Propriè est precatio. Deinde est locus orationis. Sic Judæi habebant suas proseuchas Romæ, Alexandriæ, & in aliis urbibus. Latinè diceremus *Oratoria*. Porrò quia Judæi erant propensissimi ad dandum eleemosynam, mendici catervatim accedebant ad ista loca; & quòd domicilia non haberent, ea interdum occupabant. Hinc, quia & Judæi & mendici omnibus invisi erant, proseuches nomen in contemtum abiit.

PROSTIBULUM. In vulg. vers. est 1. scortum. *Levit*, 21.7. *Deut*. 23.18. 2. lupanar. *Ezech*.16.*v*.24.39. *Ioel*.3.3.

Προσάββατον. Est dies sabbatum antegrediens. *Marc*.15.42.

PROPUGNACULUM. Est 1. corporale *Iud*.9.51. 2. mysticum & spirituale. *Cant*.4.4. & 8.9. *Esa*.54.12.

PROSCRIPTUS. In vulg. vers. est idem quod depictus, vorgemahlet. *Gal*.3.1.

PROSPEROR. Est 1. prosperè ago. 1. *Chron*.22.11. 2. *Chron*.7.11. *cap*.18.11. *Psalm*. 1.3. & 37.7. 2. benedictione peculiari prosequor. Et ita de Deo dicitur *Psalm*. 118.25. O Domine, bene prosperare. Cæterùm vetus interpres *Prospero* neutro passivè convertit.

PROSA. In re ecclesiastica *Prosa* est canticum divinas laudes continens stylo prosocarmineo, ut loquuntur: ita nempe, ut non habeatur ratio quantitatis syllabarum, sed assimilis desinentiæ, vel paris numeri syllabarum. Alii appellant *sequentiam*. Exemplum esto illud Petri Abelardi:

Mittit ad virginem,
Non quemvis angelum,
Sed fortitudinem
Suam, archangelum,
Amator hominis.
Fortem expediat
Pro nobis nuntium,
Naturæ faciat
Vt præjudicium
In partu virginis.
Naturam superet
Natus rex gloriæ,
Regnet & imperet,
Et zyma scoria
Tollat de medio.
Superbientium
Terat fastigia:
Colla sublimium
Calcet vi propria,
Potens in prælio &c.

PROTOAPOSTOLARIUS. Erat primarius inter doctores ecclesiæ Orientalis, qui populo Apostolorum scripta exponerent.

PROTOMARTYR. Primus martyr. Sic Abel in V.T. Stephanus in N. fuit protomartyr.

PROTOPLASTUS. Est primùm fictus seu formatus *Sap*. 10. *v*.1. & 7.1. At *Protoplastes* est, qui primò fingit. Sic Adam est homo protoplastus: Deus est protoplastes.

PROTOSYNCELLUS. Πρωτοσύγκελλος, Est primus inter syncellos. Scribitur etiam *Protosingelus*.

PROTELOR. In vulg. vers. est prolongor. *Deut*.5.33.

PROTESTOR. Est 1. contestor. 2. *Chronic*.24.19. 2. testor, palam, & asseveranter loquor. *Ioh*.13.21. 3. testificor. *Actor*.20.23. Protestationis vox occurrit 2. *Maccab*.7. *vers*.6.

PROVI-

Providentia Dei. A *Theodoreto* nominatur προνοια: & scripsit ille decem libros περὶ προνοίας. Eodem vocabulo etiam profani authores providentiam Dei appellarunt: ut de Stoicis testatur *Cicero lib. 2. de nat. deorum.* In sacris autem literis illud vocabulum de providẽtia Dei non reperitur: sed ibi vocatur illa πρόγνωσις: ut videre est *Act. 2. v. 23.* Reperitur autem de providentia humana, *Act. 24. v. 3.* ubi Tertullus providentiam præsidis Claudii Lysiæ laudat. Cæterùm Stoici, nullo addito, πρόνοιαν, aut *providentiam*, dicentes, Dei providentiam intelligebant. Hinc apud Senecam titulus libri de *providentia*. Hinc Cicero 2. de nat. deor. *Vt, si quis dicat, Atheniensium remp. consilio regi, desit illud, Areopagi: sic cùm dicimus, providentiâ mundum administrari, deesse arbitror, deorũ* Porrò providentia Dei sumitur 1. in genere, pro decreto. 2. in specie, pro decreto, quod opponitur prædestinationi. 3. pro executione decreti, quæ solet in scholis dici providentia actualis.

Proturbor. Est commoveor. *Mich. 7. 17.*

Proverbium. Est 1. adagium, tritum in ore populi dictum. *Gen.* 10. 9. *Num.* 21. 17. 2. *Petr.* 2. 21. 2. dicterium, quod sarcasticè in aliquem effertur. *Deut.* 28. 37. 1. *Reg.* 9. 7. *Ezech.* 14. 8. 3. institutio. *Prov.* 22. 6. 4. Similitudo. *Ioh.* 10. 6. & 16. v. 25. 29.

Proximus. Ex usu Scripturæ est quivis homo cuivis homini. Nam jure creationis omnes sumus consangvinei: quippe ἐξ ἑνὸς αἵματος.

Psalterium. Est 1. instrumentum ψαλτοῦ, quo psaltes canit. 2. cantio ipsa, & nominatim canticum εἰσόδιον. 3. liber psalmorum Davidis. De instrumento quæritur, quale fuerit, Chrysostomus in protheoriis ad psalmos ita describit: ψαλτήριον τῶν ἐνταῦθα μόνον ἦν, πλὴν ὄρθιον, καὶ ἄνωθεν εἶχε τῶν φθόγγων τὰς ἀφορμάς, i. e. *Psalterium instrumentorum unum est quæ fidibus tenduntur, sed erectum, cujus sonus altrinsecus è superiore parte redditur.* Habet autem decem verticilla & totidem chordas. Hieronymus in modum Δ literæ compositum fuisse ait. Augustinus scribit, psalterium habuisse in superiore parte sonorum lignum, quasi tympanum, cui nervorum series incumbat. Hinc quidam statuunt Psalterium esse nostram Harpam. Hadrianus Junius existimat esse ipsum nablium, seu, ut Chrysostomus in Psalmorum librum adnotat, ναῦλα ψαλμοκίνητον λύραν: unde illud,

——— τοῦ πνεύματος
Τὰ θεῖα τόξα καὶ βέλη τείνας
Ὁ Δαβὶδ ψαλμοκινήτῳ λύρᾳ.

Pseudochristus. Est qui Christum sacrilegè mentitur. *Matth.* 24. 24. *Marc.* 13. 22. Sic pseudoapostolus. 2. *Cor.* 11. 13. & pseudopropheta *Zach.* 13. 2. *Matt.* 24. 11. *Apoc.* 16. 13. dicuntur, qui se gerunt pro apostolis & prophetis, cùm nihil sint minùs quàm apostoli & prophetæ.

Pseudepigraphus. Hoc nomine appellantur illi libri apocryphi, qui falsum authoris titulum præ se ferunt. e. g. liber Sapientiæ appellatur *Sapientia Salomonis*, ita ut sit genitivus efficientis: cùm tamen non à Salomone, sed à Philone cõpositus sit iste liber. Quanquam Melito Sardensis ecclesiæ antistes Proverbia Salomonis etiam appellat Sapientiam Salomonis. Porrò non solùm multi libri apocryphi seu ecclesiastici

sunt ψευδώνυμοι sive ψευδεπίγραφοι: sed etiam multa scripta Patrum. Quod etiam in scriptis profanis locum habet.

Pseudopropheta. Est 1. falsò dictus propheta. 2. falsus doctor. Nimirum ut propheta, sic & pseupopropheta dicitur strictè vel latè.

Ptisana. Triticum contusum, 2. *Sam*.17.19. *Prov*.27.22.

Ptolemensis. In vulg. vers. occurrit 1. *Maccab*.12.48. & 13.25. pro Ptolemaidensis.

Pubertas. Hæc canonicè in maribus incipit an.14. in fœminis 12. Occurrit hæc vox *Ruth*.1.13. *Prov*.2.17. *Ezech*.23. *v*.3.21. *Ioel*.1.8. *Malach*.2.14.

Publicanus. Apud Romanos honestus erat publicanorum ordo. Sed Judæis erant valde invisi ob exactiones graves. Hinc apud illos proverbium: *Ne contingat tibi uxor è familia, in qua aliquis sit publicanus, quia omnes sunt publicani*, i.e. scelerati.

Publicor. Est in sterquilinium redigor. *Esdr*.6.11. *Dan*.2.5.

Pudenda. Eleganti metaphorâ sic vocantur peccata, quibus aliquis est deditus. *Apoc*.16.15. *Ecce, venio ut fur. Beatus, qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videantur pudenda ipsius*. Hebræi vocant ערוה, & hac voce indicant illud animi vitium, in quod aliquis per corruptæ naturæ inclinationem præcipuè propendet. v. g. sexus fœminei ערוה est superbia & lascivia: theologorum ערוה est ambitio, avaritia, invidia, πολυπραγμοσύνη: Hæc ergo summo studio tegenda sunt. Sicut enim pudenda in humano corpore sunt infirmissima, ad quæ propterea vitiosa corporis illuvies, quando per morbum proritatur, facillimè defertur: ita sunt peculiaria quædam vitia, ad quæ hic vel ille naturali quadam inclinatione propendet, & per quæ conversatio ejus diaboli insidiis præcipuè obnoxia est. Hæc itaque vestium astrictu, hoc est, diligenti virtutis studio, coercenda sunt, ne luci, exponantur. Hujusmodi *pudenda* observare licet in iis, qui hodiè evangelici appellantur. Illi siquidem adeò contendendi inter sese libidine vexantur, ut qui non pugnat, non tumultuatur, pro fideli vix habeatur. Hæc talia certamina non aliunde oriuntur, quàm ex fermento, quod illi secum ex spirituali Ægypto contra disertum Dei interdictum abstulerunt. Hoc fermentum effervescendo ebullit: hæ Papatus fæces ejusmodi flatus pariunt: nec calor donorum spiritualium tam fortis est, ut eos digerere aut consumere possit. Contra hanc ערוה teneatur parabola illa Christi *Matth*.24. 25. &c. ubi inter alia sic legimus; *Si verò dixerit servus ille nequam in corde suo: Differt Dominus meus adventum, cœperitq; verberare conservos, quinetiam comessari cum ebriis* (h.e. cum illis turbarum & bellorum insanis concitatoribus.) *veniet Dominus ejus eo die, quando is omnium minimè expectat*.

Pulchritudo pulcherrima. Est Deus, & nominatim Filius Dei. *Psal*.45. Hic enim est summa pulchritudo, eaque absoluta, perfecta, indeterminata, immensa, pulchrorum omnium origo, regula, & mensura; cum quo quidquid convenit, visendum, pulchrum, & decorum est; quidquid discrepat, fœdum, turpe, & inquinatum. Est enim inaspectabilis Dei, qui lumen est, & in quo nullæ sunt tenebræ, imago, & splendor: quo major nec dici, nec cogitari potest. Est sol justitiæ *Malach*.1. & ut canit *Vidas*

Principium de principio, de fonte oriens sol.

Quò etiam pertinet illud:

Nate Deo ipse Deus, verum de lumine lumen,

Lux de luce micans —— ——

Et istud Paulini:

Christus erit cunctis regnum, lux, vita, corona.

Item, illud Prudentii:

Christus nostra salus: hinc vivimus, hinc animamur.

PUNIO. Clem. Alex. 4. Strom. *Punitio non juvat eum, qui peccavit, ad hoc ut non fecerit, sed ad hoc, ut non peccet amplius, neque ullus alius incidat in similia. Hic ergo bonus Deus castigat propter has tres causas: primùm quidem, ut is, qui castigatur, seipso melior evadat: deinde, ut ii qui possunt salvi fieri per exempla, præparentur admoniti: & tertiò, ne is, qui injuria afficitur, contemtui habeatur, & aptus sit ad injuriam accipiendam.*

PYGMÆUS. In Concordant. Lat. vulg. vers. ita legere est: Pygmæus, Gammadæus, robustus, & lacertosus, Græci Medum interpretantur. *Ezech.* 27. 11.

QUADRAGESIMA. Sicut apud Græcos vox *Pentecoste* & quinquagesimum à Paschate diem, & spatium 50. dierum, significat: ita *Quadragesima* & Dominicam primam, à qua incipit jejunium, peculiariter, ut ordiens tempus 40. dierum; & totum jejunii tempus, significat. Græci quadragesimam vocant Ἀπόκρεως, Latini *carnisprivium.* Origo est à quadraginta diebus, quibus Christus jejunavit in deserto. De eo variè argutantur Scholastici & Patres. *Catholicon:* Sicut filii Israel morati sunt in deserto per 42. mansiones, cibati mannâ: sic & nos ab hac Dominica usque ad Pascha per 40. dies à deliciis vitæ abstinemus. *Gregorius homil.* 1. in Quadragesima considerat, quòd hoc numero solvantur decimæ totius anni; subtractis scil. sex diebus, ut XXXVI. dies remaneant.

QUINISEXTUS, seu QUINISENUS. Concilium sextum œcumenicum, putà Constantinopolitanum III, appellatur πένθεκτον *quinisextum*: quia assumsit quosdam canones Concilii œcumenici V. Dicitur etiam Trullanum à loco sacri Palatii, quod appellabatur *Trullus.*

QUOMODO. Est triplex *Quomodo*: videl. curiositatis, incredulitatis, & infirmitatis. Itaque non omnis, qui quærit *Quomodo*, facit ex incredulitate, aut dubitatione, aut malitioso affectu vel contradicendi studio: cum verè fideles eadem interrogatione sint usi, v. g. Maria *Luc.* 1. Unde *Ambrosius commentario in Luc. lib.* 2. *ad cap.* 1. *de verbis Mariæ,* Quomodo fiet istud: *ita scribit:* Videtur hîc non credidisse Maria, nisi diligenter advertas. Neque enim fas est, ut electa ad generandum unigenitũ Dei Filium, fuisse videatur incredula. *Et paulò pòst:* Etenim cùm dixit, Quomodo fiet istud, non de effectu dubitavit, sed qualitatem ipsius quæsivit effectus. *Bernhardus in assumtione B. Mariæ, serm.* 4. Quomodo, inquit, fiet istud? Neque enim eo modo quo fieri solet in cæteris. Atque hæc dicta sunto pro innocenti *Quomodo*, ut vulgo loquuntur.

RABBI. Est magister, *Matth.* 8. 19. Hæc vox, & similes, *Rab, Ribbi, Rabban,* paulò antè Christum natum inter Judæos ortæ sunt. Ex iis *Rabban* est titulus omnium præstantissimus, magnatem potiùs ac principem, quàm doctorem notans. Arabes רב usurpant pro Jehova.

RAKA. Est Syriaca vox, significans vanum, inanem, nequam. Hebr. ריק est vacuus. Hinc ריקא nequam, vanus, inutilis. Errant igitur, qui vocem Græcam faciunt, ῥάκος, i. e. quasi pannosus, pauper. Augustinus libr. 1. de serm. Domini ait, se ab Hebræo quodem accepisse, *Raca* esse interjectionem irascentis.

RADO. Usurpatur in vulg. vers. de Deo judicia sua exequente per homines. *Esa.* 7.20.

Ῥάκη. Chrysostomus homil. 85. in Johan. & ejus epitomator Theophylactus docent, moris fuisse in Palæstina, δύο ῥάκη, ἤτοι δύο πανία συμβάλλειν, καὶ ὑφαίνειν ἱμάτια, ἀντὶ ῥαφῆς χρώμενοι τῷ σωυφασμῷ, *duos pannos committere, & texere vestimenta, pro sutura utentes contextura.* Sic Johannes docet, tunicam Christi fuisse à summo textam, & inconsutilem: adeoque ostendit diversam fuisse à communibus tunicis, quæ aut ῥαπταὶ, *consuta*, erant, aut συμπορπηταὶ, *fibulis commissa seu conjuncta.*

RANA. Hebræis dicitur צְפַרְדֵּעַ: quā vocem volunt esse compositam ex צָפַר *agilis fuit, manè surrexit*: & דֵּעָה *scientia, cognitio, opinio*: quòd rana sit animal valde argutum, matutini temporis gnarum. Atque hæc inter alia causa est, quòd sophistæ ultimi temporis vocantur ranæ *Apoc.* 16. videl. propter subtilitatem, qua multos irretiunt: ut nihil dicam de ortu ipsorum ex stagno antichristi, de molesta coaxatione, de amphibiâ indole politico-ecclesiastica, denique de lutulentis ipsorum animis: quæ omnia nobis insinuat hieroglyphicum ranæ, luridi istius animalis & amphibii. Verisimile autem est, Johannem d. l. respicere ad ranas Ægyptiacas *Exod.* 7.28.29. ad quem locū Rabbini adnotant ex vetusta traditione, ranas istas tanta diritate Pharaonis & aulicorum ejus domos appetiisse, ut nec strictos custodum militumq; enses, nec mortem à satellitibus intentatam reformidarint. Quod sanè ranis apocalypticis egregiè competit. Tanta enim vi, tanto zelo, tanta impudentia magnatum domos invadunt, ut nihil ipsos prohibere possit. Merito itaque exclamet aliquis: Spiritus hosce toti œcumenicæ, & inprimis ordini aulico & politico id futuros, quod ranæ Mosaicæ fuerunt Ægypto, & inprimis Pharaoni, ejusq; aulicis.

RATIO. Sæpe opponitur fidei: ut cùm dicimus, *Quæ ratio non potest solvere, fides debet irridere*; scil. in iis, quæ ex Dei authoritate credimus. Hîc enim debemus captivare rationem 2. *Cor.* 10.5. Itaq; hic locus non favet illis, qui ut hominum erroribus assentiantur in religionis negotio, dicunt se captivare rationem.

RATIO SUPERIOR & INFERIOR. Illa Scholasticis dicitur, quæ inhæret rebus æternis: hæc ad tēporalia se demittit.

RATIO THEORETICA & PRACTICA. Illa solùm apprehendit res: hæc & apprehendit & causa est.

RATIONABILIS. Ut plurimùm est ratione factus: aliquando etiam rationem habens. Occurrit in vulg. vers. *Iob.* 32.3. & *Rom.* 12.1. Ibi est *responsio rationabilis*: hîc *obsequium rationabile*, λογικὴ λατρεία, i. e. cultus rationalis, h. e. spiritualis, nō consistens ampliùs in brutarum pecudum oblatione, ut olim in V. T. Lyranus τὸ *rationabile* interpretatur *discretum*, quando caro sic maceratur, quò natura servetur & vitia excludantur. Melius Haymo: *Rationabilis cultus est, ut Deo, qui est Spiritus, mens hominis offeratur, mortificata à vitiis.* Sic Hermes in Pœmandro c. 1. ait: Ἅγιος

εἶ ὁ πνε-

εἶ ὁ πίσεως ὑπεροχῆς μείζων, ἅγιος εἶ ὁ κρείσσων τῶν ἐπαίνων, δέξαι λογικὰς θυσίας ἁγίας ἀπὸ ψυχῆς καὶ καρδίας πρὸς σὲ ἀνατεταμένας. Chrysostomus homil. 11. in 6. Hebr. eleganter locum apostoli sic explicat: Τί δέ ἐστι λογικὴ λατρεία; τὰ διὰ ψυχῆς, τὰ διὰ πνεύματος. Et paulò pòst: οἷα ἐπιείκεια, σωφροσύνη, ἐλεημοσύνη, ἀνεξικακία &c.

RATIONALE. Erat una ex vestibus summi sacerdotis. *Exo.* 25. *&* 28. In Hebr. est חשן: & חשן משפט i.e. rationale judicis, seu pectorale juris. LXX. vertunt λογεῖον, λόγιον, & λογεῖον τῆς κρίσεως. Appellatur חשן quòd crassum esset pectorale: utpote duplicatum, ne facilè laceraretur. Appellatur *pectorale*, quia ob pectus gerebatur. at pectorale *judicii* seu *juris*, quia eo induebatur summus sacerdos, ut de jure seu rebus agendis responderet Israëlitis. Erat enim quoddam rituale ὄργανον συμβουλευτικὸν περὶ τῶν πρακτῶν, si quando de re gravi, de qua ex communibus rationibus concludi non posset, incideret dubitatio. Ideo Græci vocarunt λογεῖον, seu (quod rectiùs) λόγιον, *oraculum*, quòd per illud cognoscerent λόγον divini responsi. Quia verò λόγος est quoq; ratio, eam significationem secuti Latini, *Rationale* verterunt; quasi legerint λογικὸν: ut ita dictum putarint, quòd instrueret λόγον, *rationem*, eorum, qui de rebus obscuris Deum per sacerdotem interrogabant.

REATUS. Est status & conditio illius, qui est reus. Duplex autem est reatus, culpæ & pœnæ. Hinc Catholicon: *Quia obligatio quodammodo media est inter culpam & pœnam, ex eo, quòd propter culpam aliquis obligatur ad pœnam: ideo nomen medii transsumitur ad extrema, ut interdum ipsa culpa vel pœna reatus dicatur.*

RECONCILIARE. In N. T. frequens est καταλλάττειν, quod propriè est commutare, alium facere: deinde conciliare, reconciliare, seu facere, ut quis ex alienato fiat gratiosus. Locus præcipuus de nostri reconciliatione est 2. *Cor.* 5 *v.* 18 *& seq.* Ubi diligenter notandum est reconciliationem illam considerari activè & passivè. Nam primò apostolus docet, *Deum sibi reconciliasse mundum in Christo*: & tandem subjungit, *Reconciliamini Deo*, i.e. date operam, ut per fidem apprehēdatis hanc reconciliationem.

REDIMERE. Propriè est pretio exposito iterum acquirere: deinde quolibet modo acquirere: tum, acquisitum tollere à venditore: denique, tollere & auferre. Postrema hæc significatio locum habet in vulg. vers. *Dan.* 4. 24. *Peccata tua eleemosynis redime*, h.e. averte pœnā, omissione peccati, & substitutione bonorum operum in illius locum. Et ita in Chald. est פרק abrumpe.

REGENERATIO. Latè significat totum illum statum, quo efficimur filii Dei: atque ita regeneratio complectitur vocationem, justificationē, sanctificationem, & glorificationem. Strictè ponitur pro sanctificatione: item pro glorificatione *Matt.* 19. 28. in quo loco verba illa *in regeneratione* possunt referri vel ad ἀκολουθήσαντες, vel ad καθίσεσθε. Nam discipuli Christum secuti erant in regeneratione, id est, tempore prædicationis evangelii, per quam perficitur regeneratio. Et ipsi sedebunt in duodecim thronis in regeneratione, id est, in die novissimo, quo cum omnibus electis plenè regenerabuntur. Bernh in declamat. super illa verba Matt. 19. ait: *in regeneratione corporum sedebit in sede majestatis, qui pro animarum regeneratione*

stetit in ignominioso supplicio crucis. Hujus loci est distinctio, quòd regeneratio sit vel in spem vivam, vel in rem vivam. Illa est inchoata, hæc consummata: illa pertinet ad statum viæ, ista ad statum patriæ.

REGNUM DEI. Est vel quod Deus habet, vel dat habendum. Illud est potentiæ, gratiæ, vel gloriæ: hoc est vel dominium mundanum, quod Deus alicui assignat *Dan.*4.17. vel vita æterna, eaque vel consummata *Matth.* 6.32. vel inchoata *Rom.* 14.17. De regno potentiæ vide *Dan.*4.35. de regno gratiæ *Matth.* 5. 19. de regno gloriæ *Apoc.*21.

RELIGIOSITAS. Occurrit hæc vox *Sirach.*1.*v.*17.18. & significat diligentiam in colenda vera religione, de qua Isidorus lib.8.c.1. *Tria sunt, quæ in religionis cultu ad Deum colendum in hominibus requiruntur, id est, fides spes, & charitas.* Scholasticis duo sunt interni actus religionis, *devotio & oratio*: externi sex, *adoratio, sacrificium, votum, juramentum, adjuratio, laus.* Sed satis insipidè.

RELIQUIÆ HODIERNÆ. Illæ maxima ex parte aut incertæ sunt fidei, aut palam suppositititiæ & falsæ. Quod facilè agnoscunt, qui gravitatem religionis Christianæ ex vera antiquitate habēt cognitam.

REMITTERE PECCATA. Solus Deus remittit peccata per potestatem, sive authoritativè, id est, illa habet pro non commissis, seu ea non imputat ad condemnationem: pastores remittunt peccata ministerialiter, nuntiativè, seu interpretativè, hoc est, remissionem peccatorum resipiscentibus à DEO petunt & annuntiant, ut ministri & legati Dei. Hac de re *Ambrosius lib.* 2. *de Cain & Abel c.* 4. sic ait: Verbum Dei dimittit peccata: sacerdos est judex. Sacerdos quidem suum officium exhibet: at nullius potestatis jura exercet. *Idem libro* 3. *de Spiritu S. c.*19. Nunc videamus utrum peccata donet Spiritus sanctus. Sed hinc dubitari non potest, cùm ipse Dominus dixerit, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, remissa erunt. Ecce quia per Spiritum sanctum peccata donantur. Homines autem in remissionem peccatorum ministerium suum exhibent, non jus alicujus potestatis exercent. Neque enim in suo, sed in Patris, & Filii, & Spiritus sancti nomine peccata dimittuntur. Isti rogant, divinitas donat. Humanum est obsequium, sed munificentia supernæ est potestatis. Sic *Augustinus tom.* 7. *lib.* 2. *contra epistolam Parmeniani, cap.* 11. Cùm verò interpositum est, Hoc cùm dixisset, insufflavit, & ait illis, Accipite Spiritum sanctum: & deinde illatum, per eos vel remissionem, vel retentionem fieri peccatorum: satis ostenditur, non ipsos id agere, sed per eos utique Spiritum sanctum. *Cyrillus Alexandrinus lib.* 12. *in Iohan. cap.* 56. Certè solius veri Dei est, ut possit à peccatis homines solvere. *Et paulò pòst*: Qua igitur ratione divinæ naturæ dignitatem ac potestatem discipulis suis Salvator largitus est? Quia certè absurdum non est, peccata remitti posse ab illis, qui Spiritum sanctum in seipsis habeant. Nam cùm ipsi remittunt aut detinent, Spiritus qui habitat in eis, per eos remittit & detinet.

REPROBUS. Dicitur 1. ratione officii 1. *Cor.* 9. 27. ubi reprobus doctor est, qui rectè docet, sed impiè vivit. Ejusmodi doctor non est probus, utpote sibi

sibi & auditoribus inutilis, & se damnationis reatu obligans. 2. ratione status & personæ. Sic homines, qui non sunt electi in Christo, dicuntur reprobi, i.e. reprobati à Deo.

REPLICO. Occurrit in vulg. vers. pro instruere mandatis *Num.* 27.23. perlegere *Ios.* 2.35. & loqui 2. *Chr.* 35. 25.

REQUISITA NATURÆ. Est verecunda circumlocutio secessus. *Deuteron.* 23.12.

RESIPISCENTIA. Respondet Græco μετάνοια. *Matth.* 9.13. & complectitur fidem & sanctitatem: ita ut resipiscere sit accipere fidem, cum qua cohæret sanctimonia. Alia est ratio μεταμελείας. Illa enim, nisi Deus succurrat, est iter ad desperationem.

REPROMISSOR. Occurrit in vulg. vers. *Eccles.* 29. *v.* 21.22.

REPROPITIOR. Occurrit in vulg. vers. pro propitior, propitius fio. *Lev.* 19. 22. 2. *Sam.* 21. 14. 1. *Reg* 8. 38. item pro expio. *Hebr.* 2.17.

REQUIES. Est 1. hominis: estque tum animi, tum corporis. *Levit.* 23. *v.* 3. 29. 2. Dei, qui cessat ab opere, vel insuper in isto opere acquiescit. *Genes.* 2. 1.

REQUIESCERE. Inter alia hoc verbum significat nō exserere vim suam. Sic *Irenæus* dicit, Christum crucifixum & mortuum esse, requiescente Verbo. Porrò requiescit 1. Deus *Genes.* 2. 1. 2. Spiritus sanctus *Num.* 11. *v.* 25.26. *Esa.* 11. 2. 1. *Petr.* 4. 14. 3. Homo, vel res aliæ creatæ aut arte factæ. *Genes.* 8. *vers.* 4. 9. *c.* 18. 4. Requiescit autem Deus, vel desistendo ab opere, vel desistendo ab illo & simul acquiescendo in ipso. Requiescit Spiritus sanctus conferendo dona sua. Denique requiescit homo, quòd sit fessus.

REQUIETIO. Occurrit pro requies in vulg. vers. *Levit.* 16. 31. & 23. 32. & 25. *vers.* 4. 5. 1. *Chr.* 2. *v.* 52. 54. *Esa.* 66. 1. *Actor.* 7. 49.

RES DEI, & RES SCRIPTURÆ. Lutherus ait, res quidem Dei obscuras esse, sed res Scripturę esse perspicuas. Hoc vult, mysteria divina de Trinitate, incarnatione, & similia, itemque judicia Dei nobis esse ignota & inscrutabilia: at quæ DEUS in verbo suo patefecit, ea nobis nequaquam esse inscrutabilia. Vide *Lutherum de servo arbitrio.* Alia etiam distinctione ibidem utitur: Ait enim Scripturarum sive claritatem, sive obscuritatem, vel internam, vel externam esse: internam, ipsius cordis scilicet; externam, in ipsis verbis positam. Si de interna Scripturæ obscuritate, vel perspicuitate loquamur, ait ne unum quidem ἰῶτα isto modo in Scripturis perspicuum esse, sine Spiritus sancti interna luce: omnia enim hac ratione & hoc respectu, carni & acumini hominis obscura esse: Sin autem externam Scripturæ claritatem vel obscuritatem intelligamus, ait omnia dogmata isto modo clara esse, & in lucem producta, in verbi ministerio & Spiritus sancti magisterio.

RESPONSORIA. Responsoria, *inquit Rabanus*, dicta, quòd uno canente Chorus respondeat. Isidorus lib. 6. 18. *Antiphona ex Græco interpretatur vox reciproca, duobus scil. choris alternatim psallentibus, ordine commutato, sive de uno ad unum, quod genus psallendi Græci invenisse traduntur. Responsorios Itali tradiderunt, quòd alio desinente id alter respondeat. Inter responsorios autem & antiphonas*

antiphonas hoc differt, quòd in responsoriis unus versum dicit, in antiphonis autem, versibus alternant chori.

RESTIPULOR. Est vicissim stipulor; nempe ab eo, cui antè à nobis stipulanti aliquid promisimus: vicissim exigo promitti: mutuam sponsionem requiro.

RESURGO. Est 1. à mortuis resurgo. *Matth.* 20.19. 1. *Cor.* 15. 2. subsisto *Psal.* 1. 5. 3. erigor, surgo. *Ier.* 8.4. *Amos.* 5.2. 4. spiritualiter resurgo *Coloss.* 1.12.

RESURRECTIO. Est 1. carnis, vel spiritus. Carnis: *Matth.* 22.*v.*27. 30. Spiritus *Coloss.* 1.12. 2. prima, vel secunda. *Apoc.* 20.*v.*5,6. Ubi vulgo per resurrectionem primam intelligunt spiritualem. Sed ex contextu patet, intelligendam esse resurrectionem martyrum, quæ fiet in παλιγγενεσίᾳ sub initium mille annorum.

RESURRECTIO CHRISTI. Metonymicè interdum sic appellatur festum resurrectionis Christi, de quo *Ven. Honorius Fortunatus* ita canit:

Salve festa dies, toto venerabilis ævo,
Quâ Deus infernum vicit, & astra tenet.
Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona rediisse suo.
Namq; triumphanti post tristia Tartara Christo
Vndique fronde nemus, gramina flore favent.
Legibus inferni oppreßis super astra meantem
Laudant ritè Deum lux, polus, arva, fretum.
Qui crucifixus erat, Deus ecce per omnia regnat,
Dantq; creatori cuncta creata precem.

Porrò ipse quoque Christus appellatur resurrectio *Iohan.* 11. 25. i. e. author resurrectionis gloriosæ.

RETRIBUO. Retribuit Deus, partim beneficia largiendo, partim judicia exercendo *Deut.* 32.*v.*35. 41. 43. *Psal.* 116. 12. Retribuit & homo, & quidem bona, vel mala *Psal.* 7.5. & 35. 12. & 38. 31. & 41. 8. *Luc.* 14 14.

RETRIBUTIO. Est 1. compensatio. *Luc.* 14. 12. 2. beneficium. *Psal.* 103.2. 3. finis. *Psal.* 119. 112. 4. vindicatio, sive tempus quo charos nobis à tyrannide hostium liberamus. *Esa.* 63. 4.

RESURRECTIO DEI. Est dies, quo Deus apparet in judicium adversus impios. *Sophon.* 3.8.

REVELO. Revelat 1. homo. *Levit.* 18. *v.*6.7.9.11.13.14.15.16.17.18 19. 2. Deus; & quidem Pater *Matth.* 11.25 *Luc.* 10. 21. *Gal.* 1.16. deinde Filius *Matth.* 11.27 *Luc.* 10. 21. denique Spiritus sanctus. *Eph.* 3.5.

REVELATIO DIVINA. Modus, quem Deus in revelatione adhibet, est ἐνδιάθετος, seu internus, per solam Spiritus S. inspirationem; vel προφορικὸς, seu externus, per organa & adminicula varia. Interdum enim clara voce, interdum somniis, visionibus, symbolis, imaginibus, & similitudinibus adhibitis, interdum per angelos assumta specie humana, interdum per prophetas Spiritu Christi actos sub vetere testamento locutus est; ac tandem plenissimè per Filium suum in carne manifestatum, qui apostolos legavit εἰς ὅλην οἰκουμένην. Teneatur hîc ista tabella:

- *Deus se revelat per Verbum*
  - *Internum: in:*
    - *Vigiliis: per*
      - *Enthusiasmum.*
      - *Ecstasin.*
    - *Somno: per somnium.*
      - *Theorematicum.*
      - *Allegoricum.*
  - *Externum:*
    - *Immediatum.*
    - *Mediatum: per*
      - *Christum.*
      - *Angelos.*
      - *Homines.*

Regulus. *Iohan.* 4.46. vetus interpres videtur leg. ſſe *βασιλίσκος*, & ideo vertit Regulus. At Græci codices habent *βασιλικὸς*, *regius*, nempe ex regiis miniſtris. Chryſoſtomus duplicem interpretatio-nem adfert: vel quia ipſe eſſe τοῦ γένους βασιλικοῦ, *regij ſanguinis*: ἢ ἀξίωμα τι ἀρχῆς ἕτερον οὕτω καλούμενον εἶχε, *vel quod aliquâ praditus eſſet dignitate, qua ſic vocaretur*: putà procurator regius, vel cubicularius regius; quod pertineret ad aulam regis ſive tetrarchę Galilææ, qui erat Herodes Antipas. Hoc ſenſu Hieronymus *Palatinum* vertit. Atque hoc omnium veriſſimum putamus.

Ῥητόν. Sic appellatur propria ſignificatio verborum Scripturæ ſacræ. Ei opponitur ἡ διάνοια: ut videre eſt ex uſitata regulâ, Non eſt hærendum in ῥητῷ, ubi ſubjecta materia nos manu veluti ducit ad διάνοιαν. Teneatur hîc illud elegans Chryſ. in 1. Cor. 11. 9. καὶ ποῦ γέγραπται ταῦτα; λέγεται γεγράφθαι, καὶ ὅταν μὴ διὰ τῶν ῥημάτων ἀλλὰ δι' αὐτῶν τῶν πραγμάτων κείμενα ᾖ ἐπὶ τῶν ἱστοριῶν. ἢ ὅταν τὸ αὐτὸ μὲν νόημα κείμενον ᾖ, μὴ ἐπ' αὐτῶν δὲ τῶν ῥημάτων: *At ubi hac ſcripta ſunt? Dicitur ſcriptum eſſe aliquid, etiam tum, quando non verbis, ſed rebus ipſis expreſſum fuerit in hiſtoriis: aut quando mens quidem expreſſa eſt, licet verbis non iiſdem.* Sic διὰ τὸ κείμενον τῶν πραγμάτων habemus in Scripturis Jeſum Nazarenum appellandum eſſe: videl. quia *Eſa.* 11. 1. vocatur נצר. Confer *Matth.* 2. 23.

Rhythmica poesis. Monachi & Scholaſtici cùm viderent rhythmos per univerſam Europam frequentari & in pretio eſſe, ut allicerent homines ad ſtudia ſacrarum literarum, excogitarunt novam poeſin rhythmicam, ſeu metricam divinæ Scripturæ expoſitionem, eamque diſtinxerunt in proſocarmineam & carmineam; & hanc iterum diviſerunt in rhythmicam & leoninam. Deſcriptiones & exempla vide apud Sixtum Senenſem lib. 3. ſanctæ bibliothecæ, & in noſtro cõpendio philoſ. titul. poetic.

Ritualis annus. Aliter appellatur annus eccleſiaſticus: quia in ritibus eccleſiæ obſervatur. Sic eccleſiæ Occidẽtis ferias ſuas inchoant à Dominicâ Adventus: eccleſia Syrorum à Kalendis Novembris. Ritus iſtius eccleſiæ ex Wid-

manstadio recitat Cl. Matth. Martinius in Lexico tit. *Ritualis annus:* ubi bene monet ritus Syriacæ ecclesiæ perperam ab ipsis Apostolorum temporibus deduci; cùm multa ibi sint partim superstitiosa, partim recentioris & sequioris ævi. Frustra itaque sunt, qui allegant consensum ecclesiæ Romanæ cum Syriaca, ut astruāt suarum pomparum antiquitatem. Qualis amabo est antiquitas in Rituali Syriaco; *In commemoratione patris Antonij & sanctorum sociorum ejus Matt.* 19. *à v.* 17. *ad* 27. Item *Lectio patris Antonij & conservorum ejus Luc.* 18. *à vers.* 18. *ad* 31. Item *in commemoratione Antonij & sociorum ejus* 1. *Corinth.* 9. *à vers.* 13 *ad fin. cap. Basilij & sociorum ejus* 2. *Corinth.* 3. *vers.* 4. *ad fin. cap. &c.* Unde apparet, post annum à Christo nato 400. demum illas rituales distinctiones esse obsignatas. Et res ipsa ostendit, jam tum in Syriacas quoque ecclesias irrepsisse quasdam corruptelas.

ROBUSTI. Hebræis dicuntur עצומים, sicut fortes גבורים. Prior illa vox occurrit *Dan.* 8. 24. *Prodigiosè corrumpendo perdet, prospereque efficiet; perdet autem corrumpendo tam robustos quàm populum sanctorum:* hoc est, seculares & spirituales. Hæc verba sunt accipienda de Antiocho & Antichristo, cujus ille typus fuit. Antiochus ab uno latere Judæorum apostatas variis artibus ad se pellexit, ab altero proceres Syriacos aulica sua vafricie decepit. Antichristus Romanus similiter ROBUSTOS, id est, reges & principes, præstigiis suis de gradu dejecit: & POPULUM SANCTORUM, id est, doctores & episcopos, qui fraudem ejus observare, aliisque indicare debebant, decepit. Vox עצומים est à עצם, *robore præditus fuit.* Quod de hujusmodi robore est intelligendum, quod soliditatis suæ vim in se habet, & citra alterius adminiculum subsistit. Unde nomen עֶצֶם *os, ossis:* quod sic dicitur Hebræis: quia solum in corpore sua soliditate subsistit, & reliquas partes sustentat. Rabbini etiam prędicamentum substantiæ עֶצֶם appellant. Ex qua significatione vocem עצומים *substantiales, essentiales, osseos*, possumus interpretari: ut intelligantur seculares illi, qui proprio robore subsistunt, sed ita, ut osseum hoc robur Bestiæ usibus eatenus commodent, ut statum simul spiritualem, tanquam succulentam Papatus carnem, sustentent. *Apoc.* 17. 13. Altera vox apud Danielem est קדשים: quæ hoc loco non simpliciter *sanctos*, sed *sanctificatos* significat: quo sensu apud Mosen sacerdotes dicuntur sanctificari, hoc est, initiari, purificari, consecrari. Germanicè dices die geweiheten. Videtur itaque Daniel d. l. bifidam Antichristi familiam notare. Utitur verbo השחית admodum significanter. Ita enim non tam seductio, quàm seductionis effectus indicatur, qui est sensim & pedetentim homines corrumpere, quomodo videmus phtisin sensim & paulatim nocere, & caniciem pedetentim obrepere. Quod notandum est contra illos, qui annum, mensem, & diem defectionis assignari postulant, quo nempe ecclesia defecit à doctrinæ morumque integritate. Perinde illi faciunt, atque si aliquis ex homine cano quærat, quando ipsius canities cœperit. Redeamus ad vocem עצומים. Illam Spiritus S. *Apocal.* 19. 18. vertit ἰσχυρούς, his verbis: *Adeste aves cœli, & congregemini ad cœnam magnam Dei, ut edatis carnes regum, & carnes tribunorum, & carnes robustorum, & carnes equorum, & eorum qui ipsis insident.* Hæc sunt præ-

cipua

cipua membra, ex quibus bestiæ regnum cõstat, & in quæ tandem resolvitur. Quæ anatomia bestiæ Antichristianæ diligenter est observanda.

ROTA. Est 1. pars currus. *Exod.* 14. 25. 2. aëris regio media *Psalm.* 77. 19. 3. rota mystica. *Ezech.* 1.

RUNCINARUM LEVIGATA DEPLANIS. Sic *Arnobius lib. 6. advers. gentiles* appellat simulacra gentilium. Runcina est dolabra, quâ poliuntur asseres. Respicit autem ad locum prophetæ *Esaia* 44. 13. *Artifex lignarius extendit normam & formavit illud in runcinâ*: vel, ut alii vertunt, *format ipsum amussi.*

RUSTICATIO. Occurrit apud vulg. interpr. *Eccl.* 7. 16. *&* 27. 7.

SABA. Latini confundunt, quæ Hebræi distinguunt. *Psal.* 72. 10. שְׁבָא וּסְבָא מַלְכֵי: ubi Scheba notat Æthiopiam illam, cujus reginæ dicebantur Candacæ; Seba Arabiam desertam. Confer *Genes.* 10.

SABAOTH. Vox hæc retinetur in Græca & Latina versione Bibl. *Ierem.* 11. 20. *Rom.* 9. 29. *Iac.* 5. 4. Dicitur autem de solo Deo, quòd sit *Iehova Sabaoth*, id est, Deus exercituum, cui omnes exercitus creaturarum cœlestium & terrestrium militant, ut eis tanquam ministris suis uti possit & soleat, bono suorum filiorum, & malo impiorum. Confer *Ioel.* 2. 23. Nimirum Deus est supremus dux, παντοκράτωρ, καὶ παντοδύναμος, der rechte General.

SABBATUM. Est 1. septimus ille dies, quo Deus quievit ab opere creationis. *Genes.* 2. 3. 2. quilibet septimus dies, quem Deus in lege sanctificari præcepit. *Exod.* 20. 3. ipsa septimana *Levit.* 23. 15. *Amos* 8. *Luca* 18. 12. 4. festum, quo quiescitur tanquam sabbato. Ita duo sabbata continua esse poterant: ut cùm sabbatum ordinarium & solenne Pentecostes continuabantur. 5. dies Dominica, quâ Christus cœpit quiescere ab opere redemtionis. Et Vertius Valens Antiochenus quãlibet septimanæ diem sive feriam vocat σαββατικὴν ἡμέραν. 6. tempus à cultura terræ feriatũ: ut olim septimus annus in Cananæa *Levit.* 25. 4. 7. Sabbatum spirituale sanctum; quies à malis operibus. 8. Sabbatum æternum; requies ab omni miseria. Est igitur sabbatum 1. dierum. 2. mensium. 3. annorum. 4. seculorum seu æternitatis. Cæterùm quare quilibet dies hebdomadis sabbatum dicatur, causa est eadem, cur singulos dies ferias appellemus. Baronius libro primo, eccles. annal. ad ann. Christ. 58. ait: *Sicut Iudai paschalem solennitatem septem diebus, comedentes azyma, celebrabant: ita Christi ecclesia placuit totidem dies aliâ ratione post Pascha solenniter agere, eamque ob causam eas ferias dicere; quarum quoniam prima erat ipsa festivitas pascha, qua eam sequitur, secunda, ac deinceps catera numerarentur eodem ordine. At quoniam, ut dictum est, quolibet die septimo, quem Dominicum appellandum esse majores censuerunt, eandem Christi resurrectionis memoriam singulis agendam hebdomadis statuerunt: inde factum est etiam, ut, sicut in prima resurrectionis hebdomadâ dies singuli feria nomine; ita sequentibus singulis hebdomadis, quòd eadem repetita solennitas videretur, eodẽ quoque modo cateri hebdomadæ dies etiam feria dicerentur; cùm præsertim fideles horrerent eosdem à diis gentium nominare, vel Iudaico more à sabbato, primam, secundam sabbati, & sic deinceps, nomen deducere.* Porrò veteres Christiani & sabbatum

tum & Dominicam sancta habebant. Hinc Scaliger de emend. temp. li. 7. *Quòd autem (Æthiopes.) sabbatum æquè ac Dominicam ab opere immune habent, id non est argumentum Iudaismi, sed veteris Christianismi. Quot enim canones sunt, qui vetant sabbato opus facere? Canon XXXIII. apud illum Clementem, quisquis fuit ille, lib. 8.* ἐργαζέσθωσαν δὲ οἱ δοῦλοι πέντε ἡμέρας· σάββατον δὲ καὶ κυριακὴν σχολαζέτωσαν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ διὰ τὴν διδασκαλίαν τῆς εὐσεβείας, id est, opus faciant autem servi quinque dies. Sabbato verò & die Dominicâ feriantur propter doctrinam divini cultus. Cæterùm observatio sabbati incipit à vespera & desinit in vesperam. Ut enim in creatione universitatis prima creati mundi facies tenebricosa fuit, cui inde lux allata, atque ita ex tenebrarum & lucis duratione dies constituta, ita & hîc ex divina institutione res habet. *Levit.* 23. 32. Itaque sabbati sanctificatio legalis in eo est posita, ut integrum νυχθήμερον impendamus quieti, hoc est, abstineamus ab omni negotio servili, mechanico, laborioso, quæstuoso, quotidiano, atque ordinario.

SABBATUM SABBATI. *Exod.* 31. 15. sic legere est שַׁבַּת שַׁבָּתוֹן קֹדֶשׁ לַיהֹוָה Cófer. *Levit.* 23. 3. Schindlerus vertit sabbatum sabbatuli: & ait, *sabbatum* est à vespera ad vesperam; *sabbatulum* est illud, quod de die profano additur sacro tanquam parvum sabbatum. Alii vertunt *sabbatum cessationis*, sive *sabbatum sabbati*, hoc est, sabbatum planè sabbatum, quo prorsus cessabitis. Alii ita vertunt: *Sabbatum est requies sancta Domino.* Quomodocunque vertatur, hic est sensus: Sabbatum, quo cessandum est ab omni opere, ut cultui Dei vacemus.

SABBATUM MAGNUM. Ita *Ioh.* 19. 31. appellatur sabbatum, in quod eo anno incidebat pascha. Ita nobis Christianum pascha dicitur der grosse Sontag. In Christiana ecclesia, eam hebdomadem, quæ pascha antecedit, Patres Græci μεγάλην ἑβδομάδα dixerunt, Latinitas infima *Poenosam*, ut Germani die Martterwoch. Et ejus hebdomadis quinta dies ἡ μεγάλη πεντὰς, & ἡ μεγάλη πέμπτη, & *magnum sabbatum* dies sequens dicitur. *Photius ad canon. apost.* 53.

SABBATUM SECUNDOPRIMUM. Vide supra Δευτερόπρωτον.

SABBATUM ENOCH. Perfecta periodus annorum solarium constat septem millibus añorum: & ejus septima pars dicitur *sabbatum Enoch* apud Æthiopes; quia Enoch juxta illos natus est anno M. 700. Fortasse sabbatum Enoch ab eo dictum, quòd Enoch septimus ab Adam, vivus in cœlum sublatus est. Itaque vetus Schola Judæorum dicit, Enoch esse symbolum sabbati cœlestis, h. e. quietis æternæ.

SABBATI ITER. Id ex traditione Judæorum erat cubitum bis mille. Tanto spatio arca, tanquam dux itineris, antecedebat castra *Ios.* 2. & tantum erat intervallum suburbanorum in circuitu *Num* 35. 5. Efficiunt autẽ 2000. cubiti, pedes 3000. seu quinque stadia. Kimchi bis mille cubitos definit per milliare Italicum, id est, quartam partem milliaris Germanici.

SABBATORUM UNA. Est prima hebdomadis. Hebraismus duplex: *sabbatum* pro septimana; & *una*, pro prima. Hieronym. Hedibiæ q. 4. *Vna sabbati dies Dominica intelligenda est: quia omnis hebdomada in sabbatum, & primam, & secundam, & tertiam, & quartam, & quintam, & sextam sabbati dividitur.*

SABBATI INTERMEDIUM TEMPUS. Sic

Sic appellatur tempus interjectum inter duo sabbata. *Actor.* 13. τὸ μεταξὺ σαββάτων est tempus sabbati intermedium. Et *Ioh.* 7. 14. μεσούσης ἑορτῆς, est εἰς τὸ μεταξὺ ἑορτῆς.

Sacerdos. Propriè sic dicitur antistes sacrorum, qui sacris præest, & ea administrat. Nam sacerdos dicitur, quasi sacra dans. Itaque hoc sensu omnes pastores dici possunt sacerdotes. Specialiter autem hoc nomine insigniuntur, qui sacrificia offerunt. Hinc Aharon ejusque successores dicuntur sacerdotes: item Christus: denique omnes Christiani. De postrema hac nomenclatione sic loquũtur Patres: *Cyprianus de unctione chrismatis:* Ut sicut Christus à chrismate dictus est, eò quòd singularis excellentiæ oleo unxerit eum Deus: ita & participes ejus quotquot sunt, consortes sint tam unctionis quàm nominis, & dicantur à Christo Christiani, ut sint sui, Christo duce, rectores & duces, & offerant Deo quotidianum sacrificium, ordinati à Deo sanctimoniæ sacerdotes. *Cyrillus Alexandrinus in Leviticum libr.* 9. An ignoras tibi quoque, id est, omni ecclesiæ Dei & credentium populo, sacerdotium datũ? Audi quomodo Petrus dicit de fidelibus: Genus, inquit, electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis. Habes ergo sacerdotiũ, quia gẽs sacerdotalis es, & ideo offerre debes Deo hostiã laudis, hostiam orationum &c. *Et ibidem:* Omnes enim, quicunq; unguento sacri chrismatis delibuti sunt, sacerdotes effecti sunt: sicut & Petrus ad omnem dicit ecclesiam, vos autem genus electum, & regale sacerdotiũ. *Ibidem:* Unusquisq; nostrum habet in se holocaustum suum, & holocausti sui ipse succẽdit altare, ut semper ardeat. Ego si renuntiem omnibus, quæ possideo, & tollam crucem meã, & sequar Christũ, holocaustum obtuli ad altare Dei. Cæterùm nulli sunt in N. T. sacerdotes, qui offerant Deo sacrificium propriè dictum, ut fingitur in Papatu. Nam Christus est sacerdos æternus, non quòd in æternum sacrificet, sed quia virtus sacrificii ejus durat in æternum *Dan.* 9. *v.* 24. *Heb.* 10. *v.* 14.

Sacerdos secundùm ordinem Melchisedeci. Est epitheton Christi *Psal.* 110. 4. quia ille est sacerdos ad similitudinem Melchisedeci *Heb.* 5.

Sacerdos unctus. Ita appellatur Pontifex maximus. *Lev.* 4. *v.* 3. Nam sacerdotes inferiores non ungebantur, sed tãtùm eorum vestes aspergebantur, *Exod.* 29. Unde in V. T. soli reges & pontifices dicuntur propriè uncti. Nam illi soli ungebantur ordinariè: prophetæ nonnisi extra ordinẽ, ut Elisæus. Itaq; Jonathan paraphrastes *Lev.* 4. ubi in Hebr. est *sacerdos unctus*, rectè vertit, *sacerdos magnus*. Et Abenezra rectè annotat: *Sacerdos magnus ipse est sacerdos unctus.* Hinc lucem accipit locus 2. *Maccab.* 1. *v.* 10. ubi mentio fit τῶν χριστῶν ἱερέων. Nimirum *sacerdotes Christi* sunt Pontifices summi.

Sacerdotalis terra. Apud vet. interpr. Bibl. sic appellantur agri præsidum sive præfectorum. *Gen.* 47. 26.

Sacerdotium. Est quadruplex. 1. Leviticum, transitivum, sive typicum. *Exod.* 28. *v.* 1. 4. 41. *& alibi.* 2. Æternum & intransitivum, quale est Christi. *Hebr.* 7. *vers.* 24. 3. Internum & spirituale: quo sensu Christiani dicuntur regale sacerdotium. 1. *Petr.* 2. 9. 4. Externum & sacramentale: quo sensu apud veteres peculiari ratione pastores administrantes eucharistiam

ristiam dicuntur sacerdotes. Quò pertinet phrasis illa, quâ sacerdos apud Patres dicitur *conficere corpus Christi*: nempe sacramentali ratione.

SACRAMENTUM. Sacramentum est id, quod sacrat, seu quo sacratur. Triplex est hujus vocis significatio; prima apud profanos authores, secunda apud veterem Latinum sacrorum Bibliorum interpretem, tertia apud Patres & alios theologos Christianos. Quod attinet ad profanos authores, sex modis illi usurpant hanc vocem. 1. pro juramento, quo sacratur homo ad rem certam, ut ad militiam, imperatori aut reipublicæ. 2. pro ipsa militia, quæ dicto modo sacratur. 3. pro milite, qui sacramento est addictus. 4. pro obligatione quâvis, firmiter servanda, tanquam jurata. 5. pro sponsione mutua. 6. pro pecuniâ, quæ à partibus litigantibus deponitur apud Pontificem, cum certa & sancta obligatione, tanquam juramento. Deinde vulgatus Bibliorum interpres Latinus adhibuit vocem *sacramentum*, ubi in Græco est μυστήριον, id est, arcanum ad sacra pertinens. Itaque sacramentum ipsi est nunc doctrina rerum sacrarum, nunc doctrina rerum sacrarum arcana, nunc sanctum Evangelium, nunc doctrina arcana rerum impiarum, nunc actio seu res occulta. Vide *Daniel.* 2. *vers.* 18. 30. 47. *cap.* 4. *vers.* 6. *Ephes.* 1. *vers.* 9. *cap.* 3. 4. *cap.* 5. *vers.* 32. *Coloss.* 1. *vers.* 27. 1. *Timoth.* 3. *vers.* 16. *Apocal.* 1. *vers.* 30. *cap.* 17. *vers.* 7. 4. *Esdr.* 2. *vers.* 7. *Tob.* 12. *vers.* 7. *Sapient.* 2. *v.* 22. *cap.* 6. *vers.* 24. *cap.* 12. *vers.* 6. In usu ecclesiastico sacramentum accipitur generaliter, & specialiter. *Generaliter* sacramentum est 1. legale signum; cujusmodi erat arbor vitæ ante lapsum. 2. signum temporalis boni; ut est iris. 3. signum gratiæ specialis; ut est unctio sacerdotum & regum, impositio manuum &c. 4. quodvis mysterium sive arcanum. Hinc Patres sacramentum *interdum* vocant sacram & cœlestem doctrinam, in quam Christiani in baptismo obligantur: sicut *Augustinus tom* 9. *de symbolo ad Catechumenos libro tertio, capite primo.* ubi sic ait: Sacramentum symboli, quod accepistis, memoriæque mandatum pro vestra salute retinetis, noveritis hoc esse catholicæ fidei fundamentum, super quod surrexit ædificium ecclesiæ, constructum manibus Prophetarum & Apostolorum. Hoc sensu idem Pater omnia mysteria sacræ Scripturæ appellat sacramenta Scripturarum. *Interdum* res arcana significatur hoc nomine: ut cùm *Augustinus tomo* 9. *de symbolo ad Catechumenos libro secundo, capite secundo.* certamen infantum in utero Rebeccæ appellat magni sacramenti figuram, his verbis: In utero Rebeccæ duo certant infantes, procedente majore, minoris manu emissâ ex utero planta majoris apprehensa est. In quorum certamine magni sacramenti figura monstrata est, ut minor supplantaret majorem, eique postmodum primatum atque benedictionem auferret. In quibus parvulis quasi ... dentibus, & sacramentum, ut dixi, magnum exhibentibus, & reprobi in Esau demonstrantur Judæi, & prædestinati in Jacob apparent Christiani. *Idem Augustinus* mysterium unionis duarum naturarum in Christo appellat sacramentum incarnationis Filii Dei, *tomo tertio, in sententiis cap.* 335. his verbis: Illa forma videbitur Filii, quam sibi per sacramentum incarnationis univit. *Interdum* quævis sacra actio & ceremonia appellatur sacramentum: ut quando *Cyprianus* impositionem

tionem manuum, quâ recipiebantur in in veram ecclesiam ii qui ab hæreticis baptizati fuerant, vocat sacramentum, *epistolâ 72. ad Stephanum Papam Romanum*: ubi scribit, decretum esse in synodo Africana, eos qui sint foris extra ecclesiam tincti, & apud hæreticos & schismaticos profanæ aquæ labe maculati, quando ad nos atque ad ecclesiam, quæ una est, venerint, baptizari oportere, eò quòd parum sit eis manum imponere ad accipiendum Spiritum sanctum, nisi accipiant & ecclesiæ baptismum. Tunc enim demum plenè sanctificari & esse Filii Dei possunt: si sacramento utroque nascantur. Intelligit Cyprianus sacramentum utrumque, de quo loquitur hoc loco, nempe baptismum & impositionem manuum. Eodem significato *Bernhardus sermone de cœnâ Domini* lotionem pedum appellat sacramentum. Sic omnia sacrificia Vet. Testam. appellantur à Patribus samenta. Sequitur *specialis* acceptio hujus vocis: eaque rursus, vel minùs, vel magis specialis. Illa est, quando sacramentum ponitur pro appendice fœderis: hęc, quando eucharistia antonomasticè appellatur sacramentum à Patribus. Priorem significationem quod attinet, sacramentum aliàs propriè & strictè sumitur pro signo, sigillo, ac medio externo, quo res cœlestis declaratur, obsignatur, & communicatur credentibus: aliàs impropriè & latè pro signo, & re significata, seu pro re terrestri & cœlesti. Prior significatio si attendatur, sacramentum est in prædicamento relationis. Huc pertinet quod vulgò cum Augustino dicimus, sacramentum esse visibile signum gratiæ invisibilis: item, Accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum, i.e. signum & sigillũ. Posterior significatio si attendatur, sacramentum est in prædicamento actionis. Ita enim sacramentum est actio divinitùs instituta, constans ex re terrestri & cœlesti, juxta illud *Irenæi libro quarto, advers. hæres. cap. 34.* Quemadmodum qui est à terrâ panis, percipiens vocationem Dei, jam non communis panis est, sed eucharistia, ex duabus rebus constans, terrena & cœlesti: sic & corpora nostra, percipientia eucharistiam, jam non sunt corruptibilia, spem resurrectionis habentia. *Augustinus in sententiis à Prospero collectis*: Hoc est, quod dicimus; hoc est, quod omnibus modis approbare contendimus, sacrificium scilicet ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & invisibili Domini nostri Jesu Christi carne & sanguine; sacramento, & re sacramenti.

SACRAMENTUM ALTARIS. Vide supra PROPOSITIONIS MENSA.

SACRARIUM. In genere est locus, ubi sacra ponuntur. Dicitur etiam hoc nomine illa pars, in quâ sunt clerici, ad celebranda sacramenta. Item est adytum, sive cella, pars templi secretior, ubi se sacerdos præparat & sacris vestibus adornat. Denique sacrarium & sacellum interdum confunduntur, etsi alterum sine altero esse possit.

SACRIFICIUM. Aliud est gentile, aliud Deo sacrum: & hoc est commune, vel proprium. Sacrificium commune pertinet ad omnes fideles V. & N. Test. estque hilasticum, vel eucharisticum. Illud est sacrificium Christi, quo sanctificati sum' in perpetuum, quicũq; illud fide amplectimur: h.e. partim laus & gratiarũ actio,

partim sanctimonia vitæ. Sacrificium proprium est vel V. vel N. T. Ibi est sacrificium typicum, cujus sex sunt species, putà holocaustum, sacrificium vespertinum, sacrificium retributionum, sacrificium confessionis, hostia pro peccatis, & sacrificium consecrationis: hîc est sacra cœna, quæ dicitur sacrificium, phrasi in ecclesia usitata. Etsi enim, si strictè & propriè loqui volumus, alia res est sacrificiũ alia sacramentum: nam sacrificium est populi ad Deum, sacramentum Dei ad populum; quia in sacrificio nos aliquid offerimus Deo, cùm in sacramento Deus nobis aliquid offerat: etsi, inquam, hæc ita se habent: tamen sacramentum est sacrificium, seu in sacramento est aliquod sacrificium, quantum ad actionem, qua sacramentum peragitur, phrasi in ecclesia usitata; tum quia omne opus, quod in ecclesia ex Dei voluntate & jussu præstatur, sacrificium appellatur, sicut universum Evangelii ministerium est sacrificiũ, uti Paulus ait *Rom.* 15. *v.* 16. ἱερουργῶ τὸ εὐαγγέλιον τοῦ Θεοῦ, *Sacrifico Evangelium Dei*: & *Phil.* 2. *v.* 17. Immolor supra sacrificio fidei vestræ: tum quia in sacramenti legitimo usu fit gratiarum actio solennis ad Deum, quam itidem Scriptura vocat sacrificium: tum denique quia sacramentum est memoriale sacrificii Christi propitiatorii. Propterea & sacra cœna est sacrificium; tum quia est sacra actio divinitùs mandata, tum quia in illa gratiæ agũtur Deo solennes pro liberatione nostri per Christum; tum deniq; quia est commemoratio sacrificii à Christo peracti. Itaque sacra cœna est sacrificium eucharisticum & propitiatorium. Eucharisticum quidem propriè dictum: propitiatorium verò propter memoriam & repræsentationem sacrificii semel in cruce facti & oblati: Cùm ergo Patres sacrificium ecclesiæ à Christo institutum dicũt, ipsam dispensationem & communionem sacræ cœnæ intelligunt. Hinc *Irenæus libr.* 4. *adversus hæreses cap.* 34. ait: Offerimus ei non quasi indigenti, sed gratias agentes donationi ejus. *Eusebius Cæsariensis de demonstrat. Evangelicâ lib.* 1. *c.* 10. Meritò sanè, quando illius memoriam, corporisque ejusdem & sanguinis recordationẽ quotidiè celebrant, & ad longè præstantius & sacrificium & munus assumpti sunt, quàm illud antiquius fuerit. *Et quibusdam interjectis*: Mirabilem quandam victimã, sacrificiumque eximium Patri suo operatus pro nostra omnium salute obtulit, ejusque rei memoriam, ut nos ipsi Deo pro sacrificio offerremus, instituit. *Cyprianus de cœnâ Domini sect.* 10. Celebrantes sacramenta commonemur, quasi ungulam findens & ruminans pecus, revocare ad fauces, & minutatim commolare Dominicæ institutionis exemplum, ut semper passio sit in memoria. *Chrysost. homil.* 17. *in epist. Hebr.* Offerimus quidem, sed ejus mortem revocamus in memoriam. *Et paulò pòst*: Non aliam hostiam sicut Pontifex, sed eandem semper facimus, vel potiùs hostiæ seu sacrificii facimus recordationem. *Ambrosius tomo* 4. *lib.* 4. *de sacramentis, cap.* 6. Ergo memores gloriosissimæ ejus passionis, & ab inferis resurrectionis, & in cœlum ascensionis, offerimus tibi hanc immaculatam hostiam, incruentam hostiam, hunc panem sanctum, & calicem vitæ æternæ. *Theodoretus in ca.* 8. *Hebr.* Si ergo & sacerdotium, quod est ex lege, finem accepit, & sacerdos, qui est secundùm ordinem Melchisedeci obtulit sacrificium, & effecit ut alia sacrificia non essent:

essent necessaria, cur novi testamenti sacerdotes mysticam liturgiam seu sacrificium peragunt? Sed clarum est iis, qui sunt in divinis rebus eruditi, nos non aliud sacrificium offerre, sed illius unius & salutaris memoriam peragere. Hoc enim nobis ipse præcepit Dominus, Hoc facite in mei recordationem: ut per figurarum contemplationem, earum quę pro nobis susceptæ sunt perpessionum recordemur. *Augustinus tom.2.epist.23. ad Bonifacium*: Nonne semel immolatus est Christus in seipso, & tamen in sacramento nō solùm per omnes paschæ solennitates, sed omni die populis immolatur: nec utique mentitur, qui interrogatus, eum respondeat immolari? Si enim sacramenta quandam similitudinē earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omninò sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Ex his patet, quo sensu Eucharistia Patribus dicatur *oblatio*, *sacrificium*, *sacrificium commemorationis*, *sacrificium corporis Christi* &c. Porrò sacrificium. Hebræis appellatur זֶבַח & מִנְחָה. Prius illud vocabulum à mactando deductum, comprehendit totum genus sacrificiorum cruentorum, quæ in animalibus vivis vario ceremoniarum discrimine & apparatu offerebantur. Alterum à placatione derivatum, incruenta sacrificia præcipuè designat, quæ nempe in rebus inanimatis offerebantur.

Sadducæus. Josephus commemorat tres philosophias sive sectas Judæorum: videl. Pharisæos, Sadducæos, & Essæos. Ex his Sadducæi dicti sunt, non à צדיק *justus*, q. *justitiarii*: sed à Zadok, qui fuit discipulus Antigoni Sochęi. Sochæus iste habuit duos discipulos, Zadok & Baithos, qui pias ipsius sententias corruperunt; & aliovorsum, quæ dextrè erant intelligenda, trahentes, novæ hæreseos fundamenta jecerunt. Ab illo Zadok dicuntur Zadducæi, ut à Baithos Baithusæi. Ille porrò Antigonus successit Simeoni Justo; ut verisimile sit synagogam ten pli secundi, simulac desierunt prophe æ, in illas sectas dividi cœpisse. Cæterùm Pharisæi & Sadducæi dissimulatis odiis, vixerunt inter se, etiam in officiis collegæ: at, cùm res tulit, acerbis inimicitiis in se mutuò exarserunt. Inter ipsorum dogmata sacra historia refert, quòd negaverint resurrectionem mortuorum.

Sal. Est 1. naturale *Marc.* 9. 50. 2. legale sive typicum *Levit.* 2.13. *Marc.* 9. 49. 3. spirituale *Marc.* 9. 50. *Coloss.* 4. 6. Quò etiam pertinet, quòd apostoli appellantur sal terræ, *Matth.* 5, 13. Summa est: Sal est naturale, vel mysticum; & hoc legale, vel spirituale. Sal mysticum sacrificii erat symbolum incorruptæ integritatis, & ejus quidem geminæ 1. illius, quam in Christo & à Christo habemus. 2. illius, quam Spiritus sanctus in nobis efficit. Porrò *igne saliri*, est verâ pœnitentia & cruce condiri, ut Deo sapiamus. *Matth.* 9. 50. Adhæc *sal infatuatus* sive insulsus, est doctrina humanis commentis aut pravis moribus inutilis reddita. Teneatur hîc & illa distinctio: Sal spirituale est principale, vel ortū à principali. Illud est Christus, quo tam homines quàm opera eorum redduntur Deo, tanquam sapidus cibus, grati & jucundi: hoc est fides & sanctimonia vitæ. Denique *sal fœderis* Levit. 2.13. est sal, quo fœdus q salitur, ut incorruptum & inviolatum duret. Dicitur & *fœdus sive pactum salis.* Num. 18.19. est

est fœdus gratum & q. sapidum partibus fœderatis.

Salvator. Servator. Græcis dicitur σωτὴρ. Audiamus de his vocibus judicium Calvini. Sic autem ille scribit *in harmonia evangelistarum, super Luc. 1. v. 46.* Nomen σωτῆρος plus Græcis significat, quam Latinis Servator: nempe qui non semel tantùm liberat, sed perpetuæ salutis author est. Et rursus *d. l. super Luc. 2. v. 11.* Cùm autem σωτὴρ plus Græcis exprimat, teste Cicerone (*Verrina* 4.) quã Latinis Servator, nec extet nomen Latinum, quod illi respondeat, satius mihi visum est barbarè loqui (*vertendo nimirum vocem σωτὴρ, Salvator.*) quàm ex Christi virtute aliquid diminuere. Nec dubito quin idem vulgato interpreti & vetustis ecclesiæ doctoribus fuerit consilium (*illi enim voce Salvator crebrò utuntur.*) Salvator ergo Christus dicitur, qui plenam salutem confert. *Hactenus Calvinus.* Hanc ἐνάργειαν & ἐνέργειαν hujus vocis, quando Christo tribuitur, eleganter exprimit Prudentius:

Christus nostra salus: hinc vivimus, hinc animamur.

Adoremus itaque hunc

Æternæq; spei fontem, pelagusq; salutis.

Semper itaque ingeminemus istud:

Vita, salus, & lux, mundiq; redẽtio Christus.

Locus Ciceronis lib 2. contra Verrem sic habet: *Itaque eum non solùm patronum istius insulæ, sed etiam σωτῆρα inscriptum vidi Syracusis. Hoc quantum est! Ita magnum, ut Latino vocabulo uno exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutẽ dedit.* Minus autem est servare, quàm salutẽ dare. Servat is (ut annotat Manutius ad illum Ciceronis locum.) qui, ne salus amittat, aliqua ratione præstat: salutem dat, qui amissam restituit, Sic apud *Polybium lib. 5.* Antigonus ob insignem clementiam & varia beneficia, quibus etiam hostes affecit, post mortem σωτὴρ ἐκλήθη, *Salvator est appellatus.* Neq; verò vox Latina ignota est veteribus. Non certè Lactantio, Arnobio, & Porphyrio, è quibus hic postremus in Panegyrico Constantino dicto,

Undique pacatis Salvator maxima rebus
Gaudia præstabis ———

Servator propriè is est, qui, quem occidere in prælio potuit, pepercit, sed ita, ut in servitutẽ redegerit. Unde ille merito suo servator, hic ab evẽtu servus appellatur.

Salvator Mundi. Solus Dominus noster Jesus Christus est salvator mundi. Hieronymus quidem *Gen. 41. 45.* nomen Ægyptium, Josepho impositum, vertit Salvatorem mundi, tanquam qui Ægyptiacum mundum consiliis salvaret à fame. Sed ea versio meritò suspecta est. Hebraica enim veritas ita habet: *Et vocavit Pharao nomen Iosephi Tsaphenath Paneach.* Docti quidam reddunt, *absconditorum explanatorem sive interpretem.* Et ita Philo vertit ὀνειροκρίτην & κρυπτῶν εὑρετήν. Hieronymus quoque in quæst. fatetur, Hebraicè sonare *repertorem absconditorum,* sed Ægyptiacè, *salvatorem mundi.* Potiò σωτὴρ, *salvator,* dicitur γενικῶς vel εἰδικῶς. Ita 1. *Tim.* 4. 10. Deus dicitur salvator omnium hominum, maximè fidelium. Ubi Ambrosius: *Ipse est salus omnium, quia ex ipso & per ipsum vivunt, quantum ad præsentem vitam attinet, omnes: quantum verò ad promissam salutem, fideles.*

Samson. In prosa *Ecce dies celebris,* hoc nomen ita explicatur:

Samson dictus soleorum,

Christus

Christus lux est electorum,
Quos illustrat gratia.

SANCTIFICO. Est 1. sanctum facio, ipso opere. 2. sanctum agnosco, prædico; adeoque sanctum facio animo, affectu, studio, cultu. 3. usui sancto deputo. 4. præparo.

SANCTIMONIALES. Ita dicuntur monachæ, sive virgines Deo consecratæ: ἀσκήτριαι, quæ se exercent divinis rebus.

SANCTIMONIUM. Est sanctimonialium professio.

SANCTIFICIUM. Est sanctuarium, seu locus sanctifici, id est, ejus qui sanctè aliquid facit. Legitur in vulg. vers. *Psal.* 78. 69.

SANCTUM SECULARE. *Hebr.* 9. 1. τὸ ἅγιον κοσμικὸν, *sanctuarium mundanum*, est terrenum & caducum sanctuarium, quod opponitur cœlesti & æterno, in quod Christus est ingressus.

SANCTA DAVID FIDELIA. *Actor.* 13. 34. τὰ ὅσια Δαβὶδ τὰ πιστὰ appellantur benignitates sive beneficentiæ in Davidem collatæ, eæque certæ & constantes. Itaque benignitates Davidis dicuntur passiva significatione.

SANCTA IMPORTUNITAS. Ita theologi practici appellant fervorē precum, quo fit, ut sancti homines replicent, duplicent, & quadruplicent, id est, crebrò instent apud DEUM gemendo. Patres dicunt, pios quasi agmine facto DEUM adoriri precibus: alludentes ad parabolam de vidua *Lucæ* 18. In Liturgia Basiliana, σὲ τοίνυν δυσωπῶ τὸν μόνον ἀγαθὸν καὶ εὐήκοον, *Te multis verbis, & quasi importunè oro, qui solus bonus es, & libenter exaudis.* Sic & in liturgia Chrysostomi. Jure aliquis miretur, verbum δυσωπῶ, *quod pudorem incutere* significat, à viris piis usurpari, cùm Deum alloquuntur. Sed hanc illis vocem extorsit zeli vehementia, & de ejus bonitate certa fiducia. Magis mirum est verbum ἀπειλεῖν, *minari*, Gregorio Nazianzeno in simili argumento usurpatum. Narrat ille Gorgoniam sororem suam, cùm aliquando morbo laboraret insanabili, ad altare accessisse, & capite illi admoto, cum lachrymis & clamore magno, preces ad Dominum ferventissimas effudisse, μὴ πρότερον ἀνήσειν, *inquit,* ἢ τῆς ὑγιείας τυχεῖν ἀπειλοῦσαν, *minantem se non priùs altare dimissuram, quàm esset nacta sanitatem.* O fidei vehementiam! ô Christi bonitatem, humana mente incomprehensibilem, per quam verè piis tantum liceat! Gregorius eleganter ait, ipsam εὐσεβῆ τινα καὶ καλὴν ἀναισχυντίαν ἀναισχυντῆσαι, *piâ quadam & honesta impudentia egisse impudentem.* Factum DEO placuisse exitus probavit. Sanata enim ab altari recessit Gorgonia. Similis est illa phrasis, *Deum fatigare precibus*, item *obtundere.*

SANCTUM SANCTORUM. Vulgatus Interpres *Dan.* 9. 24. ita vertit hæc verba: *Ut ungatur Sanctus sanctorum*, id est, Christus. Quæ sententia etsi per se non est incommoda, nec absurdi quidquam habet: ab hoc tamen loco est aliena. Nam angelus his verbis ostendit per crucem Christi omnem veterem cultū & omnes legales ceremonias, in quibus Christi officium & meritū hucusq; repræsentatum fuit, quasi sanctificatum iri, ut omnium piorum spes & fides, quæ hisce ceu adminiculis susten-

tata fuerat, rata & grata haberetur. Hoc ergò ut signanter indicaret, *primò* utitur *Sancti sanctorum* appellatione propterea, quòd hoc ceu caput & principalis sedes erat istius cultus, ad quam omnes legales ceremoniæ dirigebantur. *Deinde* verbum *Ungo* huc applicat perquàm commodè. Hoc enim in doctrina de ceremoniis propriè significat, *Authoritatem collati muneris confirmare, munus collatum ratum habere, facultatem alicui tribuere agendi ex officio.* Videtur autem angelus in verbi hujus usurpatione respicere ad illud *Exod.* 30. 25. *& seqq. & c.* 40. 9. 10 11. ubi sanctum illud sanctorum cum sua supellectile ceremonialiter quidem ungitur & inauguratur. Veruntamen angelus hîc testatur, illam non veram, efficacem, & genuinam sanctificationem & approbationem fuisse, sed tantùm typum illius gessisse: nunc autem veram unctionem accessuram, per sangvinem nempe mortis Christi, per quam universum veteris sacerdotii officium, omnium victimarum sangvis, omnia altaria & sacrificia ungenda & sanctificanda sint 2. *Cor.* 1. 20.

Sancti. Sic κατ' ἐξοχὴν appellantur homines beati, qui in hac vita floruerunt & excelluerunt singulari & heroica sanctitate, & jam in cœlesti patria degunt. His adhibendus est honos, non implorationis, sed venerationis, h. e. ad Deum pro constantia illorum in confessione, proque similibus donis, gratiarum actionis, itemque imitationis & honorificæ opinionis.

Sanctus. Tribus potissimùm modis accipitur in Scriptura: videl. pro eo, qui est justus, integer, nulloque vitio cõtaminatus; item pro eo, cui imputatur sanctitas Christi; deniq; pro eo, qui sancto fini & usui detestinatus est. Hac de re insignis est locus in *Catechismo Romano part.* 1. *cap.* 10. *quæst.* 12. Quomodo ecclesia Christi inter tot peccatores dicitur sancta? Appellatur sancta, quòd Deo consecrata dedicataq; sit. Sic enim cætera hujuscemodi, quanquam corporea sint, sancta vocari consueverunt, cùm divino cultui addicta & dedicata sunt: cujus generis sunt in lege veteri vasa, vestes, & altaria: in quâ primogeniti quoq;, qui Deo altissimo dedicabãtur, sancti sunt appellati. Nec mirum cuiquam videri debet, ecclesiam dici sanctã, tametsi multos peccatores continet. Sancti enim vocantur fideles, qui populus Dei effecti sunt, quive se fide & baptismate suscepto, Christo consecrarunt: quanquam in multis offendunt, & quæ polliciti sunt, non præstant. Quemadmodum etiam qui artem aliquam profitentur, etsi artis præcepta non servent, nomen tamen artificum retinent. Quare D. Paulus Corinthios sanctificatos & sanctos appellat: in quibus nonnullos fuisse perspicuum est, quos ut carnales, & gravioribus etiã nominibus acriter objurgat. Sancta etiã dicenda est, quòd veluti corpus cum sancto capite Christo Domino, totius sanctitatis fonte, conjungitur, à quo Spiritus S. charismata, & divinæ bonitatis divitiæ diffunduntur. Præclarè sanctus Augustinus interpretans verba illa prophetæ, Custodi animam meam, quoniam sanctus sum: Audeat igitur & corpus Christi, audeat & unus ille homo clamans à finibus terræ, cum capite suo, & sub capite suo dicere, sanctus sum. Accepit enim gratiã sanctitatis, gratiam baptismi, & remissionis peccatorum. *Ac paulò pòst*: Si Christiani omnes, & fideles in Christo baptizati,

ipsum

ipsum induerunt, sicut Apostolus dicit, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis: si membra sunt facti corporis ejus, & dicunt se sanctos non esse: capiti ipsi faciunt injuriã, cujus membra facti sunt. Accedit etiam, quòd sola ecclesia legitimum sacrificii cultum, & salutarem habet sacramentorum usum, per quæ tanquam efficacia divinæ gratiæ instrumenta, Deus veram sanctitatem efficit: ita ut quicunque verè sancti sunt, extra hanc ecclesiam esse nõ possint. Patet ig. ecclesiam esse sanctam: ac sanctam quidem, quoniam corpus est Christi, à quo sanctificatur, cujusq; sangvine abluitur. Hucusque Catechismus Romanus.

Sangvis Jesu Christi. Hic est sangvis fœderis & N.T. qui nos purgat ab omni peccato. *Zachar.* 9. 11. *Matt.* 26. 28. *Marc.* 14. 24. *Luc.* 22. 20. 1. *Iohan.* 1. Itaque ejus λύτρον est nostrum λύτρον. Hîc quæri solet de aqua & sangvine manantibus è latere Christi, utrum physica ratione id factum sit, an miraculo: item, utrũ mixtim sangvis & aqua fluxerint, an separatim? Resp. ad 1. Narratio Johannis insinuat, si diligenter attendatur, & Patres crediderunt, miraculo id esse factum. ad 2. Gregorius Nazianzenus, sive Apollinaris Laodicenus, in tragœdia *Christus patiens* commemorat διπλῆν κρουνὸν, *duplicem scaturiginem*, his verbis:

Ὁρᾶθ᾽ ὁρᾶτε, πῶς διπλοῦς κρουνὸς ῥέει.
Πλευρᾶς, αἷμά τε καὶ πεφυρμένον ποτόν:
Videte videte, quomodo duplex scaturigo fluat
E latere, sangvis & aqua permixta.

Sed error est librariorum. Nam contrariam sententiam, quæ proculdubio vera est, paulò pòst proponit ille poëta, cùm ait:

Πλευρᾶς νενυγμένης δὲ θαυμαστῶς ὕδωρ
Ἔσταξεν εὐθὺς, αἷμα τ᾽ οὐ πεφυρμένον.
Latere perforato statim cum miraculo aqua
Manavit, & sangvis non permixtus.

Et ita Nonnus, successivè fluxisse ait:

Πρῶτα μὲν αἷμα χύθη, μετέπειτα δὲ
θέσκελον ὕδωρ.

Sapientia Salomonis. Hoc nomine interdum ipsa hujus regis virtus intellectualis seu dianœtica, interdum liber quidam significatur. Et rursus quando liber significatur, aut Proverbia Salomonis intelliguntur, aut peculiaris liber pseudepigraph⁹ & apocryphus. Sic apud *Melitonem Sardensis ecclesiæ antistitem in epistola ad Onesimum, quam recitat Eusebius lib.* 4. *hist. Eccles. c.* 26. Proverbia Salomonis & Sapientia Salomonis habentur pro uno, his verbis: *Psalmi Davidis, Proverbia Salomonis, quæ & Sapientia, Ecclesiastes* &c. Hîc Melito Salomonis Proverbia nominat Sapientiam, ut Ruffinus interpres Eusebii indicat, & pronomen relativum *quæ* satis probat. Sed apud *Athanasium in synopsi Scripturæ* Sapientia Salomonis accipitur pro peculiari libro, eoq; apocrypho. Verba sic habent: Præter istos autem (*libros canonicos V. T.*) sunt adhuc alii veteris instrumenti libri non canonici, qui Catechumenis tantùm leguntur: Sapientia Salomonis, cujus initium est, Omnis sapientia à Domino est &c.

Sarabarum. Saraballum. Occurrit *Dan.* 3. *v.* 27. *& intermisso apocrypho v.* 94. Suidas ait: Σαράβαρα ἐσθὴς Περσική. Isidorus libr. 19. 23. *Quibusdam nationibus sua cuique propria vestis est: ut Parthis sarabara, Gallis linnæ, Germanis renones, Hispanis striges, Sardis mastrugæ. Sarabara sunt fluxa ac sinuosa vestimenta, de quibus legitur in Daniele*, Et sarabara eorum non sunt immutata. In Græc. vers. est σαράβαρα αὐτῶν.

SATAN. Hoc nomine appellatur in V. & N. T. princeps malorũ angelorum, quòd sit adversarius Dei & piorum. Quâ de re *Cyprianus de exhort. martyr.* sic ait: Adversarius vetus est, & hostis antiquus, cũ quo prælium gerimus. Sex mille annorum penè complentur, ex quo hominem diabolus impugnat, omnia jam genera tentandi, & artes atque insidias dejiciendi, usu ipso vetustatis edidicit. Si imparatum invenerit Christi militem, si rudem, si non solicitum, ac toto corde vigilantem: circumvenit nescium, fallit incautum, decipit imperitum. Si quis verò dominica præcepta custodiens & fortiter Christo adhærens contra eum steterit, vincatur necesse est: quia Christus, quem confitetur, invictus est. Cæterùm nomen Satan per se est appellativum, idem quod adversarius. Ita vertitur ἐπίβουλος, *insidiator* 1. *Sam.* 29. 4. 2. *Sam.* 19. 22. 1. *Reg.* 5. 4. & διάβολος, *Psal.* 109. 5. Retinetur σατὰν 1. *Reg* 11. *v.* 14. 23. 25. Sed per synecdochen antonomasticam est ille adversarius Dei & piorum, princeps malorum angelorum. LXX. verterunt διάβολος 1. *Chr.* 21. 1. *& sæpius Iob.* 1. *&* 2. *& Zach* 3. *v.* 1. 2.

SATURITAS. Est 1. corporis. *Exod.* 16. 12. 2. animæ. 1. *Sam.* 2. 5. *Luc.* 6. *v.* 21.

SCABELLUM. Est 1. hominis. *Iacob.* 2. 3. 2. Dei 1. *Chr.* 28. 2. *Esa.* 66. 1. *Act.* 7. 49. 2. Christi, regis ecclesiæ. *Psal.* 110. 1.

SCALA COELI. Jacob Patriarcha *Gen.* 28. in somnio vidit scalam, cujus pars ima erat in terra, & summa pars ejus pertingebat usque ad cœlum. Per istam scalam doctissimi Hebræorum dicunt significari, omnia ista inferiora dependere à superioribus. At potiùs hac figura fuit significatus Christus, qui cœlum terræ conjungit ratione personæ & officii. *Ratione personæ*; quia est Immanuel sive θεάνθρωπος. *Ratione officii*; quia hic solus est mediator, pertingens à cœlo usque ad terram, per quem bonorũ omnium cœlestium plenitudo deorsum ad nos fluit, nosq; vicissim ad Deum conscendimus. Idem cùm sit caput angelorum, efficit ut illi membris suis in terra ministrent. Itaque hunc sibi propriè honorem vendicaturus erat, quòd postquam mundo manifestatus esset, angeli descenderent & ascenderent ministræ beneficentiæ Patris erga nos, propter ipsum. *Ioh.* 1. *v.* 51. Porrò gradus in hac scala cœli ab aliis aliter enumerantur. Johannes Arndt hoc ordine proponit in sua Postilla:

Scala ad vitã æternam.	1. *Gradus. Verbũ Dei.*	2. *Fides in Christum.*	3. *Charitas.*	4. *Confessio.*	5. *Tribulatio.*	6. *Patientia.*	7. *Precatio.*	8. *Spes.*	9. *Gloria.*

SCANDALUM. Bernhardus facit duplex scandalum, interius & exterius. *Interius* vocat, cùm vetus homo offendiculum præbet novo homini. Sic *Matth.* 5. dicit Christus, oculum, manum & pedem, i. e. concupiscentias pravas nos scandalizare, i. e. molestare novum hominem, ut inoffenso cursu non pergat in via Domini. *Exterius* scandalum est, quod foris accedit, & præbet vel causam, vel occasionem ruinæ. Hoc usitatè à theologis venit appellatione scandali, & dividitur

in da-

in datum & acceptum. De scandalo interno accipe illa Bernhardi in festiv. S. Michael serm. 2. *Interdum est in nobis spiritualis intentionis oculus simplex, & qui gratiæ magis quàm noster est dicendus. Sed scandalizat nos oculus noster, qui verè à nobis est, dum voluntas nostra aliam minùs castam importunè ingerit intentionem. Cùm bonis operibus intentos ad alia opera trahere voluntas propria conatur, manus nostra est, quæ scandalizat nos. De virtute in virtutem ire desiderantes sæpiùs scandalum patimur à pede quodam pusillanimitatis & negligentiæ nostræ, qui nimirum descendere magis ac remissiùs ire conatur.* Consilia adversus istiusmodi scandala sunt *Matth.* 5. v 29. 30. Porrò scandalum activum est scandalizare, passivum scandalizari. Scandalizat, qui dicit, facit, aut omittit aliquid, quo movere alium vult ad peccandum aut saltem potest. Scandalizatur, qui peccandi occasionem sumit, vel datam, vel visam dari, aut saltem læditur suo vitio.

SCARAMANGIS. Erat genus vestis apud Christianos orientales. Diaconus in Heraclio: *Loricam ipsius auro contextam, & scaramangin ipsius detulerunt cum capite ipsius.*

SCENOFACTORIA ARS. Est ars conficiendorum tabernaculorū in vulg. vers. *Act.* 18. 3.

SCENOPEGIA. Propriè est tabernaculi compactio. Per metonymiam est festivitas tabernaculorum apud Judæos, quæ *Levit.* 23. 34. dicitur σκηνῶν ἑορτή. Heb. חַג הַסֻּכּוֹת. Institutum fuit hoc festum, ut Israëlitæ meminissent, majores suos olim habitasse in σκηναῖς, per annos 40. cùm ex Ægypto exiissent. Vide *Levit.* 23. & *Nehem.* 8. Cæterum dicimus ἡ σκηνοπηγία & τὰ σκηνοπήγια.

שֵׁדִים. Sic Hebræi vocant dæmonia, è radice שוד sive שָׁדַד, *vastavit, perdidit*: unde Germ. Schade. Et sanè diabolus verè est ἐπιχαιρέκακος, ein Schadenfroh. A Rabbinis diversæ hujus appellationis rationes adferuntur. Alii eos sic dictos volunt, quòd aëris & aquæ dominio præsint, ventorumque sint & tempestatum concitatores: alii, quòd homines obsessos torqueant, & per Pythones responsa, hominibus noxia, dent: alii, quòd cædibus humanique sanguinis effusione delectentur: alii denique, quòd pervertant hominis intellectum. Quæ omnia, si excipias primam sententiam, egregiè in Spiritus illos immundos competunt.

SCHISMA & SCHISMATICUS. *Schisma* propriè est scissura: metaphoricè, animorum discidium: Synecdochicè, dissensio charitati Christianæ contraria, etsi maneat in fide concordia. Hinc *Augustinus libr.* 2. *contra Cresconium cap.* 3. ait: Hæresis est diversa sequentium secta: schisma verò eadem sequentium separatio. Et *Isidorus lib.* 8. *c.* 2. Schisma à scissura animorum nomen accepit. Eodem enim cultu, eodemque ritu credit, ut cæteri: solo congregationis delectatur dissidio. Itaque *schismaticus* est, qui schisma facit, vel sequitur, hoc est, qui ὁμοδοξίαν tuetur in fide, sed non ὁμόνοιαν in charitate. Unde *Papias* ait: Schismatici sunt, qui in causis fidei recta sentiunt, sed ex tota mente, cujuslibet contentionibus, pacis communione diruptâ, à fraterno consortio separantur. Quare schismatici non sunt, qui se separant & recedunt à communione episcoporum falsa pertinaciter docentium, & ab ecclesia amplectente & pertinaciter sectante fal-

ſam doctrinam & hæreſim: cum talis ſeparatio ſit mandata. Hinc *Ignatius epiſtola ad Philadelphenſes* eleganter ait: Fugite itaque ut filii lucis, & veritatis ſectionem unitatis, & pravæ doctrinæ hæreticorum, à quibus pollutio egreſſa eſt in omnem terram. Ubi verò paſtor eſt, eodem & vos, ut oves, ſequamini. Multi enim lupi velleribus tecti in Dei ſtadio currentes, pernicioſis voluptatibus illectos captivos comprehendunt. Verùm in veſtris concordibus animis, nullus dabitur illis locus. Abſtinete itaque vos ab herbis noxiis, quas Jeſus non excolit, ſed fera, humano gaudens ſangvine. Sic *Ius canonicum cauſa* 24. *queſt.* 1. *capitulo*, Quæ dignior, ſchiſmaticos non ſimpliciter ex quavis deſertione eccleſiæ definit: ſed ex deſertione, quæ fit propter aliam cauſam, quàm propter fidem. Nam ſi qua eccleſiā veram fidē deſeruit & reſpuit, idq; pertinaciter, illam deſerendam Jus canonicum cenſet.

SCHOLASTICI. Hoc nomine inſigniuntur doctores illi, qui res ſacras ad diſputationis incudem revocarunt, & methodo ſcholæ potiùs quàm eccleſiæ convenientem tractarunt. Quid de illis ſit ſentiendum, breviter indicabo.

I. PETRUS LOMBARDUS collegit ſententias theologorum, an. 1145. & Magiſter Sententiarum, & theologorum Scholaſticorum dici meruit. Compoſuit librum Sententiarum, Gloſſas Pſalmorum & Epiſtolarum. Liber ſententiarum eſt præcipuum ipſius opus, compilatum potiùs ex Patribus, quàm ex Scripturis ſacris. Quamvis autem Petrus Lombardus Magiſter appelletur: tamen diſcipuli ejus, Scholaſtici doctores, viri acuti, & docti, non omnia probant, quæ Magiſter docuit. Notantur enim articuli XXVI. in quibus Magiſter rejicitur, in additione ad Magiſtrum excuſa typis. Nec ſolùm opiniones ejus aliquando refellunt: ſed etiā non defuerunt, qui eum ad Alexandrum III. Pōtificem detulerunt, hæreſis nomine, quòd docuiſſet, Chriſtū, ut hominem, non eſſe aliquid. Quam ejus ſententiam damnatam fuiſſe in Concilio quodam Pariſienſi, jubente Alexandro Pontifice, teſtatur Matthæus Paris in hiſtoria Anglicana. Hæc totidem verbis mutuati ſumus ex *Bellarmino de ſcriptoribus eccleſiaſticis*. Huc accedit, quòd bonus ille Magiſter incidit in ſeculum infelix, quo theologia nimis quàm fuit deformata. Vide ſupra tit. PATRES reg. *6.* ſub finem.

II. PETRUS COMESTOR an. 1150. ſcripſit hiſtoriam ſacram 16. libris. Scripſit autem inſerens verbis ſacris multa ex Gloſſis, & ex profanis authoribus, & non rarò admiſcens incertas hiſtorias, ut ait *Bellarminus d. l.* Appellatur vulgo Magiſter hiſtoriæ Scholaſticæ.

III. GULIELMUS ANTISIODORENSIS epiſcopus an. 1240. Scripſit ſummā theologicam Scholaſtico more, in qua *lib.* 3. *tract.* 12. *c.* 1. *q.* 2. *& c.* 2. *q.* 1. fidē valde prædicat, & inter alia dicit, merita hominū juſtorum priùs & principaliùs à fide quàm à charitate dependere. Quam ob cauſam notatur à *Bellarmino tract. de ſcript. eccleſ.* his verbis: Quamvis ipſe fidem prędicet longè alio ſenſu, quàm Lutherani faciant: tamen ſententia ejus, hoc potiſſimùm tempore, vitanda eſſe videtur. Vide eundem. *Bellarm. lib.* 5. *de juſtific. cap.* 15.

IV. GULIELMUS PARISIENSIS anno 1240. condemnavit quoſdam articulos, qui habentur in additione ad libros Magiſtri ſententiarum.

V. ALE-

V. ALEXANDER HALENSIS, natione Anglus, ann. 1245. fuit præceptor Bonaventuræ & Thomæ Aquinatis. Scripsit Summam theologiæ & Postillam in tota Biblia.

VI. VINCENTIUS BELLOVACENSIS claruit an. 1250. Scripsit opera laboriosissima, ac præsertim quatuor specula, Doctrinale, Historiale, Naturale & Morale. Doctrinale speculum tractat de omnibus scientiis, à Grammatica usque ad theologiam. Historiale speculum tradit historias ab initio mundi usque ad annũ Domini 1244. Naturale speculũ tractat de rebus omnibus, herbis, avibus, locis, temporibus &c. Morale speculum tractat de passionibus animi, legibus, gratia, vitiis & virtutibus.

VII. ALBERTUS MAGNUS ann. 1265. Scripsit plurima opera philosophica & theologica. *Bellarminus libr. de scriptoribus eccles.* ita scribit: Inscribuntur libri duo, unus de mirabilibus, & alter de secretis mulierum, Magno Alberto. Sed uterque liber indignus est, qui tanto viro tribuatur. Nam superstitiosa quædam continent, & multa vana.

VIII. THOMAS AQUINAS natus est anno 1224. & obiit ann. 1274 Ejus opera septendecim tomis continentur. Hunc vulgo appellant angelicum doctorem. Sed nimium ipsi deferunt.

IX. BONAVENTURA claruit anno 1265. Opera ejus in octo tomos distribuuntur.

X. PETRUS DE TARANTASIA claruit anno 1265. Factus est Papa, nomine Innocentius V. Non defuerunt; qui plus quàm centum propositiones ejus reprehenderent: sed à Thoma Aquinate fuerunt defensæ.

XI. ÆGIDIUS ROMANUS an. 1290 acerrimè defendit Thomam.

XII. JOANNES DUNS Scotus obiit ann. 1308. Fuit primus & perpetuus Thomæ impugnator.

XIII. DURANDUS A SANCTO PORTIANO anno 1320. scripsit commentaria in quatuor libros Magistri sententiarum, in quibus sunt multa, quæ à communi Doctorum sententia abhorrent, quædam et ab ecclesia improbata sunt, ut ait Bellarminus. Sed revera huic Durando displicuit sophistica Thomæ.

XIV. GULIELMUS OCKAM, natione Anglus, an. 1320. strenuè egit causam Ludovici IV. Imperatoris: quam ob causam à Pontificiis reprehenditur. Nominatim Bellarminus hoc cramate ipsum ornat: Vir doctus, sed fautor Ludovici Imperatoris IV. nimis ardens, ob quam causam in aliquos errores lapsus meruit, ut in Indice librorum prohibitorum nomen ejus poneretur. Sic Bellarminus. Nimirum opus de potestate Pontificum & Imperatorum cum aliis contra Johannem XXII. Papam scriptis interdictum fuit.

Atque hi sunt præcipui Scholastici: qui si plenè enumerentur, in tres ætates dividuntur. Prima ætas, & veluti protasis theologiæ Scholasticæ est à Lanfranco usque ad Albertum Magnum, id est ab anno Christi 1050. ad ann. 1250. Hujus ætatis doctores invectas in ecclesiam opiniones, non divinarum Scripturarum testimoniis, sed Patrum sententiis malè detortis, & verbo Dei æquatis defendere conati sunt. Et primus ex iis *Lanfrancus*, nuper excogitatam transsubstantiationis doctrinam acerrimè propugnavit, cui se opposuit Berengarius. De secunda Scholasticorum ætate Trithemius ita

 scribit:

scribit: Hâc ætate philosophia secularis sacram theologiam sua curiositate inutili fœdare cœpit. Errores enim ritusque Pontificii jam non ex Patrum sententiis, ut in superiori ætate factum, sed ex Aristotele defendebantur. Hæc ætas incipit anno Christi 1250. ab Alberto Magno, & desinit an. 1320. in Durando: à quo ordimur tertiam Scholasticæ theologiæ ætatem, quæ fuit omnium pessima & deleteria. Modestia siquidem, quæ fuerat in mediâ Scholastica, ne temerè de quibusdam quæstionibus aliquid affirmaretur, fuit sublata, & portenta opinionum fuerunt defensa usque ad ann. Christi 1517. Meritò aliquis dubitet, debeatne illa secula καιρούς τερατολογίας, hoc est, tempora portentiloquiorum, an ἀγνοίας, hoc est, ignorantiæ, nominare.

Scriptura sacra. Sic vocamus verbum Dei à Prophetis, Evangelistis, & Apostolis, Spiritus sancti afflatu perscriptum. Itaque Scriptura sacra non differt à verbo Dei realiter, sed tantùm ratione: nimirum, quia verbum dicitur, ut enuntiatur; scriptura, ut scribitur. Unde & vox Dei, & verbum Dei, & sermo Dei, & scriptura pro eodem sumuntur. Hieronymus in præfat. pentateuchi: *Per Apostolorum os*, inquit, *mihi Christus sonat*. Gregorius in epist. *Quid est sacra Scriptura, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? in quâ verba Dei sonant, & cor Dei discitur.* Nemesius: ἡ τῶν θείων λογικῶν διδασκαλία τὸ πιστὸν ἀφ' ἑαυτῆς ἔχει, διὰ τὸ θεόπνευστον εἶναι, *Divinorum eloquiorum doctrina fidem ex se facit, quia est divinitùs inspirata.* Quod dixi de verbo Dei & Scriptura, idem de doctrina Apostolica & Scriptura sacra est tenendum, illa videl. realiter esse ταὐτό, & tantùm distingui externo accidente, nempe prædicatione, quæ fit voce; & scriptione, quę fit calamo. Nimirum scriptura omnis est symbolum & index verbi; verbum verò symbolum & index cogitationum & conceptuum mẽtis: & proinde Scriptura sacra est symbolum verbi Dei; verbum verò Dei est symbolũ voluntatis Dei. Quare per Scripturã sacram nõ oportet intelligere ipsos characteres externos, sed verbum iis characteribus significatum & comprehensum, ꝙ non tantùm facit *ad benè esse*, sed etiam ad *esse ecclesiæ*; ex quo nimirum Deo placuit voluntatem suam literis consignare & ecclesiæ commendare. Porrò variis nominibus appellatur Scriptura sacra: videl. *Scriptura Dei, & sancta; sacræ literæ, Scriptura* κατ' ἐξοχὴν, *scripturæ in plurali; verbum, sermo, eloquium, & oracula Dei; item lex, doctrina, testimonium, fœdus, & testamentum Dei. Exod.* 32. *v.* 15. *Rom* 1. *v.* 2. 2. *Tim.* 3. *v.* 15. *Iohan.* 10. *v.* 35. *c.* 5. *v.* 39. *Psal.* 19. & 119. *Esa.* 2. *vers.* 3. *Rom.* 3. *v.* 2. 2. *Cor.* 3. *v.* 14. 2. *Pet.* 3. *vers.* 16. ubi singulariter notandum est, nullum esse versum Psalmo 119. præter unum 122. qui non habeat, si nõ plures, saltem unam ex his decem vocibus: עדות: משפטים: תורה: דבר: צדק: דרך: חקים: מצות: פקודים: אמרה: Quibus elogiis insignitur & cõmendatur verbum Dei. Sed redeamus ad vocabula. Divina historia, inquit, *Possevinus lib.* 2. *biblioth. select. ca.* 1. dicitur *Scriptura sacra*, quòd scribæ velociter scribentis, & eorum, qui sacras literas conscripserunt, animos & manus dirigentis liber hic est, cœlestiũ plenissimus mysteriorum. Quẽ ideo *divinum codicem* sæpe Augustinus; cęteri verò *Biblia*, hoc est, libros nominant; quoniam nõ solùm omnibus aliis libris, verùm etiam cunctis, quæ unquam fuerunt

runt bibliothecis, maximè præstant. Certè *omnipotentis Dei & Imperatoris cœli epistolas* dixit Gregorius M. libr. 4. epist. 84. ad Theodorum medicum: qui cùm Theodoro gratias ageret de pecuniâ pauperib' transmissa, eum diligentissimè hortatur ad legendas sacras literas. *Sed quia*, inquit, *ille plus diligit, qui plus præsumit; erga dulcissimam mētem gloriosissimi filii mei Theodori habeo aliquam querelam, quia donum ingenii, donum rerum, donum misericordiæ atque charitatis à S. Trinitate percepit: sed tamen secularibus indesinenter causis adstringitur, assiduis processionib. occupatur, & quotidie legere negligit verba redemtoris sui. Quid est autem Scriptura sacra, nisi quædā epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et certè sicubi esset gloria vestra alibi constituta, & scripta terreni jam Imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, non oculis somnum daret, nisi priùs quid sibi terrenus Imperator scripsisset agnovisset. Imperator cœli, Dominus hominū & angelorū, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, & tamen, gloriose fili, easdē epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo quæso, & quotidiè creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentiùs ad æterna suspires, ut mens vestra ad cœlestia regna majoribus desideriis accendatur. Tantò n. tunc major erit ei requies, quantò modò ab amore conditoris sui requies nulla fuerit. Sed ad hæc agenda infundat nobis omnipotens Deus consolatorem spiritum.* Testamentum vetus & novum: quòd testatoris volūtatem ac dispositionem contineat. Nam & propterea Græcè habetur διαθήκη, cujus in vetere ꝓmissio erat terræ manantis lac & mel, eaq; brutorum sanguine sanciebatur: in novo autem hæreditatis æternæ, ꝙ & jurejurādo, & Filii ipsius Dei sanguine confirmatum est. *Et mox*: Pactum autem, & fœdus, & chirographum idem sunt cum testamento. Ubicunq; n. in Græco textu vox hæc, Testamentum, est, ibi, ait Hieronymus, habetur Hebraicè *Berith*, ꝙ dicitur à verbo *Barar*, mundavit: quodq; designat fœdus inter viventes liquidò ac præcisè transactū. In quo nimirum conditiones utrinq; constent: Dei quidem promissa nobis vita felicitasq; supnaturalis, nostri autem ad superhumana oblatio fidei, atque operū, q̄ digna sint filiis Dei: ꝙ quoniam ipsi præstare non possumus viribus solis humanis, fit eadē ipsâ gratia, qua vocamur ad divinū consortiū, adspirante, agente, perficiente, ut credamus, speremꝰ, diligamus, Deo vivamus, atq; hac viva fide recti ad æterna illa bona suspirantes, his caducis contemtis, adversa feramus patiēter, nulla re divinę amicitiæ prępositâ. Hæc v. omnia, quoniam certa stipulatione sancita sunt, Scriptura sacra quasi *chirographum*, ac *tabula Dei* ab Augustino etiam dicta sunt. *Quoniam enim*, ait, *generatio labitur, generatio venit, & celeri cursu currūt tempora; voluit Deus Scripturam sacram manere veluti tabulas quasdam, & quoddam Dei chirographum, quod omnes transeuntes legerēt, viam, quâ ad Dei promissa venitur, tenerent. Lex* item & *Evangeliū*: illa, quoniam præcipit; hoc, quia felicissimo nuntio declaravit, & perfecit. *Paulò pòst*: *Theologia positiva*. In divinis enim literis materia & ratio est, quâ theologi possimus effici. *Et mox*: Positiva: quòd legibus ratiocinationum, definitionū, ac divisionū haud coarctetur, nec in eam tradendā cadat omnino ea disceptandi ratio, q̄ Scholasticæ penitior adhibetur. Ac quidē, quæ Græcis est thesis, hæc Latinis positio est; quæ cùm sententiam ratā, stabilem, firmam designet, in divina Scriptura præcipuū habet locū, quæ est universæ theologiæ Scholasticæ basis

basis & fundamentum. *Iterum*: Neque verò solùm quòd divina divinitùs tractentur in Scriptura sacra, verùm etiam quòd hæc ex ore Altissimi prodiit, dicta est *Verbum Dei. Et paulò pòst*: Porrò Dei verbum, cùm non humana investigatione, sed revelatione, vel inspiratione divina cognitum sit, apposité ita dictum est, quòd præter alia notitiam nobis Jesu Christi, qui est Verbum Dei, suppeditat, ex quâ ut origine manat firmitas & intellectio totius Scripturæ: quippe is factus nobis est Sapientia à Deo; & in ipso sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ absconditi: qui solus verus est doctor: *qui*, ait Augustinus, *potest speciem imprimere, ac lumen infundere, atque virtutem dare cordis audientis, cathedram habens in cœlo, & intus corda docens Filius Dei & Ars Patris*. Et hæc quidem placuit transcribere ex Possevino, doctore Pontificio, ut hoc Scripturæ encomium opponi possit aliis Papistis, quibus Scriptura sordet. Summa encomii Possevi niani huc redit: Historia divina appellatur Scriptura sacra, Biblia, Epistola Dei omnipotentis, Testamentum, Pactum, Fœdus, Chirographum, Lex, Evangelium, Theologia positiva, Verbum Dei. Cæterùm partitio librorum S. Scripturæ multiplex occurrit apud *Sixtum Senensem initio lib. 1. bibliothecæ sanctæ*. Nam Hebræi dividunt in libros 22. juxta numerum literarũ alphabeti sui: Servator, in legem, Prophetas, & Psalmos: Damascenus, in Legalem, Hagiographa, Carmineam, Propheticam, & præter hæc, Binarium unum: Gregorius Nazianzenus, in libros propheticos & historicos: antiqui Hebræi, in Legalia, Prophetica, & Hagiographa: prisci Latini, in Legalem, Prophetiam, Hagiographam: recentiores Judæi, in Legem, Prophetas priores, Prophetas posteriores, & in Scripturas, hoc est, sancta scripta: recentiores Latini, in Legalem, Paræneticam, Propheticam: Augustinus, in historiam continuam, & discretam, seu promiscuam, & in Prophetas: Michael Medina, in quatuor ordines sive acies, Legem, Prophetas, Hagiographa, libros ecclesiasticos: Petrus Aureolus in Politica, Chronica, Poëtica, Hymnidica, Dialectica, Oratoria seu Prophetica, Ethica sive Moralia. Quæ partitiones omnes facilè possunt conciliari.

Scribæ. Apud Judæos erant, qui legem populo legebant, in templo & in synagogis, ac, si opus esset, interpretabantur. Propterea in Evangeliis νομικοὶ, hoc est, legisperiti, & νομοδιδάσκαλοι, hoc est, legis doctores appellantur. Ab ipso Mose quidam putant institutos: alii à Davide. In ipsa captivitate durasse Scribarum ordinem, argumento est magnus ille Scriba Esdra. Cæterùm è corpore Scribarum fuerunt, qui sequerentur Pharisæos, qui Sadducæos, qui Essenos. Errant itaque, qui docent, Scribas fuisse alteram partem sectæ Pharisaicæ.

Seculum. Hebræis appellatur עוֹלָם: per quam vocem non solùm temporis, sed etiam locorum universalitas, hoc est, æternitas, & orbis universus indicatur. e. g. justitia seculorum *Dan. 9. 24.* significat justitiam æternam & universalem. Ita *Psal.* 110. Christus appellatur כֹּהֵן לְעוֹלָם *sacerdos æternus*, id est, perpetuus & universalis, omnium temporum, & locorum. Huc refer illud Esaiæ *c.* 55. ubi sub persona Messiæ dicit: *Et percutiam vobiscum* בְּרִית עוֹלָם *fœdus universale*. Confer *Esa.* 61. 8.

Secularis. Propriè est ad seculum perti-

pertinens: tum idem, quod mundanus, ad hujus vitę usum pertinens. Sic 1.*Cor.*6.3. τὰ βιωτικὰ redditur secularia. Et hoc modo accipitur bonam vel malā in partem. In bonam: ut secularia judicia, quæ pertinent ad res temporarias 1.*Cor.* 6. In malam: ut secularia desideria, quæ pertinent ad ambitionem, avaritiam, voluptates. *Tit.*2.12. Sic dicuntur artes seculares, i.e. mundanæ, distinctæ à sacris: *seculare brachium*, potestas mundana politici magistratus, qua externè cogit: opposita ecclesiasticæ & spirituali.

Secularia tempora. Sunt tempora mundana, sive duratio rerum creatarum. 2.*Tim.*1.9. *Tit.*1.2. ubi ante tempora secularia est idem, quod ab æterno, ut eleganter explicat Liranus. In Concord. Lat. vulg. vers. ita explicatur: *Secularia tempora, temporum series.*

Secularia desideria. Sunt mundanæ cupiditates, quæ terminantur finibus hujus seculi. *Tit.*2.12.

Seculum. Est 1. tempus longum *Exod.* 21.6. 2. æternitas, sive, ut vulgo loquuntur, tempus perpetuum. *Psalm.*9.6 *&* 10.16. *Dan.*2.20. 3. hic mundus *Matth.* 13.*v.* 39.40.49. *&* 24.3 *&* 28.10. 1.*Cor.*2.8. *Heb.* 1.2. *&* 11.3. 4. vita præsens. *Ps.*73.12. *Matt.* 12.32. 5. corruptio cordis & morum, ad quam se componunt & accommodant homines præsenti vitæ addicti, & futuræ contemtores. *Luc.*16.8. *Rom.*12.2. 2.*Cor.*4.4. *&* 7.10. *Gal.*1.4. *Eph.*2.2. *Iac.*1.27. *&* 4.4. 6. regnum cœleste futurum. *Marc.* 10.30. *Luc.*18.30. *&* 20.35. *Hebr.*6.5.

Secundùm opera & propter opera. Differunt hæc duo plurimùm. Nam *secundùm opera* idem est, quod prout testantur opera, qualis homo sit, nempe credens, seu vera fide in Christum præditus. Nimirum solis credentibus vita æterna est promissa: bona autem opera sunt τεκμήρια fidei. Ita ergo ex qualitate operum intelligitur qualis sit homo. *Propter opera* autem est idem, quod pro meritis operum, sic ut opera sint causa meritoria, propter quam vita æterna homini debeatur. Hâc de re insignis est locus apud *Gregorium Magnum in explanatione Psalmi* 6. Si illa sanctorum felicitas misericordia est, & non meritis acquiritur, ubi erit, quod scriptum est: Et tu reddes unicuique secundùm opera sua? Si secundùm opera redditur, quomodo misericordia æstimabitur? Sed aliud est secundùm opera reddere, & aliud propter ipsa opera reddere. In eo enim quòd secundùm opera dicitur, ipsa operum qualitas intelligitur, ut cujus apparuerint bona opera, ejus sit & retributio gloriosa. Illi namque beatæ vitæ, in quâ cum Deo & de Deo vivitur, nullus potest æquari labor, nulla opera comparari. *Basilius Magnus in Psalmos septendecim, homiliâ* 2. docet, Scripturæ consuetudinem esse, ut ἀνταπόδοσιν dicat pro δόσει, id est, retributionem pro datione seu dono, & ἀνταποδοῦναι pro δοῦναι, retribuere pro dare. *Augustinus tom.* 8. *enarratione Psalmi* 102. docet, Deum nobis retribuere, non quæ debet, sed quæ non debet, nempe bona pro malis, & inter alia dicit: Retribuit ergo mihi ille verè solus, qui solus donat. q.d. retribuere idem est quod donare. Ibidē: Retributio est, cùm peccator & impius vocatus es, ut justificeris. *Ibidem.* Coronat te, quia sua dona coronat, non tua merita. *Ibidem.* Quòd coronaris, illius misericordia coronaris. *Idem enarrat. Psalm.*118. In profundo malignitatis reddebant ipsi (*Christo.*) mala pro bonis: ille in summo

mo benignitatis reddebat bona pro malis.

SECURITAS. Duplex est securitas, spiritualis & carnalis. Hæc est noxia, illa utilis & necessaria omnibus credentibus: quippe quæ nihil est aliud quàm πληροφορία, seu confidentia de perseverantia in fide Christi usq; ad finem. De hac passim loquuntur Patres: ut *Tertullianus lib. de resurrect. carnis cap.* 51. Quemadmodum enim nobis arrhabonem spiritus reliquit, ita & à nobis arrhabonem carnis accepit, & vexit in cœlum, pignus totius summæ illuc quandoque redigendæ. Securæ estote caro & sanguis, usurpastis & cœlum & regnum Dei in Christo. *Minutius Felix in dialogo, qui Octavius inscribitur*: Christiani sunt securi spe futuræ felicitatis. *Ambrosius super Rom.* 8. Sic securos nos debere esse fidei causa hortatur, ut Deum, antequam ex impiis fideles essemus, Filium suum pro nobis morti tradidisse ostendat. *Ibidem*: Confidentia hęc de sponsione Christi est, qua promisit in tribulatione adjuvare sibi dicatam fidem. *Idem in enarrat. Psalm.* 39. Gravis populus est, qui fidem Deo suo servat, & qui non aliqua levitate mutetur, neq; nutet, neque fluctuet, sed charitate sit fundatus in Christo, ut possit dicere, Confido enim, quia neque mors, neq; gladius, neq; tribulatio separare me possit à charitate Dei, quæ est in Jesu Christo. *Idem super Rom.* 4. Promti sint circa fidem: securi, quia cui credũt, vivificat mortuos. *Et paulò pòst*: Hortatur gentes ad hanc fidei firmitatem, ut Dei promissionem & gratiam sine aliqua ambiguitate suscipiant, securi exemplo Abrahæ. *Augustinus tom.* 10 *serm.* 5. *de verbis Apostoli*: Securus efficeris nõ de te, sed de Domino tuo, securus efficeris de pignore tuo. *Idem to.* 9. *de symbolo ad Catechemenos*: Secura sint mẽbra de tanto capite, fideliterq; sperent ad ipsum se posse pervenire. *Idem to.* 10. *serm.* 28. *de verbis Domini*: Præsume non de operatione tua, sed de Christi gratia. Gratiâ enim salvati estis, ait Apostolus. Non ergò hîc arrogantia est, sed fides: prædicare quid acceperis, non est superbia, sed devotio. *Et mox*: Bona præsumtio, sed moderata.

SEDERE IN CATHEDRA MOSIS. *Augustinus lib.* 4. *doctr. Christ. c.* 27. *& lib.* 16. *contra Faustum c.* 29. scribit, cathedrę Mosis eã fuisse vim inditam, ut in illa sedentes cogeret vera dicere. Sed hæc expositio non est probanda, ut etiam *Maldonatus*, Jesuita Hispanus, *super Matth.* 23. scribit: ubi mentem verborum Domini his verbis explicat: Ergo cùm jubet servare ac facere, quę Scribæ & Pharisæi dum in cathedrâ Mosis sedent, dicunt: non de ipsorum, sed de legis ac Mosis doctrinâ loquitur. Perinde enim est ac si dicat: Omnia q̃ lex & Moses vobis dixerunt, Scribis & Pharisæis recitantibus, servate ac facite: secundùm aũt opera illorum nolite facere: ut Hilarius & Hieronymus videntur intellexisse. Sic Maldonatus: & quidem rectè. *Theophylactus* similiter, sedere in cathedrâ Mosis *exponit*, ea docere quæ præcepta sint in legę Mosis. Ex his itaq; verbis nulla infallibilitas, sive ἀναμαρτησία, in fide, quæ prælatis tributa sit peculiari privilegio, potest elici.

SEDES APOSTOLICA. Vide APOSTOLUS.

SEDUCO. Seductio est 1. moralis, vel spiritualis. 2. universalis, vel particularis. 3. ex infirmitate, vel proæresi profecta. 4. totalis, vel partialis. 5. finalis, vel ad tempus. Quod attinet ad electos Dei filios, illi

illi neque universaliter, neque totaliter, neq; finaliter seduci possunt. Nam ipsorum nomina scripta sunt in cœlo: & Deus manum illis supponit, ut, si quando cadant, non excidant. Vehementer itaque hallucinantur, qui defendunt apostasiam Sanctorum.

Selah. Hæc vox legitur in psalmis & cantico Habbacuci. Targum *Psalm.* 3.2. (ubi hæc vox primùm occurrit.) vertit לְעָלְמִין *in secula*. Sic Aben Ezra interpretatur per לָנֶצַח *in perpetuum*. Et Hieronymus vertit *semper*. Hinc est, quòd Stapulensis existimat, Selah Hebræis simile aliquid ei esse, quod in ecclesiasticis antiphonis est signatura tonorũ finaliũ sub vocalibus EUOAE, id est SEcUlOrum AmEn. Aliis videtur idem esse atque, *Sic se habet, sic est rei veritas*. Alii volunt, quòd ea vocula nihil significet, sed tantùm dirigat accentum musicum, & sit supplementum melodiæ: ut cantorem moneat de certa quadã ratione canendi, qua melodia attollatur. Hieronymus in Psal. 4. *Verbum* Selah LXX. *Interpretes, Symmachus & Theodotio* diapsalma *transtulerunt: Aquila verò* Semper. *Et puto, aut Musici cujusdam soni esse signaculum, aut certè perpetuitatem eorum, quæ prædicta sunt, indicari: ut, ubicunque* Selah, hoc est, diapsalma, *sive* semper, *apponitur, ibi sciamus, non tantùm ad præsens tempus, verùm ad æternum, vel quæ sequuntur, vel quæ præcesserunt, pertinere*. Idem in Habac. 3. *Hoc quod* LXX. *transtulerunt* diapsalma, *& nos posuimus* semper, *Symmachus interpretatur* εἰς τὸν αἰῶνα, *id est, in æternum*: *Theodotio* εἰς τέλος, *id est, in finem: quinta editio ipsum Hebraicum* Selah. Idem epist. ad Marcell. *Quidam diapsalma commutationem metri esse dixerunt: alii pausationem spiritûs: nonnulli alterius sensus exordium. Sunt qui rhythmi distinctionem, & quia psalmi tunc temporis junctâ voce ad organum canebantur, cujusdam musicæ varietatis existiment silentium. Nobis nihil horum videtur*. Et mox: *Ex quo animadvertimus, hoc verbum superiora pariter inferioraque connectere, aut certè docere sempiterna esse, quæ dicta sunt*. Et paulò post: *Igitur, ut nos solemus completis opusculis ad distinctionem rei alterius sequentis, medium interponere* Explicit, *aut* Feliciter, *aut aliquid istiusmodi: ita & Hebræi, ut, quæ scripta sunt, roborentur, facere solent: ut dicant* Amen, *aut* In sempiternum: *aut scribenda commemorant, ut ponant* Selah, *aut transacta feliciter protestantur, pacem in ultimo subnotantes*. Porrò Tremellius & Junius putant vertendam esse vocem Selah pro exigentia loci per *planè, maximè, summè, vehementissimè, potentissimè, excellenter*; seu, ut Paulus loquitur, καθ' ὑπερβολήν. Denique sunt, qui putant esse signum epiphonematis, ac si dicatur NB, seu

Sensibus hoc imis (. res est non parva.) reponas.

De voce *diapsalma* obiter notetur illud Augustini in Psalm. 4. *Psalma est quod psallitur: diapsalma verò interpositum in psallendo silentium: ut quemadmodum sympsalma dicitur vocum copulatio in cantando, ita diapsalma disiunctio eorum, ubi quædam requies distincta continuationis ostenditur.*

Semen. 1. Semen mulieris est Jesus Christus: filius nempe virginis. *Genes.* 3. 15. 2. Semen cœleste est verbum Dei. *Luc.* 8. 11 3. Semen Dei est vis illa vivifica, siue δύναμις πλαστική, quæ in cordibus electorum viget per gratiam Spiritus sancti. *Malach.* 2. 15. 1. *Ioh.* 3. 9. 4. Ecclesia dicitur semen Christi, *Esa.* 53. 10. 5. Semen ecclesiæ sunt homines vera fide

prædici. *Apoc.*12.17.6. Semen diaboli sunt homines impii *Gen*,3,15.

SEMICINCTIA. Occurrit apud vet. interpr. *Act.*19.12. quæ vox retenta est ex archetypo Græco.

SEMPITERNUM. Est 1. temporis cursus & duratio usque ad finem mundi. 2. temporis cursus, duratio & intervallum, à sacramento, ritu & typo legali divinitùs instituto usque ad plenam Christi Servatoris per Evangelium manifestationem. 3. æternitas. De prima significatione vide *Gen.*9.12. de secunda *Genes.*48.4. de tertia *Gen.*17.19. *Hebr.*7.24. Quanquam locus *Gen.*17. etiam potest referri ad secundam significationem.

SEM. Fuit filius Noë primogenitus, cuj⁹ posteritas duas priores monarchias, Babylonicam & Persicam in Asia possedit. Hic putatur fuisse Jupiter q. d. Jehupiter sive Jehovæ pater, propter promissionem nempe de Christo ex ipsius semine nascituro. Huic in hæreditatis divisione cœlum, id est, jura ecclesiæ populique Dei obvenerunt. Conjectura ista confirmatur per obliquos casus *Iovis*, *Iovi* &c. qui non ab alio, quàm Jehovæ vocabulo descendunt.

SENSATUS. Est sensu valens, prudens, intelligens. Occurrit 2. *Chron.*2.12. & sæpiùs in Siracide, apud vulg. interp. Ita *sensatè Syrach.*13.27. In prosâ Pentecostes, Spiritus sanctus appellatur *Amator sanctè sensatorum semper cogitatuum.* Ubi sensati cogitatus sunt agitationes mentis castæ, & motus animi cum divino verbo congruentes.

SEPTEM. Hic numerus appellatur perfectionis, non una de causa. Et primò quidem Deus post creationē rerum sanctificando diem septimum, illum aliis perfectiorem effecit. Deinde universum hoc seculum constat septem dierum revolutione. Tertiò Deus peculiariter hūc numerum selegit in variis festis. Denique videtur hic ipse numerus occultam aliquam in se vim habere. Porrò, ut alii numeri, ita & hic sæpenumero usurpatur indefinitè; ut numerus definitus pro indefinito positus esse intelligatur.

SEPTEM DONA SPIRITUS SANCTI. Ex *Esa.*11. veteres elicuerunt septenarium donorum Spiritus sancti: videl sapientiæ, intellectus, consilii, fortitudinis, scientiæ, pietatis, & timoris Domini. Alii pro pietate substituunt precationem ex *Zach.*11. Pertinet huc illud ex hymno Ambrosii,

Tu septiformis munere.

Tu, scil. Paraclete,

——— *ab utroque Deus, Deus unus, & unus*
Spiritus unigeno qui concelebraris honore.

ut canit Scaliger: & ut Victorius,

——— *Semper enim Deus unus, apud quem*
Vivebat genitus Verbum Deus, & simul almus
Spiritus, arcani vitalis summa vigoris.

Porrò de septem donis Spiritus sancti sic legitur in hymno, qui olim cani solebat in die Mariæ Magdalenæ:

Lauda mater Ecclesia,
Lauda Christi clementiam,
Qui septem purgat vitia
Per septiformem gratiam.

Septem ista vitia Sedulius eleganter ait esse:

Dæmonico cuneata globo ———

In prosâ Roberti regis Franciæ, *Veni sancte Spiritus*; de septem donis Spiritus sancti ita legimus:

Da tuis fidelibus,
In te confidentibus
Sacrum septenarium.

Ubi

Ubi Siberius ita annotat: Septenarius & denarius magni numeri in divinis voluminibus. Intelligit omnia dona & Spiritus sancti officia. *Victorius in prosâ sic ait:*

Simplex in essentia,
Septiformis gratia
Nos reformet Spiritus.

Ibi Siberius rursus sic annotat: Septiformis, i.e. multiplex in donis.

SEPTENTRIO. Hunc Hebræi vocant צפון i.e. obscurum. Ratio adfertur gemina. 1. quòd Soli multo tempore non sit exposita hæc pars. 2. quòd olim non fuerit exculta. At hodiè per Dei gratiam toti orbi prælucet.

SEPTIMANALIA. Sunt festum hebdomadarum, quo offerebantur panes, de quibus Victorius in prosâ:

Panes legis primitivi
Sub unâ sunt adoptivi
Fide duo populi.

SEPTIMANA MAGNA. Sic dicitur illa, quæ pascha antecedit, ob varios pietatis ritus, qui ad meditationem passionis Christi pertinent. *Euseb. hist. eccles. l. 2. c. 17. Chrysost. homil. 30. in Genes. Balsamo ad epistolam Dionysii Alexandrini.* Septimana post pascha dicitur Græcis διακαινήσιμος. q. renovatoria; quia celebrabatur ut triumphalis resurrectionis Christi, per quam confirmatur nostri renovatio ad vitam æternam. Eadē etiam ἑβδομὰς τȣ̃ Θωμᾶ.

SEPTICOLLIS. Ita dicitur Roma, quia est septimons, ἑπτάλοφος. Sed & Constantinopolis, nova illa Roma, est septicollis. Unde Bellon. observ. l. 1. c. 76. de Constantinopoli: *Septem montes murorum ambitu non minùs claudit atque vetus Roma.* Verùm montes, quos Roma complectitur, sunt omnium celebratissimi: ut meritò ipsa sola appelletur septicollis. Unde Propert.

Septem urbs alta jugis, toti quæ præsidet orbi.

SEPULTURA. Sepulturæ veterum erant extra civitates, ut in agris *Gen.* 23. 4. *Luc.* 7. 12. item ubi casus ferebat *Genes.* 48. 7. 1. *Sam.* 31. denique in hortis: ut Christus est sepultus in horto & monumento divitis Senatoris.

SEQUENS ISRAELITAS PETRA. Hac phrasi intelligitur Christus, qui nube, petra, manna, &c. fuit figuratus. Hæc petra dicitur sequuta Israelitas. 1. *Cor.* 10. 4. ubi τὸ ἀκολȣθεῖν non solùm est sequi præeuntem, sed simul iter facere, sive præeas, sive sequaris, sive te comitem ad latus euntis adjunxeris. Est enim ab α i.e. ὁμȣ̃, & κέλευθος, *via.*

SEPTUAGESIMA. Græcè ἡ ἑβδομηκοστή. Sic appellatur Dominica, qua veteres disciplinam ecclesiæ severiorem inchoabant: & nominatim jejunium. Qua de re est in hymno:

Dies absoluti prætereunt,
Dies observabiles redeunt.
Tempus adest sobrium,
Quæramus puro corde Deum.

Cæterùm hæc Dominica dicitur *Septuagesima*, quia ab ea usque ad pascha sunt dies LXX. quos volunt repræsentare LXX. annos captivitatis Babylonicæ. Eo tempore intermittitur Alleluja. Porrò *Sexagesima* est Dominica post Septuagesimā, habens LX. dies. Sic *Quinquagesima*, *Quadragesima* &c.

SERVUS SERVORUM. Gregorius Magnus, Papa, episcopi universalis sive œcumenici titulum aversatus, servum sese servorum Dei appellavit. Ego, *inquit in epistolis,* fidenter dico, quòd, quisquis se universa-

versalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrat: quia superbiendo sese cæteris præponit. Cæterùm *servus servorum* phrasi Hebraica dicitur servus omnium infimus atque minimus, & omnibus inserviens: sicut è contrario *dominus dominorum*, sive *dominantium*, dicitur, qui est dominus omnium maximus & supremus.

Servile opus. Sic *Levit.* 23.*v.*7.8. *Num.* 28.18. dicitur omne opus corporalis laboris, quo quæruntur τὰ βιωτικά; maximè si sabbati sanctificatio impedit.

Seraphim. Sunt angeli, qui igniti apparere solebant, ut hoc symbolo significaretur, partim puritas naturæ angelicæ, partim ipsorum officium, quod in eo vertitur, ut sint muri ignei pro populo Dei & incendiarii hostium Dei & ecclesiæ. Cyrillo Seraphim ἐμπρησταὶ ἢ θερμαίνοντες. Fabricius in Lexico ait: *Seraphim, amoris divini igne accensi.* Sed simplicissimum est, angelos ex specie assumta, in qua apparent, & ex actionibus legativis, istud nomen accepisse: veruntamen ita, ut symbolũ naturæ & officii insinuetur.

Serpens vectis. Sic *Esa.* 27.1. appellatur Leviathan seu balæna: quòd sit oblongus. Confer *Iob.* 26.13. Est autẽ apud Esaiam allegoria hoc modo: Serpens seu balæna est hostis; qui est *oblongus*, i.e. valens magna vi; & *tortuosus*, i.e. valẽs fraude.

Serpens Antiquus. Est diabolus *Apoc.* 12.7. Ille est *serpens* ob astum & venenum mendacii & antiquitatis: *antiquus*, quia ab initio homicida. Ab initio, inquam, ἀποστασίας, *defectionis*, non πρωτοκτισίας, *creationis.* Joh. 8.44.

Sesach. Propriè est festum quoddam Babylonicum: vel ut alii volunt, & dea quietis, & festum quietis seu voluptatis: à שׁך, *quiescere.* Deinde Sesach est ipsa Babylon, non simpliciter, sed ἑορτάζουσα, *festum celebrans.* Jer. 25.26. & 51.41. Dicitur etiam *Scheschac, Sac, & Sesac.*

Sessio. Est ipse actus sedendi. Occurrit in vulg. vers. 1. *Sam.* 20.18. *Esth.* 5.9. *Psal.* 139.2. *Thren.* 3.63. 4. *Esdr.* 2.23.

Sexagesima. Erat minima ex decimis Judæorum. Judæi ad duas decimas tenebantur lege. De prima est *Num.* 18. *v.* 21.25. quæ præstabatur Levitis ad eorum alimoniam: ipsi autem Levitæ hujus decimæ decimam præstabant sacerdotibus. De altera est *Deut.* 13.23. & *Levit.* 27.*v.*30.31. Præter has, & alias voluntarias habebant: ubi hic mos servabatur; ut qui minimum donum darent, minus sexagesima parte justæ æstimationis frugum suarum non darent: qui autem liberaliter agere volebant, quadragesimam penderent; qui neque liberali animo, neque sordido erant insignes, intra hos terminos consistentes, aut ad hos aut ad illos, prout erant affecti, accedebant. Primorum oblatio dicebatur, *theruma oculi boni*; secundorum, *theruma oculi mali*; postremorum, *theruma mediana.* Deinde *Sexagesima* in ecclesia Latina dicitur Dominica post Septuagesimam. Vide paulò ante *Septuagesima.*

Siccum. Est 1. terra, arida. *Exod.* 14. *v.* 16.21.*c.*22.29. 2. *Reg.* 2.8 *Neh.* 9.11. 2. desertum. *Psal.* 105.41. *Esa.* 50.2.

Siclus. Est nummus & pondus. Erat autem siclus apud Hebræos, Chaldæos, Syros, Ægyptios, Persas. Hinc siclus distinguitur in Hebraicum & Gentilem, hoc modo:

Siclus

- Siclus
  - *Hebraicus*
    - *Sacer*, sive sanctuarii: semuncia argenti, seu dimidius thal. Imper.
    - *Communis*, seu vulgaris, profanus, laicus, civilis, politicus, provincialis, regius: erat subduplus ad sacrum, nimirum quarta pars thaleri Imperialis.
  - *Gentilis*
    - *Ægyptius*
      - Argenteus 10. obol. Attic.
      - Aureus 8. obol.
    - *Persicus*; dimidio minor Ægyptio.

Servator noster venditus fuit xxx. siclis sacris, id est, 15. thaleris, quæ est mina argenti. *Euseb. lib.* 10. *demonstr.* Porrò siclus etiam fuit pondus in auro, argento, ære, & ferro.

SIGAION. Est genus carminis. Radix est שָׁגָה *errare, oblectari.* AbenEzra exponit delicium: alii errorem & ignorantiæ confessionem: alii oden variam, erraticam, seu ποικιλῳδίαν: alii oden mixtam, quòd omnibus rationibus musicæ caneretur, junctis symphoniis gravibus & acutis: alii denique cantionem ad varios & instabiles modos sive tonos factam, quæ usurpata fuerit in magnis animi perturbationibus & angustiis, ubi uni sermoni non insistitur, sed ab alio ad alium transcurritur.

SIGILLA. Hæc vox in Apocalypsi significat pœnas certò venturas, ut quæ à Deo firmiter decretæ & ceu sigillo ipsius obsignatæ sunt: non aliter nempe, quàm ut iratus pater filio inobedienti confirmat, se pœnas de eo, ni emendetur, certissimè sumturum. Sigillorum istorum apertio, est executio decreti, quod Deus intra sapientiæ & justitiæ suæ inaccessu penetralia contra mundi ingratitudinem tulit. Sigilla hæc continent historiam ecclesię inde à tempore scriptę Apocalypsis usquę ad annum Christi 606.

SIGILLUM. Hæc vox *Apoc.* 7.2. habet notam hieroglyphicam singularis illius Dei curæ & solicitudinis circa electos, qua illos in mediis pœnis & scandalis à reliqua mundi fæce discernit. *Deinde* electorum periculũ perdendorumq́; metus per idem indicatur: quem metum hæc sigilli appressio sub bestiæ antichristianæ fucata impostura majorem arguit, quàm sub ethnicorum persecutione. Nam ibi nihil tale adhibitum legimus. Cujus rei hæc proculdubio causa fuit. Sub gentilium persecutione Christianismus à Paganismo facilè discernebatur. At verò in regno Antichristi veros Christianos Christiani larvati persequuntur, ubi confusionis longè majus futurum est periculum. Ideo Christus, tanquam pastor bonus, eos signat, ut oves genuinas à personatis discernat. *Denique* sigillum hoc documento est, cœtum hunc nullo carnali charactere conspicuum fore, qui scilicet in oculos incurrat, ut ecclesia citiùs inveniri & faciliùs agnosci queat, quàm Scriptura, ut Bestiæ propugnatores contendunt.

SIGNUM

SIGNUM CRUCIS. De hoc Tertullianus eleganter ait: Cruce, non materia, sed forma, quæ est ipsum Dei corpus, tutemur claustra pectoris: quæ posteriora verba sumsimus ex hymno, *Iam ter quaternis trahitur, Horis dies ad vesperam.* Augustinus ait: *Signum crucis à nobis expellit exterminatorem, si tamen cor nostrum Christum habeat inhabitatorem.* Hic enim est, qui crucem consecravit: &, ut canit Sedulius,

—— —— pœnam vestivit honore,
Suppliciumq; dedit signum magis esse salutis:
Ipsaq; sanctificans in se tormenta beavit.

Hîc tenenda est regula, plerosque veterum metonymicè seu metalepticè loqui de cruce: ut in hymno Venantii Fortunati,

Vexilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysterium.

Et in alio:

O crux ave. spes unica
Hoc passionis tempore:
Auge piis justitiam,
Reisq; dona veniam.
Te summa Deus Trinitas
Collaudet omnis Spiritus:
Quos per crucis mysterium
Salvas, rege nos per secula.

Rursus in alio hymno Venantii Fortunati:

Pange lingva gloriosi
Prælium certaminis,
Et super crucis trophæo
Dic triumphum nobilem.

Hîc passio Christi eleganter appellatur certamen gloriosum: quo nempe sapientia malitiam, veritas astutiam, humilitas superbiam, inobedientia contumaciam, innocentia peccatum, ignominia crucis Satanam, vita denique mortem devicit, *Siberus* eleganter ait in *Breviario Christiano*: Laudes crucis per metonymiam intelligendæ de eo,

Sponte sua nostras qui solvit sanguine pœnas
Suffixus cruce. ———

Ut ita ——— *fieret mors*
Unius insontis multorum vita reorum,

Ut est apud Prosperum.

SIGNACULUM. Est idem, quod sigillum. Occurrit *Iob.* 9.7. & 14.17. & 38.14. *Cant.* 8.6. *Eccl.* 22.33. & 38.28. *Ezech.* 28.12. *Hagg.* 2.24. *Rom.* 4.11. 1. *Cor.* 9.2. 2. *Tim.* 2.19. *Apoc.* 5. v. 2. 5. 9.

SIGNATOR. Occurrit apud vet. interpr. *Neh.* 10.1. Signatores autem fuerunt.

SIGNO. Sæpe idem est, quod obsigno. Et ita signat Deus & homo. Deus: videl. communiter *Deut.* 32 34. *Iob.* 14.17. & singulariter Pater *Iohan.* 6. 27. 2. *Cor.* 1. 22. *Eph.* 1.13. item Filius *Ezech.* 9. 4. denique Spiritus S. *Eph.* 4. 30. Homo: 1. *Reg.* 21.8. *Esth.* 3. 12.

SILENTIUM DIMIDIÆ HORÆ. Hoc silentium *Apoc.* 8. 1. quibusdam indicat brevem illam respirationem, quæ ecclesiæ circa Constantini ætatem fuit concessa, furore gentili jam mitescente. Tum enim fatales illæ turbæ jussu & providentia Dei in ecclesia & politia, unà cum piorum persecutione ad tempus, sed non diu, cessarunt,

SILEO. Deus dicitur silere humanitùs. *Psal.* 28.1. & 35.22. & 39.13. & 50. 2. *Esa.* 42.14. *Soph.* 3.17. Deinde naturaliter homo, & aliæ creaturæ silent. *Gen.* 34. 5. Deniq; homo silet metaphoricè. *Ps.* 39. 3. *Soph.* 1. 7.

SILOH. Consentiunt Christiani omnes interpretes, & veterum etiam Hebræorum plerique omnes, hac voce Messiam

ſiam ſignificari. Sed in derivatione vocis non conſentiunt. Alii enim explicant χοιρεῖον αὐτοῦ, id eſt, ſecundina ejus, ſcil. Judæ: hoc eſt, filius in ſecundinis contentus. Nam שִׁיל eſt faſcia, in qua involvitur fœtus in utero materno. Sic explicat R. David. Alii vertunt tranquillatorem, ſalvatorem, & pacificum, cui omnia feliciter ſuccedunt, à שָׁלָה pacificum eſſe. Latinus interpres vertit, Qui mittendus eſt, quaſi ſit à שָׁלַח, miſit. Eſt qui derivat hanc vocem à שָׁלָה, ceſſare: ut שִׁילֹה ſit filius natu minimus, poſt quem ceſſat partus. Tum fuerit hic ſenſus: Meſſias eſt ultimus filius Davidis, qui terreſtre ac corporale ipſius regnum tollet, & cum cœleſti ac ſpirituali commutabit, Alii vertunt ſecundinam ejus, ſcil. matris virginis: quòd ה ſit articulus fœminini generis. Ita ergo Siloh idem fuerit, quod *Semen mulieris*. Septuaginta: ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, *donec veniant, quæ repoſita ſunt ei* q. d. bona repoſita, de quibus traditæ ſunt promiſſiones, quibus finem Chriſtus attulit. Alii è Græcis priſcis: ἕως ἂν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται, *donec veniat cui repoſitum eſt*, nempe regnum æternum. *Abrahamus Scultetus in delitiis Pragenſibus* ait: Simplex vocis Siloh intellectus aliam vim affert, quæ non gignit multas diſputationes. Siloh enim ſignificat fauſtum, felicem, Salvatorem. Credo etiam, inquit Phil. Melanchthon, hæc vocabula Latina, *Salve, Salus*: item *Salvus & Salvator*, orta eſſe ab Hebræo. Ut apud Salomonem in Proverbiis, & ſæpè in Prophetis, vocabulum *Saleu & Salva*, pro ſalute, opulentia, felicitate, abundantia, proſperitate. Talis igitur Meſſias.

SILVÆ DOMUS. Ita 1. *Reg*. 7. 2. dicitur domus, quæ refrigerationis æſtivæ cauſa in ſilva fuit ſtructa æſtuoſis regionibus.

SILVA MELLIS. Ita appellatur favus mellis. 1. *Sam*. 14. 27. quòd in Cananæa per ſilvas magna copia mellis erat.

SILVESTRE MEL. Sic *Matth*. 3. appellatur mel, quod in ſilva fiebat. Nam in calidioribus regionibus tanta apum copia eſſe ſolet, ut, cùm alvearibus capi non poſſint, in ſilvas avolent, & aut in arborum truncis, aut in rupium fiſſuris mellificent. Hoc mel non eſt quidem amarum, ut quidam prodiderunt, ſed tamen non ita ſuave ut mel domeſticum: quia ſapit naturam arborum & rupium, in quibus conficitur.

SIMILITUDO. Eſt 1. Dei: *Geneſ*. 1. 26. *&* 5. 1. *Iacob*. 3. 9. 2. hominis, & aliarum rerum, tum naturalium, tum artificialium *Geneſ*. 5. 3. *Exod*. 16. 14. *Deut*. 4. *verſ*. 15. 16. 3. parabola, figurata oratio, aliud dicens, aliud intelligens ſub dictis occultum. *Luc*. 4. 23 *&* 5. 36. *&* 6. 39. *&* 8. 4. *&* 12. 16. *&* 13. 6. *&* 20. 19. *&* 21. 29.

SIMILOR. Idem eſt, quod ſimilis fio. Sic vulg. interpr. *Hebr*. 2. 17. Debuit per omnia fratribus ſimilari.

SIMONIACUS. Hoc nomine appellatur, qui officia eccleſiaſtica & res ſacras vendit vel emit. Peccatum ipſum appellatur Simonia. Utrumque nomen originem habet ex hiſtoria Simonis Magi, qui gratiam Spiritus S. volebat emere pecunia. Contra hoc crimen multa poſſent adferri ex Patribus. Sed nos uno vel altero erimus contenti. *Gregorius Nazianzenus, ut citatur in jure canonico, capitulo* Qui ſtudet; *& capitulo*, Quicunq;. *Priori loco ſic*

 ait:

ait: Qui ſtudet donum Dei pretio mercari, in ſacro ordine nulla ratione de cætero permanere, aut revocari poſſe dubium non eſt. Talis à communione omnibus modis abſcindatur. Nam Spiritus S. donum pretio comparari, quid aliud eſt, quàm capitale crimen, & Simoniaca hæreſis. *Poſteriori loco hac habentur*: Quicunq; ſacros ordines vẽdunt aut emunt, ſacerdotes eſſe non poſſunt. Unde ſcriptum eſt: Anathema danti, anathema accipienti, h.e. Simoniacæ hæreſi. Quomodo ergo, ſi anathema ſunt, & ſancti non ſunt, ſanctificare alios poſſunt? Et cùm in Chriſti corpore non ſint, quomodo Chriſti corpus tradere, vel accipere poſſunt? Qui maledict⁹ eſt, benedicere quomodo poteſt? *Gelaſius Papa, epiſtola* 1. *capitulo* 26. *ut citatur in jure canonico*, *capitulo* Quos: Quos conſtiterit indignos meritis, ſacram mercatos eſſe pretio dignitatem, convictos oportet arceri, non ſine periculo facinus tale perpetrantes, quia dantem pariter & accipientem damnatio Simonis, quã ſacra lectio teſtatur, involvit. Ipſi etiam gentiles luce naturæ intellexerunt, falſam eſſe religionem, in qua res ſacræ pecunia vendũtur & emuntur: ut videre eſt in Platonis dialogo, qui inſcribitur Eutyphro vel περὶ ὁσίου, *de ſancto*: ubi docet, falſæ religionis notam eſſe, quòd ſit ἐμπορικὴ, id eſt, mercatoria ſive inſtitoria. Nos Chriſtiani id certiùs novimus ex *Act*. 8. *v*. 18. *& ſeqq*. ubi cùm Simon Magus emere oblata pecunia facultatem conferendi Spiritum S. voluiſſet, graviſſimè à Petro apoſtolo fuit objurgatus & rejectus. Breviter: Simonia eſt ambitus in ſacris, i.e. ſtudioſa voluntas vendendi & emendi ſpiritualia vel ſpiritualibus annexa per temporalia: ſic dicta à Simone Mago. *Act*. 8.

SINUS DEI. Eſt arcanum, tutela, & benedictio ejus. *Suidas*: κόλπος ἐπὶ θεοῦ ὁ τῶν ἀγαθῶν θησαυρός.

SINUS ABRAHÆ. Eſt cœlum beatorum. *Luc*. 16. 22. Dicitur ſinus; quia pii in cœlo velut accumbentes tanquam in ſinu Abrahami recumbunt. *Matth*. 8. 11. Nam in diſcumbendo hic ordo eſt, ut cui quis proximus eſt, in ejus ſinum recumbat. *Ioh*. 13. 23. vel quia ſinus paternus aut maternus infantibus ſolet eſſe locus refugii & quietis. Sinus autem Abrahami dicitur; quia Abrahamo potiſſima promiſſio facta eſt de gentibus omnibus in ſemine ejus benedicendis. Gen. 12. 18. & 22. & ipſe eſt pater, ut credentium, ita beatorum. *Rom*. 4.

SION. Significat 1. montem, & arcem in iſto monte. 2. civitatem Davidis: quòd in ea parte urbis Hieroſolymorum David habitaverit. 3. figuratè eccleſiam Dei, quæ ſub lege cultum externum habuit in templo Hieroſolymitano; & ſub evangelio per orbem plantatum veritatem exhibuit in typo demonſtratam. 4. eccleſiam in cœlis triumphantem. Vulgo dicunt, Sionem literaliter eſſe montem, allegoricè eccleſiam militantem, tropologicè cor hominis credentis, anagogicè eccleſiam triumphantem. Porrò *filia Sionis* eccleſiam Judaicam deſignat, quæ militantis & triumphantis eccleſiæ typus fuit. *Filiæ Sion* ſunt mulieres & puellæ Hieroſolymitanæ. Aliquoties etiam hoc nomine omnes urbis illius incolæ ſignificantur. Item veræ eccleſiæ cives, ut *Cant*. 3. 11.

SITIO.

SITIO. Accipitur 1. de siti corporali, eaque naturali vel præternaturali. 2. de vera & laudata siti spirituali. *Psal.* 42. 3. & 63. 2. *Esa.* 35. 7. & 44. 3. & 55. 1. & 65. 13. *Matth.* 5. 6. *Iohan.* 4. *v.* 13. 14. *c.* 6. 35. *c.* 7. 37. *Apoc.* 21. 6. & 22. 17.

SODOMA. Ecclesia Romani Antichristi appellatur Sodoma ob impiam & libidinosam vitam. Eadem appellatur Babylon & Ægyptus. *Apoc.* 11. 8. & 14. 8. & 17. 5. & 18. 2. Sub quibus symbolicis appellationibus universa illa impietas significatur, quæ sub plagis Apocalypticis continetur. Qui sanè Papatum penitiùs introspexerit, fateri cogetur, eum tanquam Tripolim ex hisce tribus metropolibus quasi constructam esse. Vide tit. ÆGYPTUS.

SOL. Propriè est princeps stellarum *Genes.* 19. 23. Metaphoricè est 1. æstus afflictionum & persecutionum. *Cant.* 1. 6. 2. gloria, qua quis fruitur. *Ierem.* 15. 9. 3. Spes liberationis. *Amos.* 8. 9. 4. visio veritatis. *Mich.* 3. 6. 5. Christus *Esa* 60. 20. *Malach.* 4. 2. ubi sol mysticè significat Christum, solem illum justitiæ, de cujus plenitudine ecclesia, ceu subjecta luna, omnesque stellæ, id est, ecclesiæ doctores & omnes electi, lumen suum hauriunt. Sol iste obscuratur, quando per humanarum inventionum traditiones, non ipsi Christo, sed doctrinæ cœlesti de ejus merito & efficacia tenebræ offunduntur, ut lux illa veritatis mortalibus non ampliùs luceat. Atque ita fit, ut terra solem, à quo illustrari debebat, obscuret, sive eclipsin pariat, quæ tamen ipsummet solem non afficit. Porrò sol est lucis vas & receptaculum, ejusque vehiculum, ὄχημα, ut loquitur Basilius. Ita CHRISTUS in se continet plenissimam lucem, eamque nobis advehit. Et sicut

Ostendit sese Titan, atque omnia secum:

Ita Christus ostendit nobis seipsum, & in seipso omnia quæ ad nostram beatitatem satis sunt.

SOLATIUM. Consolatio est philosophica, id est, humana, vel divina: moralis & externa, vel interna: temporalis, vel æterna.

SOLUS, A, UM. Scholastici docent hanc vocem accipi categorematicè, vel syncategorematicè. Ibi ut nomen, hîc ut adverbium sumitur. Ita cùm dicimus, nos sola fide justificari, particula *sola* accipitur categorematicè. Neque enim solùm justificamur fide: sed merito Christi principaliter, fide instrumentaliter.

SOLA FIDE JUSTIFICARI. Cùm dicimus *sola fide nos coram tribunali* DEI *justificari*, non hunc sensum habet, nos justificari, quòd nos justos putemus, quasi fides sit opinio. Neque etiam sola fide idem est quod solitaria fide, quæ nulla profert opera. Neque idem est quod propter qualitatem aut meritum fidei. Quis igitur est sensus? Est metonymicus, sive metalepticus, hoc modo. Sola fide, tanquam unico instrumento, & unica manu apprehendimus & nobis applicamus justitiam, obedientiam & meritum Christi. Illam siquidem obedientiam loco nostro præstitit. Hac, inquam, fide justificamur, hoc est, à Deo constituimur, censemur, judicamur,

dicamur, habemur, reputamur, & pronuntiamur justi, i. e. innocentes & absoluti à damnatione & pœna omni, & qui habeamus jus vitæ æternæ. Addimus *coram tribunali Dei*: coram quo nulla valet, nullaq; potest consistere justitia, nisi omnibus numeris, partibus, & gradibus perfecta: ut discernamus justificationem nostri, quæ fit coram Deo, à justificatione nostri, quæ fit coram hominibus. Hæc enim fit ex operibus. Quam in sententiam apostolus Jacobus ait *cap.2.v.24. Videtis igitur hominem justificari ex operibus*, hoc est, coram hominibus ostendi, declarari, cognosci, & comprobari justum: *& non ex fide tantùm*, id est, ex sola præsumtione & professione externa oris, quòd credamus in Christum. Porrò nos sola fide justificari docent etiam Patres. Nam *Justinus Martyr epistola ad Diognetum* sic ait: αὐτὸς γὰρ ἑαυτὸν ἀπέδειξεν. ἐπέδειξε δὲ διὰ πίστεως. ᾗ μόνῃ θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται, i.e. Ipse seipsum ostẽdit. Ostendit autem per fidem. Qua sola Deũ videre concessum est. *Clemens Alexandrinus pædag lib.* 1. Μία καθολικὴ τῆς ἀνθρωπότητος σωτηρία ἡ πίστις, h.e. Una & universalis humani generis salus est fides. *Origenes super epistolam ad Rom. lib.* 3. Imminet igitur nobis, qui integram esse Scripturam apostoli conamur asserere, & ordine suo cuncta cõstare ut requiramus quis sine operib. sola fide justificatus sit. Quantum igitur ad exemplũ attinet, sufficere arbitror latronem, qui cum Christo crucifix⁹ clamavit ei de cruce, Domine Jesu memento mei, cùm veneris in regnum tuum. Nec aliud quidquam describitur boni operis ejus in evangelio: sed pro hac sola fide ait ei Jesus, Amen dico tibi, hodiè mecum eris in paradiso. *Ibidem* ait, quòd ad justificandum sola fides sufficiat. *Hilarius in Matthæum canone* 8. Fides sola justificat. *Basilius Magnus homiliâ de humilitate*: Hæc enim est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando neque ob justitiam suam quis extollitur, sed novit quidẽ seipsum veræ justitiæ indigum esse, sola autẽ fide in Christum justificatum. *Chrysostomus tomo 5. serm. de fide & lege*: Latro credidit duntaxat & justificatus est à misericordissimo Deo. Atque hîc ne mihi dixeris, defuisse ei tẽpus, quo justè viveret & honesta faceret opera. Neque enim de hoc contẽderim ego: sed illud unum asseveraverim, quòd sola fides per se salvum fecerit. *Idem super epist. ad Gal.* Illi (*.nempe Judæi.*) dicebant, Qui sola fide nititur, execrabilis est: hic (*.nempe Paulus.*) contra demonstrat, ὅτι ὁ τῇ πίστει προσέχων μόνῃ εὐλογημένος, ꝙ qui sola fide nititur, benedictus est. *Ambrosius super 3. Rom* Justificati sunt gratis, quia nihil operantes, neq; vicem reddentes sola fide justificati sunt dono Dei. *Idẽ aliquoties hoc repetit super 4. Rom. & super 1.Cor.1.* ait: Hoc constitutũ est à Deo, ut ꝗ credit in Christum salvus sit sine opere, sola fide gratis accipiens remissionẽ peccatorum. *Hieronymus super Rom.4.* Proposuit (*.Deus.*) gratis per solam fidem dimittere peccata. *Augustinus ad Petrum diaconum cap.* 26. Eramus enim & nos naturâ filii iræ, sicut & cæteri. A qua ira nullus liberatur nisi per fidem mediatoris. *Bernhardus serm.* 22. *super Cantica*: Quisquis pro peccatis compunctus esurit & sitit justitiam, credat in te qui justificas impium: & solam per fidem justificatus, pacem habebit ad Deum.

Solvere et ligare. Metaphorica hæc est locutio, non eodem modo semper exponenda, sed diversè pro loco, & re,

& re, & persona, qua de fit sermo. Nam metaphora solvendi & ligandi eodem spectat cum metaphora clavium. Petita autem est à magistratibus, qui habent jus conjiciendi in carcerem, & dimittendi è carcere, quemadmodum *Chrysostomus ostendit libr. 3. de sacerdotio.* Hebræi autem ea translatione usi sunt ad denotandam alicujus potentiam. *Iosephus lib. 1 belli Iudaici cap. 4.* οἱ δὲ (. Pharisæi.) τὴν ἁπλότητα τῆς ἀνθρώπου (. Alexandræ regnum Judaicum administrantis.) κατὰ μικρὸν ὑπιόντες, ἤδη καὶ διοικηταὶ τῶν ὅλων ἐγίνοντο, διώκειν τε καὶ κατάγειν, οὓς ἐθέλοιεν, λύειν τε καὶ δεῖν, hoc est, *hi simplicitatem mulieris paulatim lacessentes, tandem gubernatores summæ rerum evaserunt, ejiciendo & reducendo, quos lubitum esset, item solvendo & ligando.* Hîc potentiæ magnæ indicia sunt, posse in exilium pellere, & revocare ab exilio, item solvere & ligare. Sed, ut dixi, hæc phrasis diversam potestatem designat, pro loco & personis, quibus de agitur. Nam alia est potestas ligandi & solvendi, quæ regi aut supremo magistratui competit: alia quæ magistratui inferiori, cui jurisdictio fuerit demandata: alia item lictori, qui est minister magistratus. Cùm igitur hæc metaphora, quam Dominus Petrum & Apostolos alios alloquens usurpavit, modò majorem, modò minorē potestatem denotet, quæritur quis sit sensus verborum Domini *Matt. 16. & 18.* Intelligitur autem uno verbo potestas ligandi & solvendi vincula peccatorum, in nomine Christi. Hoc est, quod Scholastici dicunt, Deum remittere peccata *authoritativè*, Apostolos & eorum successores *nuntiativè, interpretativè, & ministerialiter.*

Σωματικῶς. Est 1. corporaliter. 2. verè. Sic *Col. 2. 9.* in Christo dicitur habitare omnis plenitudo deitatis corporaliter, hoc est, omnis perfectio deitatis, æternitas, immēsitas &c. in Christo est verè & substantialiter, imò & visibiliter, quatenus Deus patefactus est in carne. Hac de re eleganter disserit Hugo Card. *Corporaliter, id est, veraciter, completivè, non umbraliter.* Item: *Corporaliter, id est, solidè, quasi secundùm tres dimensiones corporum.* Et Lyra: *Plenitudo divinitatis, id est, divinitas perfecta, non solùm per essentiam, præsentiam, & potentiam, per quem modum in omnibus creaturis est: vel per gratiam, per quem modum est spiritualiter in sanctis: sed etiam per unionem in supposito: Corporaliter, quia est à Verbo assumta in corpus.*

SOMNIUM. Est naturale, vel non-naturale. Illud est vulgare, vel singulare: hoc, divinum, vel diabolicum: & divinum est theorematicum i. e. clarum, vel allegoricum & ænigmaticum.

SOMNIATOR. Est 1. qui somniat. 2. Propheta falsus. *Gen. 37. 19. Deut. 13. 3. Ier. 27. 9. Zach. 10. 2.*

SOMNUS. Est 1. affectio physica sive naturalis. *Luc. 9. 32.* 2. affectio antiphysica sive præternaturalis. 3. stupor animi. *Roman. 13. 11.* 4. mors corporis. *Ioh. 11. 11.* Itaque somnus est corporalis, vel spiritualis: & corporalis est secundùm, vel præter naturam.

SOPHISTA. Antichristus *Dan. 8. 23.* duobus epithetis depingitur: videl. פנים עז, & מבין חירות. Prius, *impudentem*, posterius *intelligentem ænigmata*, interpretantur: è quibus hæc posterior interpretatio nimis est angusta. Nam חירה latiùs patet quàm Græcorū ænigma, ut ꝙ in genere de omnibus argutè dictis & inventis usurpatur. Itaque מבין חירות significabit hominem cautum & versipellem, quē

ingenii versuti expedita facultas nunquam destituit, quique omnes alios capere, ipse vero à nemine capi aut circumveniri potest. Cujusmodi Protea in scholis olim *subtilistam*, hodie *sophistam*, in aulis *Practicum*, in castris *Hannibalem*, vulgo *vulpem* appellare consueverunt. Quæ omnia Antichristo & ranis ipsius, de quibus *Apoc.* 16. egregiè competunt.

Sors. Est triplex. 1. Divina & extraordinaria, eaque infallibilis. *Iosuæ* 7. 1. *Samuel.* 10. *Ion.* 1. *Actor.* 1. 2. Humana, seu politica: eaque divisoria *Levit.* 16. *Iosuæ* 18. vel consultatoria, in rebus liberæ electionis. 3. Diabolica; quæ dicitur μαντικὴ, *divinatoria*, quòd ad divinandum adhibeatur, videl. ad inquirendum curiosè de rebus præteritis, præsentibus vel futuris. Porrò sors accipitur propriè, ut *Levit.* 16. 8. vel impropriè: & ita sors spiritualis est illa quæ pertinet ad vitam æternam *Actor.* 26. 18. *Eph.* 1. 11. *Coloss.* 1. 12.

Species. Usitatum est panem & vinum in eucharistia appellare species: ut in prosâ Thomæ Aquinatis de sacrâ cœnâ,

Quod non capis, quod non vides,
Animosa firmat fides,
Præter rerum ordinem.
Sub diversis speciebus,
Signis tantùm, & non rebus,
Latent res eximiæ.
Caro cibus, sanguis potus:
Manet tamen Christus totus
Sub utrâque specie.

Speculum Trinitatis. Ita eleganter appellatur essentia Dei unius & trini: utpote in quâ, tanquam in speculo nitidissimo, resplendent omnes res bonæ; utpote simulachra seu imitabilitates divinæ bonitatis.

Spes christiana. Est expectatio boni æterni propter Christum fide apprehensum. Hæc à terrenis sublevat ea contemnendo: facit, ut finem in summo bono constituamus, & propter illum finem operemur, imò & patientes simus, dum differtur. Hoc est *spernere* terrestria, *spirare* cœlestia, *separare* se à mundo, & *superare* omnia obstacula, quæ diabolus, mundus & caro nobis objectant.

Spiritus sanctus. Sic appellatur tertia persona τῆς ἐν μονάδι παναγίας ὑπεραῤῥήτου τριάδος. Et spiritus quidem appellatur, tum quia spiratur à Patre & Filio, id est, ab iis unà spirantibus procedit: tum quia nobis inspirat sanctos motus, facitque ut homo regenitus

——— *agat magna cœlestia semina mentis.*

Appellatur autem sanctus, quòd immediatè sanctificet. Itaque vocabula *Spiritus* & *sanctus* hîc non accipiuntur κοινικῶς (ita enim Pater & Filius his nominibus insigniuntur.) sed χαρακτηριστικῶς. Eleganter itaque Prudentius in hymno, *Inventor rutili dux bone luminis*, de Patre ait,

Spirat de patrio corde paracletum.

Spiritus septem. *Apocal.* 1. 4. est Spiritus sanctus, unus ille quidem, sed quasi septuplex, relatus ad septem ecclesias, quibus Johannes scribit. Quòd autem *Apoc.* 5. *v.* 7. Christus dicitur habere septem illos spiritus Dei missos in universam terram, id accipiendum est de donis Spiritus sancti, quæ Christus spargit in universum mundum. Ista dona sunt septem, id est, perfecta. Septenarius enim est numerus perfectionis.

Sponsus. Propriè est qui fidem matrimonii dedit. Inde transfertur ad initium rerum aliarum: ut cùm infans recens circumcisus appellatur sponsus. *Exo.* 4.25.

Status exinanitionis & exaltationis Christi. Modus ille, quo Christus abolitis peccatis, dissidium inter Deum & nos sustulit, consideratur in duplici Christi statu, nempe humiliationis & exaltationis: in quibus tota illa salutis nostræ dispensatio, & triplicis officii Christi executio consistit. *Status exinanitionis* est tota illa œconomia, quâ Christ⁹ formâ servi accepta, patri fuit obediēs usque ad mortē, mortem aut crucis. *Phil.* 2. 7. *Status exaltationis* est tota illa œconomia, quâ ex mortuis resurrexit, ascendit in cœlum &c. Hinc patet exinanitionem & exaltationem Christi respicere totam personam, non verò humanam duntaxat naturam.

Status proportionatus, & superexcedens. Scholastici dicunt res creatas, & inprimis hominem, à Deo ordinari vel secundùm ordinem naturæ, vel supra istum ordinem. Priorem statum appellant proportionatum, posteriorem superexcedentem: quia ibi res ferūtur ad finem suum, juxta proportionem naturę creatæ; hîc diriguntur à Deo ejusmodi ordinatione, quæ excedit proportionem naturæ. Cæterùm etsi inter hominem & Deum datur proportio similitudinis seu imaginis: non tamen datur proportio æqualitatis; quæ καθ' ἐξοχὴν appellatur proportio. Atque hoc modo oportet intelligere, quando dicimus inter hominem & Deum nullam esse proportionem.

Status viæ & patriæ. Quidquid ab homine, vel circa hominem fit, duob⁹ terminis & statibus concluditur, quos veteres theologi *via* & *patria* nominibus significarunt, argumento istorum locorū, *Prover.* 2. *v.* 20. *c.* 4. *v.* 26. 27. *Matth.* 7. *vers.* 13. 14. 2. *Cor.* 7. *v.* 7. *Hebr.* 4. *v.* 14. Huic distinctioni æquivalet illa, quâ distinguitur ecclesia in *militantem* & *triumphantem*: & ista quâ homines electi distinguuntur in *viatores*, & *comprehensores*.

Status animalis & spiritualis. *Status animalis* est hujus vitæ, ubi homo vivit tanquam animal, indigens cibó, potu, vestibus &c. *Status spiritualis* est alterius vitæ: ubi homo vivet tanquam angelus, seu tanquam spiritus. Itaque cùm Apostolus 1. *Cor.* 15. docet, corpora nostra in cœlis futura spiritualia, non respicit substantiam, sed statum perfectionis: non loquitur de οὐσίᾳ, sed de ἐξουσίᾳ: non tollit proprietates corporis essentiales, sed extollit corporis cōditiones supra infirmitates miserabiles.

Stauropegium. Est crucis fixio: item diœcesis episcopi, in qua ille crucis figendæ jus habebat.

Σταυρὸς. Est σκόλοψ, ὀρθὸν ξύλον, *palus, lignum erectum*. Atque ita etiam Judæi habuerunt σταυρὸν: quia suspendio mulctarunt quosdam facinorosos. Deinde σταυρὸς peculiariter est crux è lignis compacta. Et ita Judæi non habuerunt σταυρὸν.

Stellæ. Mysticè significat hæc vox doctores ecclesiæ, quorum illustris splēdor non in externa pompa, sed in cœlestium donorum præstantia consistit. Hæ stellæ è cœlo cadunt, quando neglectâ rerum cœlestium cura; desertaque ecclesiastica vocatione, quæ jam eis sordet,

sordet, rebus terrenis, quæ ipsis magis allubescunt, studere incipiunt. *Apoc.9.* Itaque per hujusmodi casum intelligitur apostasia sive defectio à fide ad res terrenas.

STELLA MAGNA è COELO DECIDENS. Hac phrasi *Apoc.*8.11. notatur apostasia universalis. Additur enim, stellæ isti nomen esse absinthium, & versam esse tertiam aquarum partem in absinthium, & multos homines mortuos esse ex aquis, quòd amaræ factæ essent. Nempe lapsus ille è cœlo est defectio ab ecclesia: & absinthium est amara, id est, falsa doctrina, & acerba persecutio.

STELLA MATUTINA. Est 1. Christus *Apoc.*22.10. 2. summus honor electorum. *Apoc.*2.28.

STIPULOR. Non est propriè promitto, ut vulgo exponũt: sed solenni verborum conceptu postulo, mihi aliquid promitti solenni forma. Sic 1.*Petr.*3.21. baptismus dicitur stipulatio bonæ conscientiæ: quia si credamus in Christum & piè vivamus, argumento resurrectionis Christi, à Deo securè possumus petere paternum ejus favorem & vitam æternã. Deus interrogat nos, an resipiscere velimus & credere Evangelio, & hanc obedientiam à nobis stipulatur: & nos obedientes ab eo restipulamur paternam benedictionem, quã nobis promittens se nobis ultrò debitorem fecit.

SUADEO Est consulo, hortor, commendo, præcipio, allicio. Sic *Gal.*1.10. *Modò enim hominibus suadeo, an Deo*: subintellige, obediendum. Vel: Nunc enim, utrùm suadendo ad Deum respicio an ad homines? utrum ad homines, aut ad Deum remitto & revoco auditores?

SUADIBILE. Quod suaderi potest. Baptista Mantuanus lib.3. de patientia ca.2. *Sæpenumero*, inquit, *mecum cogitavi, unde tam suadibilis sit ista Scriptura, unde tam potenter influat in animos auditorum: unde tantum habeat energiæ, ut non ad opinandum tantùm, sed ad solidè credendum omnes inflectat?*

SUBSTANTIA. Specialiter in Scriptura est fundamentum, sive id, quod facit subsistere. Sic 2.*Cor.*9.5. ἀρχὴ ὑποστάσεως, *initium substantiæ*, dicitur illa doctrina, quæ fundamento religionis nobis est tradita, & nos fulcit in itinere ad vitam æternam. Ita *cap.* 11. *v.*17. ἡ ὑπόστασις τῆς καυχήσεως, *substantia gloriationis*, est fundamentum gloriationis, hoc est, id, quod facit gloriari, quo tanquam fundamẽto nititur gloriatio. Et *Hebr.* 11. fides dicitur rerum sperandarum substantia, quia efficit, ut quodammodo res futuræ fiant præsentes, dum per fidem eas intuemur, tanquam verè suis temporibus eventuras, propter firmitatem divini consilii nobis patefacti. Eleganter hac de re Bernhardus epist. 193. ad Innocentium Papam: *Ego verò securus in magistri Gentium sententiam pergo, & scio quoniam non confundor. Placet mihi, fateor, illius de fide diffinitio, etsi iste etiam ipsam latenter insimulet. Fides est ait, substantia rerum sperandarum, argumentum non apparentium. Substantia, inquit, rerum sperandarum, non inanium phantasia conjecturarum. Audis substantiam: non licet tibi in fide putare vel disputare pro libitu, non hâc illâcque vagari per inania opinionum, per devia errorum. Substantiæ nomine aliquid tibi certũ fixumque præfigitur. Certis clauderis finibus, certis limitib. coarctaris. Nõ est enim fides æstimatio sed certitudo.* Idem ibid. de Petro Abailondo hæretico: *Denique in primo limine theologiæ (vel potiùs stultilogiæ suæ.) fidem diffinit æstimationem: quasi cuique in eâ sentire & loqui quæ libeat liceat, aut pendeant*

sub

sub incerto in vagis ac variis opinionibus nostra fidei sacramenta, & non magis certâ veritate subsistant. In Concordant. Latin. ita explicatur hæc vox: Hypostasis, substantia rerum sperandarum, i. illud quod facit ut extent quæ sperantur. Porrò in vulg. vers. substantiæ nomine designantur sæpissimè divitiæ, facultates, & mundanæ hominum opes. *Genes.* 12.5. *&* 13.6.*c.*14.*v.*11. 12.16.*Num.*16.*v* 32. Vide Concord. Latin. vulg. vers.

SUCCENDERE PITYRA. In epistola Jeremiæ, quæ vaticinio Baruchi subjungitur, de mulieribus Babyloniis dicitur, illas sedisse in viis & succendisse τὰ πίτυρα. Vulgo putant religionis aut scelerum expiandorum causâ mulieres in viis Babyloniis vel furfur, vel ossa olivæ cremasse: quòd πίτυρον sit furfur, & olivæ os. Sed ex Theocriti Pharmaceutria constat, succendere πίτυρα fuisse genus incantamenti amatorii, ad conciliandos amores adhibitum. Ibi enim Simætha venefica, quæ Delphidem juvenem deperibat, dum illum carminibus magicis ad se trahere conatur, Νῦν, inquit, θύσω τὰ πίτυρα, *Nunc sacrificabo, vel succendam, pityra.* Ac disertim fatetur Simætha sub Eidyllii istius finem, hujusmodi incantationes se ab Assyrio sive Babylonio hospite didicisse. Atque hæ sunt artes illæ, quas author epistolæ illius Judæis Babylone cavendas hortatur.

SUCCESSIO. Ea est duplex: una localis & personalis, altera realis & doctrinalis. Illa sine hâc nullius est momenti, juxta illud *Ambrosii tom.* 1. *libro primo, de pœnitentia, cap.* 6. Non habent Petri hæreditatem, qui Petri fidem non habent, quam impia divisione discerpunt. Huc etiam facit, quod *Martyres Galliæ in epistolâ ad Eleutherium Papam scribunt de Irenæo*: Scimus quòd solus officii gradus non facit aliquem justum. *Chrysostomus in opere imperfecto super Matthæum, homil.* 43.*cap.* 23. Multi sacerdotes, & pauci sacerdotes: multi nomine, pauci opere. Videte ergo, quomodo sedetis super cathedram: quia non cathedra facit sacerdotem, sed sacerdos cathedram: non locus sanctificat hominem, sed homo locum: non omnis sacerdos sanctus, sed omnis sanctus sacerdos. Qui bene sederit super cathedram, honorem accipit ab illa: qui malè sederit, injuriam facit cathedræ. *Hieronymus ad Heliodorum, epistolâ* 1. Non est facile stare loco Pauli, & tenere gradum Petri, jam cum Christo regnantium: quia hinc dicitur, non sanctorum filii sunt, qui tenent loca sanctorum, sed qui exercent opera eorum. *Gregorius, ut citatur in jure canonico, distinct.* 40. Nos qui præsumus, non ex locorum vel generis dignitate, sed morum nobilitate innotescere debemus: nec urbium claritate, sed fidei puritate. *Idem ad Anastasium presbyterum libr.* 6. *epist.* 29. Non loca vel ordines creatori nostro proximos faciunt, sed ei nos merita bona jungunt, aut mala disjungunt. In summa: Vera successio Evangelica est perduratio in doctrina & fide vera, cui respondet sancta vita. His enim notis insignes fuerunt Prophetæ, Patriarchæ, & Apostoli.

SUCCESSIO EPISCOPORUM ROMANORUM. Hæc est incerta: quia quo ordine, & quàm diu primi episcopi Romanæ ecclesiæ præfuerint, mirum in modum veteres inter se discrepant. Deinde incerta quoque est sequentium aliquot episcoporum Romanorum successio, inter tot schismata & dejectiones Pontificum, & violentas sedis Romanæ occupatio-

nes. Numerantur enim schismata triginta inter Papas & Antipapas. Sed videamus de primis Episcopis Romanis. *Tertullianus lib.3.carminum ita canit:*

Ex quibus electum magnum, plebiq; probatum (locatum,
Hac cathedra, Petrus qua sederat ipse
Maxima Roma *Linum* primum considere jussit.
Post quem *Cletus* & ipse gregem suscepit ovilis.
Hujus *Anacletus* successor sorte locatus:
Quem sequitur *Clemens*, is apostolicus benè notus.
Evaristus ab hoc rexit sine crimine legem.
Sextus *Alexander*, *Sixto* commendat ovile &c.

Ad hos versus Tertulliani annotavit Baronius in margine *to.1. annal. an. 69. Germana successio Romanorum Pontificũ.* Et idem tamen paulò pòst, in eadem sectione, ait de Clemente: *Post Cletum, sed ante Anacletum esse ponẽdum, verius esse putamus.* Ita Cardinalis Baronius dissentit à seipso. Porrò *Optatus Milevitanus lib.2. adversus Parmenianum sic ait:* Sedit prior Petrus, cui successit Linus, Lino successit Clemens, Clementi Anacletus. Optatum sequitur *Augustinus epist.165. & Hieronymus de scriptoribus ecclesiasticis.* Ita ergo Clemens Optato Milevitano, Augustino, & Hieronymo, imò & plerisque Latinorum, est secundus. At secundùm Martyrologium Romanum, Irenæum, & Epiphanium est tertius. Tertulliano est quartus à morte Petri. Bellarminus conciliare studet has opiniones dissidentes, aitque Clementem quidem à Petro ordinatum Episcopum, sed eum ultrò cessisse Lino & Cleto. Sed huic conciliationi contradicit epistola prima Clementis ad Jacobum Apostolum, ubi Clemens scribit, *Sibi soli à Petro traditam esse docendi cathedram.* At *Ignatius epist. ad Mariam Cassobolitẽ* scribit Clementem successisse Anacleto. Idem tradunt Irenæus & Tertullianus. Epiphanius nullam facit mentionem Anacleti. *Libro septimo constitutionum Apostolicarum* de Episcopis Romanæ ecclesiæ sic loquitur Petrus: *Romana ecclesiæ Linus Claudiæ primus à Paulo; Clemens post ejus mortem à me Petro secundus ordinatur.* Hîc dicitur *primò*, Linum fuisse Romanæ ecclesiæ primum Episcopum: *secundò*, eundem Linum non à Patro, sed à Paulo constitutum Romanum Episcopum: *tertiò*, mortuum esse ante Petrum: *quartò*, post mortem Lini à Petro vivo Clementem esse ordinatum secundum Episcopum Romanum. Et certè *in libro Pontificali Damasi* dicitur, Linum fuisse temporibus Neronis à consulatu Saturnini & P. Cœpionis usque ad Capitonem & Rufum Coss. id est, ab anno 2. Neronis, usque ad an. 13. Jam verò constat inter plerosque, Petrum 14, id est, ultimo Neronis anno occisum esse. Quomodo ergo Linus post Petrum sedit, ut alii docent? Plura de hac irreconciliabili discordia in recensione Episcoporum Romanorum vide in *Symphonia catholica Polani.cap.18 thes.65.* ubi ex Baronio hæc verba citantur: *Si autem in ordine & tempore primorum Romanorum Pontificum quempiam errare contigerit, in multos alios errores ferri omninò cogetur.*

Συγκατάβασις. Latinè dicitur *condescensus, condescensio, & dispensativa prudentia.* Occurrunt hæ voces apud Patres, & significant modum docendi attemperatum captui discentis. Quo pacto videmus Deũ

verbo suo nobiscum agere συγκαταβατικῶς.

SYMBOLUM APOSTOLICUM. Est institutionis Evangelicæ comprehensio, seu epitome fidei Christianæ. Ambrosius eleganter appellat *clavem*. Dicitur *symbolum*, quòd fidelibus tesseræ usum præstet, per quam se mutuo agnoscunt, & ab infidelibus dignoscuntur. Ejusmodi tesseræ etiam fuerunt in paganorum mysteriis. Dicitur *Apostolicum*, quòd complectatur summam doctrinæ Apostolicæ. Quanquam alii volunt, sic dici, quòd Apostoli, antequam digrediendo separarentur, concorde sententia capitibus istis doctrinæ summam complexi sint. Qua de re Cyprianus in exposit. symbol. *Discessuri ab invicem Apostoli, normam prædicationis in commune constituunt.* Aliàs dicitur symbolum fidei.

Συμβολικὴ θεολογία. Pars illa theologiæ, quæ tractat de sacramentis, symbolis illis gratiæ, appellatur συμβολικὴ θεολογία, sive ἱεραρχία. Vulgo dicunt: *Theologia symbolica non est argumentativa*: quod accipiendum est de ῥητῷ, non verò de διανοίᾳ.

Συμβόλων δημιουργός. Ita appellatur Christus; quia instituit sacramenta N.T. symbola illa visibilia invisibilis gratiæ per totum mundum jam diffusæ.

SYNAGOGA. Κατ' ἐξοχὴν de civitate Judæorum dicitur, ut Ecclesia Christianorum. Dico κατ' ἐξοχὴν, non verò tantùm. Neque enim ita est, ut scribit *Augustinus in Psalm.* 77. Nostram Apostoli nunquam dixerunt synagogam, sed semper ecclesiam. Hâc magni Patris assertionem labefactat unicus saltem Jacobi locus *cap. 2. vers. 3.* ἐὰν εἰσέλθῃ εἰς τὴν συναγωγὴν ὑμῶν, *si ingrediatur in synagogam vestram*, hoc est, in ecclesiam, ubi conventus est Christianorum. Latinus interpres vocem Græcam Jacobo usurpatam vitans, ut videtur, de industria, vertit, *in conventum vestrum.* Itaque Augustini affirmatio de Latina versione reperitur vera. Paulus *Hebr.* 9. *vers.* 25. de ecclesiasticis conventibus usurpat nomen ἐπισυναγωγῆς. *Ignatius epist.* 1. conjungit hæc duo nomina: Χωρὶς πρεσβυτέρων ἐκκλησία οὐκ ἔστιν, οὐ συνάθροισμα ἅγιον, οὐ συναγωγὴ ὁσίων, *Sine presbyteris ecclesia non est, neque congregatio sacra, neque synagoga sanctorum.* Cæterùm de vocibus *synagoga* & *ecclesia* Augustinus in Psalm. 80. scribit, ecclesiam Judæorum dictam esse synagogam, id est, congregationem, quod congregari & pecora solent, atque ipsa propriè, quorum & greges dicimus: Christianorum verò ecclesiam, id est convocationem, quia convocari magis est ratione utentium. Sed *Iohan.* 10. *vers.* 3. dicitur pastor καλεῖν πρόβατα: & Xenophon in Cyneg. καλεῖν de canibus usurpat. Itaque falsus fuit & in eo Augustinus. Cæterùm falsorum Christianorum conventus appellantur à Græcis παρασυναγωγαί, *falsæ synagogæ.*

SYNAGOGA LIBERTINORUM. Ita *Act.* 6. dicitur synagoga istorum Judæorum, qui cæteris erant liberiores, minusque arctis legibus regerentur. Alii sic dictos putant à Liberto quodam.

SYNAXIS. In genere est actio cógregantis: in specie est partim collectio in ecclesiam Christi, partim conventus ecclesiasticus ad verbum Dei audiendum, ad orandum, & ad sacramenta utenda; partim celebratio eucharistiæ; partim ipsa eucharistia; partim denique

unio cum Deo. Συνάγειν est cogere cœtum. Itaq; propriè σύναξις est idem quod συναγωγή, *congregatio*. Sed videntur primi Christiani, de industria vocis formationem novam usurpasse, ut discrimen ponerent inter Christianas synaxes, & Judaicas synagogas. Παρασύναξις est falsa synagoga, perinde ut παρασυναγωγή. Porrò σύναξις apud Dionysium semper significat eucharistiam. Nam eo sensu id nomen ille accipit, non quia συνάγεται, *congregatur*, populus: sed propter τὴν πρὸς θεὸν συναγωγὴν καὶ κοινωνίαν, id est, conjunctionem cum Deo & *communionem*: seu διὰ τὴν πρὸς τὸ ἓν κοινωνίαν, καθ' ἣν τῷ Σωτῆρι Χριστῷ, ὡς μόνῃ τῇ κεφαλῇ συναγόμεθα, *propter communionem cum uno, per quam Servatori Christo, ut membra capiti*, συναγόμεθα, *conjungimur*. Hinc Dionysius Deum, qui per hoc sacramentum operatur hanc conjunctionem, appellat συναγωγὸν, *conjunctorem*.

SYNCELLUS. σύγκελλος. In Græca ecclesia olim proximus erat Patriarchæ, vicarius vivi & successor mortui. Erant syncelli plures, ex quibus primus πρωτοσύγκελλος. Heraclius ad duos redegit. Vox *syncelli* sonat, qui cellam communem cum alio habet, quasi contubernalis, à σὺν & cella, h.e. Patriarchæ conclave. Quidam vocant *Congellum*, quia etiam Græci scribunt σύγγελλος. Scalig. l.3. can. Isag σύγκελλος τοποτηρητὴς ἀρχιερεὺς סגן הכהן. Est ergo suffraganeus in Latina ecclesia

Συζητητὴς τοῦ αἰῶνος τούτου. Sic 1. Cor. 1.20. appellatur disputator linguâ clarus in hoc seculo, id est, in mundo, inter homines, qui solas res terrenas seu naturales sapiunt. Huic eleganter opponi potest συζητητὴς τοῦ αἰῶνος μέλλοντος, qui confert de rebus futuri seculi, juxta illud Hieronymi: *Discamus ea in terris, quorum scientia nobis perseverat in cœlis.*

TABERNACULUM DEI, sive, FOEDERIS: Officium Christi, & cultus, qui ei ex illo debetur, in tabernaculo fœderis, & post hoc in templo, fuerunt præfigurata. Dicitur etiam *tabernaculum conventus & testimonij*: item tabernaculum typicum, legale, & materiale. Vide *Exod.* 30.36.38. & alibi. *Tabernaculum mysticum* est ecclesia militans, *Esa.* 33.20. & 54.2. *Ezech.* 37.27. item triumphans *Luc.* 16.9. *Hebr.* 8.2. *cap.* 9.11. *Apoc.* 15.15. & 21.3. Porrò tabernaculum Davidis est ejus regnum, quod in Christo firmatum est in ęternum. *Esa.* 16.5. *Amos* 9.11. *Actor.* 15.16. Denique tabernaculum materiale est duplex. 1. tentorium jussu Dei à Mose cōstructum. *Exod.* 26. 2. quod David instinctu Spiritus S. arcæ Jehovæ erexit. 1. *Chr.* 15.1. & 16.1.

TALMUD. Sunt quædam pandectæ rerum Judaicarum, divinarum & humanarum, verarum & falsarum, bonarum & malarum; inprimis juris civilis & canonici eorum. Est autem duplex Talmud. 1. *Hierosolymitanum*; pro Judæis in terra Israëlitica viventibus; cujus minor est usus, cùm pauci illic loci degāt. 2. *Babylonicum*; pro Judæis in Babylonia & aliis peregrinis regionibus. Id dividitur in *Mischna* & *Gemara*. Mischna est lex secundaria continens traditiones patrum inde à Mose usque ad R. Juda Hannasi, qui floruit an. Chr. 150. Gemara est collectio disputationum super Mischna ortarum, cum suis decisionibus.

TARGUM. Sic vocatur Chaldaica metaphrasis Bibliorum: qualis est Onkelos in Mosen, & Jonathan, in Prophetas. Est & alius Jonathan Mosis interpres. Est & Targum Hierosolymitanum in Pentateuchum.

teuchum. Josephus Cœcus hagiographa vertit.

Tabulæ. Sunt 1. materiales *Exod.* 26. *v.* 5. 17. 19. 20. 21. 22. 24. 25. 26. 28. 29. 2. cordis. *Prov.* 3. 3 *c.* 7. 9. 3. mysticæ. *Cant.* 8. 9.

Taceo. Tacet 1. homo. 2. *Sam.* 13. 20. 2. Deus, quando non aspicit nos oculis misericordiæ, nec juvat dextrâ potentiæ. *Psal.* 28. 1. & 50. 21. & 83. 2. & 109. 2. *Esa.* 42. 14. & 57. 11. & 64. 12. & 65. 6. 3. lapis, & mare. *Habac.* 2. 19. *Marc.* 4. 39.

Teleta. Τελετὴ. Est 1. ritus, quo quis initiatur. 2. initiatio ipsa: à τελέω, perficio, initio, ut ad perfectionem Spiritualem pervenias. Inde τελεστὴς, initiator: τελεστήριον, initiatorium. De gentilium mystagogia usurpatur: sed & transfertur ad Christiana sacra: unde & eucharistia τελετὴ appellatur, & Christus, ceremoniarum nostrarum conditor, τελετάρχης.

Τελεστικαὶ ἐπικλήσεις. *Dionysius sub finem hierarchiæ ecclesiasticæ* sic appellat invocationes quæ fiunt in ordinationibus episcoporum & presbyterorum. Potest quidem accipi hæc phrasis generaliter de precibus quæ in omnibus initiationibus & sacramentis fiunt: sed Maximus & Pachymeres, interpretes Dionysii, restringunt generalem vocem ad ordinationes, & interpretantur τὰς ἐπὶ τῆς χειροτονίας εὐχὰς, hoc est, *precationes, quæ fiunt in cooptatione in sacrum ordinem.*

Τελεταὶ ἱεραρχικαὶ. Sic *Dionysius cap.* 3. *hierarch. ecclesiast.* vocat sacramenta; quasi dicas, sacras teletas, vel initia, i. e. instrumenta ἱεροτελεστικῆς πραγματείας, ut ibidem loquitur, id est, *sacræ initiationis.*

Τέλειον. τὸ τέλειον, *perfectio, consummatio*, apud quosdam Patres est ipsa eucharistia: quæ etiam Dionysio dicitur τελείωσις. Ratio nomenclaturæ est; quia conjunctioni nostræ cum Christo veluti colophonem imponit participatio corporis & sangvinis Christi in Cœna Dominica. Nullus enim restat alius modus, quo in terris versantes arctiùs cum Christo capite nostro conjungamur. In canonibus concilii Ancyrani, & aliis occurrunt ista: ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ τέλειον, *venire ad id quod perfectum est*: & τελείως δέχεσθαι, *recipere perfectè*: item μετέχειν τοῦ τελείου, & λαμβάνειν τὸ τέλειον.

Templum. Appellatio templi typum gerit ecclesiæ, quatenus est externa, visibilis, & mater omnium vocatorum, adeoque externa professione religionis Christianæ speciem aliquam præ se fert. Hujus templi atrium, hoc est, vastissimus ambitus, permittitur gentibus, non Indianis dæmonolatris, aut aliis paganis, sed Danitis illis & Ephraimitis, seu locustis, quæ veri Dei notitiam & cultum verbis jactant, sibique in hanc Dei domum nescio quod jus hæreditarium arrogant, tanquam carnales Jacobi posteri, quos tamen Spiritus sanctus in genuini Israëlis recensione ut adulterinos rejicit. *Apoc.* 11. Confer 2. *Thess.* 2. *v.* 3. 4. In loco Apocalypsis diligenter notandum est verbum *Conculcare*: quod refertur ad equitatum illum ferocientem *cap.* 10. Quo significatur, Gentes illas sub ementito catholicæ religionis, ordinariæ successionis, hæreditariæ possessionis totius templi prætextu, suam in eo equinam libidinem, id est, mundanum fastum exercituras, & templum pedibus ita conculcaturas, ut operis operati hypocritica ostentatione, vitæ Sodomiticæ impuritate, idolomaniæ plus quàm gentilis fœditate tyranni-

ca denique persecutione hoc sint effecturæ, ut filia Sion, id est ecclesia obsignatorũ, sit futura ut tuguriolum in vinea, & tegillum in cucumerario, ut loquitur Esaias c. 1. unde Johannes & phrasin & rem ipsam est mutuatus. Vis phrasis recumbit in radice רמס, quæ propriè significat pedibus conculcare & pessundare. Ita intelligimus, quæ sit futura conditio templi DEI quantum ad atrium. Sacrarium quod attinet, illud non dabitur *Gentibus*, sed *duobus testibus*, hoc est, paucis fidelibus, qui præditi erunt Spiritu Enochi & Eliæ, & illorundem sortem experientur, hoc est, vivent vitam piam instar Enochi, erunt Zelosi ut Elias, & habebuntur pro hæreticis, opinatoribus, sectariis, seditiosis. Alii malunt hæc ita explicare, ut dicant respici ad historiam populi ex Ægypto educendi, adeoque ad personam & officium Mosis & Aharonis. Alii putant duas illas oleas *Zachar*. 4. *vers. ult.* literaliter significare Jehosuam sacerdotem magnum & Zorobabelem ducem, typicè hos duos testes, id est, omnes pios, qui sub angustiis illis contra insectum Daniticum præstabunt fidelem operam Jehosuæ sacerdotis, & contra equitatum Ephraimiticum gerent se tanquam Zorobabel, licet sub contemtibili habitu. Quò pertinent non solùm nomina ipsa, quorum hoc Babylonis ventilatorem, illud salvatorem significat: sed etiam ambidextrum officium illorum, qui olim post captivitatem in urbis & templi instaurationem intenti, una manu pugnabant, altera ædificabant, quo fuit præfiguratũ officium omnium piorum tempore calamitatis publicæ. Denique sunt, qui duos illos testes, illorumq; officium per Josephum & Levi, qui in recensione genuinorum Israëlitarũ *Apoc.* 7. Dano & Ephraimo expunctis substituuntur, depingi posse existimant. Ego expensis hisce sententiis existimo illas in fundamento convenire. Cæterùm fata duorum istorum testium sunt, quòd reportant victoriam spiritualem de bestia, utut corporaliter ab illa vincantur. Iidem cruciant habitatores terræ, quatenus côcionibus & scriptis suis multum negotii ipsis facessunt, arguendo & confutando illorum idolomaniã & hypocrisin. Hinc illæ querelæ: Nos antiquum statum turbare, nostrum sensum sequi, novo cœlo opus habere &c. Porrò templum usitatè distinguitur in materiale, & spirituale. Templum materiale est legitimum, vel idololatricum. Templum legitimum est vel typicum, putà Salomonicũ seu Hierosolymitanum 1. *Reg* 6. vel Christianum in N. T. De templo idololatrico in V. T. Vide 1. *Sam*. 5. 2. & 31. *v*. 9. 10. 1. *Reg*. 16. 32. *&c.* Templum spirituale seu mysticum est 1. corpus Christi *Ioh*. 2. 19. 2. quilibet electus 1. *Corinth*. 3. *v*. 16. 19. *c*. 6. 19. 3. ecclesia. *Malach*. 3. 1. *Zachar*. 6. *vers*. 12. 13. 4. cœlum beatorum. *Apoc*. 3. 12. & 14. 15.

TEMPUS. Hebræis inter alia appellatur מוֹעֵד à radice יָעַד, *in locum, rem, aut tempus condicere*. Unde nomen מוֹעֵד hujusmodi locum vel tempus significat, in quo aut personæ conveniunt, aut rerum agendarum eventus, quasi ex condicto concurrunt. v. g. tabernaculum fœderis dicitur אֹהֶל מוֹעֵד, quòd Deus cum Israelitis in locum hunc ex pacto veluti conveniebat. *Exod*. 25. 22. De temporis condictione & nomen & verbum usurpatur. 2. *Sam*. 20. 5. Ex quibus apparet,

pater, non impliciter hac voce tempus, ſed certi temporis periodum, ſive tempus periodicum denotari. Sic *Dan.* 12. 6. accipitur hæc vox: quam Græcus rectè vertit, non χρόνον, ſed καιρὸν. Confer *Apoc.* 10. 5. 6. 7. ubi angelus jurat, *tempus non ampliùs fore.* Quod non eſt accipiendum de temporis revolutione naturali, ſed de illa periodica revolutione, quæ apud Danielem decurſui regni Antichriſtiani & prodigiorum ſub eodem eſt præſtituta. Porrò de hac voce ſic adnotat author Concordant. Latin. vulg. verſ. Tempus eſt 1. menſura motus ſecundùm prius, præſens, & poſterius. 2. certa quantitas dierum vel menſium. 3. tempora ſecularia. 4. tempus acceptum, tempus gratiæ, viſitationis; temporis plenitudo. 5. tempus æternum, quod eſt ſine menſura. 6. neceſſitas, occaſio, opportunitas temporis, in quo pii afflicti ad Deum confugiunt. 7. Ea ipſa, quæ ſunt aut fiunt in tempore; ſtatus rerum in tempore geſtarum aut gerendarum. *Exempla vide d. l.*

TEMPUS DEI & HOMINIS. Illud eſt, quod Deus juſtè & ſapienter determinavit: hoc eſt, quod hominis phantaſia determinat.

TEMPUS, TEMPORA, ET DIMIDIUM TEMPORIS. Hæc verba apud Danielē *cap.* 12. ſic accipienda ſunt. Prophetæ viſio *cap.* 11. & 12. in tres claſſes dividitur. Prima eſt deſcriptio ſtatus populi Dei à templi inſtauratione uſque ad ejus excidium, ubi potiores partes tenet Antiochus. Secunda eſt hiſtoria exurgentis & dominantis Antichriſti, quam propter rerum convenientiam illi typo immediatè ſubjungit. Tertia eſt antichriſti ruina. Huic rerum partitioni propheta accommodat temporis diſtributionem ita, ut primæ claſſi unam periodum, negotio Antichriſtiano duas, tertiæ dimidiam aſſignet. Hanc ſententiam præter cōtextum etiam probat experientia: item illa clauſula *Dan.* 12. 7. ubi angelus de impletione omniū iſtorum ſic ait: *Interim dum conſummatur diſperſio populi ſancti, perficientur omnia illa*, id eſt, dum eccleſia in eremo ſuâ exulans cum prodigiis illis, de quibus Daniel dixit, colluctatur, periodica illa tempora circumagentur, & prodigia illa unà implebuntur, hoc modo. Prima periodus eſt annorum 490. à templi inſtauratione ad illius excidium. Secunda eſt inde ab excidio Hieroſolymitano uſque ad initium ſeculi decimiſexti poſt CHRISTUM. Tertia inde ab initio ſeculi decimiſexti, fortè uſque ad annum 1625. vel 1642. vel 1694. Atque hæc eſt ratio hujus locutionis apud Danielem. In apocalypſi eadem eſt ratio diviſionis: ſed materia nonnihil variat, quæ differentia applicationis diverſitatem parit, hoc modo. Prima periodus eſt annorum 700. ſeu 666. ſub quibus eccleſia catholica ethnicæ perſecutionis impetum ſuſtinuit, prima medietate, alterâ per varias ſectas & ſchiſmata immane quantum turbata: ita ut hæc periodus eleganter reſpondeat primæ periodo Danielis. Secunda periodus eſt ab anno CHRISTI 600. uſque ad 1500. tertia perinde ut apud Danielem. Ratio diverſæ hujus applicationis eſt, quòd Daniel ſtatum eccleſiæ Judaicæ & novi teſtamenti conjunctim deſcribit, Johannes autem de eccleſia N. T. ſolùm agit.

TEMPORANEUS. Est 1. matutinus *Iacobi* 5.7. 2. præcox. *Esa.* 28. 4. 3. tempestivus, vernalis. *Deut.* 11.14. *Ier.* 5.24. *Hos.* 6.4. Et sic quidem explicatur hæc vox in Concordantiis Latinis.

TENEBRÆ. Sunt 1. caligo lux opposita *Gen.* 1.2. 2. afflictiones, calamitates, & miseriæ. 2. *Sam.* 22.29. *Psal.* 18.29. 3. sepulchrum, ubi omnia opaca. *Iob.* 7.4. 4. caligo spiritualis extra Christum. *Ioh.* 1.5. 5. reproborum sempiterna miseria. *Matth.* 8.12.

TEPIDUS. *Apoc.* 3. 16. significat hominem mixtum ex Christiano & non Christiano, h. e. qui & Christo & Beliali vult esse addictus. Ille duobus modis est improbus; Diabolum colendo; & eum conjungendo cum Christo. Itaque *frigidus* est, qui tantùm malum facit, & non fallit specie boni: *calidus*, sive fervidus, qui zelo secundùm Deum est præditus.

TERAPHIM. Sunt imagines, sive idola, *Gen.* 31.17. *Hos.* 3.4.

TERMINUM HABERE. Apud Scotum occurrit hæc phrasis, *in prologo sententiarum*, *quæst.* 3. his verbis: Sicut theologia beatorum habet terminum: ita & nostra ex voluntate Dei revelantis. Terminus autem præfixus à voluntate divina, quantum ad revelationem generalem est eorum, quæ sunt in Scriptura sacra, quoniam sic habetur in Apocalypsi ultimo: Qui apposuerit ad hæc, apponet ei Deus plagas, quæ apponuntur in libro isto. Igitur theologia nostra de facto non est nisi de his, quæ continentur in Scriptura, & de his quæ possunt elici ex ipsa. Ex his Scoti verbis liquet, terminum habere idem esse, quod constare certo numero, mensura, & pondere.

TERRA. Hæc vox mysticè significat terrena studia *Apoc.* 18.1. ubi de angelo è cœlis descendente affirmatur, *terram*, id est, terrena studia, *per eum illustratam esse*: in quantum nempe generosis & excitatis ingeniis ad agnoscendam & oppugnandam meretricem Babylonicam opus est. Atque hoc est illud tempus, de quo Zacharias c. 14. 17. *Erit autem aliquando dies, qui notus erit Domino, non dies, neque etiam nox: circa vesperam verò futura est lux.* Porrò terra nova est ecclesia triumphans, sive instauratio & salus ecclesiæ. *Esa.* 65.17. & 66.22. *Apoc.* 21.1.

TERRA & MARE. Quando in Apocalypsi hæc duo conjunguntur, per terram status secularis, per mare status ecclesiasticus designatur. Sic *Apoc.* 9. dicit Spiritus sanctus, terram & mare per angelos ex quatuor mundi cardinibus affecta esse, h. e. ecclesiam & politiam ex æquo perturbatam. *Cap.* 18. dicit terram, (non autem mare,) illustratum iri, ut innuat, non tam statum ecclesiasticum, quàm genus politicum, adeoque promiscuum terræ vulgus, angeli illius fulgore illustratum iri: cùm interim Spirituales illi tenebris suis Ægyptiacis securè indormiant.

TERRA ULTIMA. Sic in vulg. vers. appellatur sepulchrum. *Ezech.* 31. *v.* 21. 25. Junius vertit *terram imam.*

TERRIGENA. Occurrit apud vulg. interpr. *Psal.* 49. *v.* 3.

TERRIBILIS. Est 1. formidabilis. *Deut.* 7.21. *Psal.* 76. 8. 2. valde reverendus. *Exod.* 15.11. *Deut.* 28.58. *Psal.* 47. 3. & 111.9. *Deut.* 9.4. 3. inexpugnabilis *Cant.* 6. *v.* 3.7. 4. terrificus. *Dan.* 2.31. & 7.7.

TERRIBILITER. Interdum est idem, quod magnificè, seu potiùs mirificè. *Psal.* 138.14.

TESTEUS. In vulg. vers. est idem, quod testaceus. *Ierem.* 19. 1. *Thren.* 4. 2. *Dan.* 2. 41.

TESTAMENTUM. Hoc vocabulo significatur testimonium de ultima volũtate, quo aliquis testatum facit, quid de bonis suis post mortem suam fieri velit. Atque hæc est forensis significatio. Apud theologos hæc vox significat partim fœdus, quod Deus pepigit cum populo suo, partim libros Scripturæ sacræ, quibus illud fœdus comprehensum est. Prior appellatio ex eo est orta, quòd LXX. Interpretes vocem Hebraicam בְּרִית (quæ pactum seu fœdus significat.) reddiderunt διαθήκην, id est, ordinationem, dispositionem, sive testamentum: accipientes hanc vocem sensu generali, tanquam dicerent συνθήκην, id est, pactum seu fœdus, uti vocem Hebraicam vertit Aquila, teste Hieronymo. Vide 1. *Reg* 5. *v.* 12 2. *Reg.* 23. *v.* 2. *Esa.* 59. *v.* 21. *Ier.* 31. *v.* 31. 32. 33. Utraq; vocis διαθήκη significatio occurrit in novo testamento. Nam *Act.* 3. *v.* 25. accipitur pro fœdere sive pacto; *Heb.* 9. *v.* 15. 16. 17. pro testamento. Jam quod attinet ad alteram significationem, qua testamentum ponitur pro libris canonicis, illa est admodum usitata, & nititur hac ratione; quòd libri isti sacri sint documentum benignæ voluntatis Dei erga genus humanum.

TESTIMONIUM. Dicitur 1. de arca testimonii *Exod.* 28. 43. 2. De Dei voluntate, suis sub lege & euangelio proposita. *Psal* 19. 8. 3. De testimonio hominum vero & falso. *Exod.* 20. 16. *Iohan.* 5. 36.

TETRAPLUS. Est quadruplus. *Tetrapla* Biblia Origenis erant, ubi quatuor columnæ: ut *hexapla*, ubi sex. e. g.

I. Textus Hebræus Hebræis literis.
II. Textus Hebræus Græcis literis.
III. Translatio Aquilæ.
IV. Symmachi.
V. LXX. Interpretum.
VI. Theodotionis.

Θεάνθρωπος. Est nomen Christi incarnati proprium. Ille siquidem est Deus & homo in unitate personæ. Hinc Prudentius:

Ille manet, quod semper erat, quod non erat, esse
Incipiens — — —

Et ut est in prosâ de nativitate Christi: *Mirabilis natura, mirificè induta, assumens quod non erat, manens quod erat.* Bernhardus in prosâ *Latabundus*, naturam Christi divinam componit cedro, quæ cariem non sentit: humanam verò hyssopo, quæ est humilis & fragilis. Verba sic habent:

Cedrus alta Libani
Conformatur hyssopo
Valle nostrâ.

Deitas Christi ab aliis comparatur hamo, humana natura escæ: quâ captus fuit infernalis Leviathan. In Antiphona, *O admirabile commercium*, hæc extant: *Deus homo factus est: id quod fuit, permansit: & quod non erat, assumsit: non commixtionem passus, neque divisionem.* Et paulò antè: *Creator generis humani, animatum corpus sumens de virgine, nasci dignatus est, & procedens homo sine semine largitus est nobis suam Deitatem*; scil. per unionem personalem, seu potiùs ἀφράστῳ καὶ ἀκαταννοήτῳ ἑνώσεως τρόπῳ. *ineffabili & incomprehensibili unitionis modo*, quo ut canit Prudentius,

Non Deus ex nostris minuit sua: sed sua nostris
Dum tribuit, nosmet dona ad cœlestia vexit.

Hæc unio eleganter appellatur mirabiliter

liter singularis, & singulariter mirabilis: de qua Fulgentius, Verbum, *inquit*, caro factum in veritate humana caro esse cœpit; sed in veritate divina Verbū esse non destitit. Nam ut canit poëta Christianus, Filius Dei

Divinam clausit mortali in corpore mentem.

Scaliger de hoc mysterio ita canit:

Tu, quod non fueras, placito tibi tēpore factus,
Ut fierē, quod erā: passus mea crimina, servus
Ex domino, ut servi excuteres fera vincula collo.

Augustinus hanc unionē ita describit: Filius Dei, assumta forma servi, filius hominis factus, quod erat mansit, quod non erat, assumsit.

Θεογενεσία. *Dionysius Areopagita* sic vocat baptismū, *in tractatu de baptismo.* Nam renati sacro lavacro fieri dii dicebantur Patribus. Verba Dionysii sic habent: ἑξῆς τὰ θεῖα τῆς θεογενεσίας ἐποπτεύωμεν σύμβολα καί μοι μηδεὶς ἀτέλεστος ἐπὶ θέαν ἰέτω, *Deinceps sacra baptismi symbola contemplemur: nemo verò nō initiatus ad hoc spectaculū accedat.*

Θέωσις. Patres finem & fructum ultimum sacramētorum non dubitarunt dicere θέωσιν, *deificationem*; cùm scirent vanarum superstitionum authores suis epoptiis eum honorē audere spondere. Passim igitur legas apud Patres, τῆς ἱερᾶς μυσταγωγίας τέλος εἶναι θέωσιν, *finem sacramentorum esse, ut qui vera fide illa perciperent, in futura vita dii evadant.* Itaque Augustinus c.56. enchiridii ad Laurentium, de fidelibus loquens, qui in Scripturis vocantur *templum Dei*, dicere non dubitavit, *templum Dei ædificari ex diis, quos facit Deus non factus.* Et Athanasius orat. 4. contra Arianos, verbo θεοποιεῖσθαι, *deificari*, in eam rem est usus: quod mox ab eodem explicatur τῇ τοῦ πνεύματος μετοχῇ συναπτεσθαι τῇ θεότητι, *participatione Spiritus conjungi deitati.* Idem ad Adelphium, Christus, inquit γέγονεν ἄνθρωπος, ἵνα ἡμᾶς ἐν ἑαυτῷ θεοποιήσῃ. *factus est homo, ut nos in se deos faceret.* Similia dicta nusquam non apud Patres occurrunt. Ita vox θεωθῆναι, *fieri Deum*, familiaris est Dionysio: item θεοῦσθαι. Hæ locutiones apprimè faciunt ad consolationem afflictæ animæ.

THEOPHANIA. Τὰ θεοφάνια, festum apparitionis Dei. Talia gentes instituebant, cùm numen, opinione sua, vidissent. Apud Christianos τὰ θεοφάνια sunt Servatoris nostri secundùm carnem nativitas, quæ & γενέθλια & ἐπιφάνια; etsi hoc postremum vocabulum sit naturâ generalius, quàm θεοφάνια. Nam τὰ ἐπιφάνια significant apparitionem illustrem & manifestam: sed τὰ θεοφάνια sunt exhibitio Dei manifesta, & ea quidem διὰ γενέσεως καὶ σαρκώσεως τοῦ λόγου: quæ, cùm venisset plenum tempus, accidit anno mundi 3948. exeunte Septembri. Conjecta tamen est πανήγυρις τῶν γενεθλίων τοῦ χριστοῦ in XXV. Decembris; quòd hoc mense CHRISTUS natus crederetur ex nescio qua traditione. De voce *Theophania* vide plura ad titulum *Epiphania.*

THEOLOGIA. Nomen hoc fuit primò usurpatum ab ethnicis Græcis, qui suam theologiam diviserunt in historicam, mysticam & civilem: ac postea ab ipsis Christianis, ut colligi potest ex Apocalypsis ἐπιγραφῇ, in qua Johānes evangelista & apostolus, theologi elogio insignitur: atque ex *Basilii epist. 2. ad Gregorium Nazianzenum*, ubi doctrinam sacræ Scripturæ theologiam nuncupat. Tres autem sunt hujus vocis potissimæ significationes. 1. sermo Dei. 2. sermo de Deo. 3. assertio deitatis τοῦ λόγου: quæ est specialis.

dis theologia. Mediam significationem, utpote usitatissimam, hîc attẽdimus. Dividitur theologia hoc modo accepta, in *archetypam*, quæ est solius Dei: & *ectypam*, quæ est *unionis*, communicata cum Christo θεανθρώπῳ; *visionis*, communicata cum beatis in altera vita; & *revelationis*, communicata cum hominib. in hac vita. Revelatio autem latiùs sumta, in naturalem & supernaturalem distribuitur. Illa fit vel intus, per legem naturæ, omnium hominum cordibus inscriptam, *Rom.* 1. *v.* 15. vel foris, per creaturarum contemplationẽ; *Ro.* 1. *v.* 20. hæc fit vel immediatè, ut cùm prophetis & apostolis Deus revelavit theologiam: vel mediatè, ut cùm nobis illam revelat per prophetas & apostolos. Si sermo sit de revelatione supernaturali, quæritur an theologia sit scientia, sapientia, vel prudentia, an verò aliquid ex his omnibus mixtum, ita nimirum ut sit simul theoretica & practica? Nos arbitramur esse mixtam, tum propter duplicis illius finis, nimirum cognitionis & cultus Dei in hac vita conjunctionem necessariam, tum propter unius sub altero ordinationem. Quemadmodum enim pietas nostræ saluti & gloriæ Dei, sic cognitio Dei pietati nostræ seu cultui Dei in S. literis subordinatur. 1. *Tim.* 4. *v.* 8. *Col.* 3. *v.* 16. *Tit.* 1 *v.* 1. Non ergo theoria & praxis sunt in theologia differentiæ oppositæ, sed conditiones inter sese ad vitam æternam consequendam consociatæ, suoque ordine collocatæ. Duæ itaque sunt partes theologiæ; una contemplativa, quæ tractat de natura Dei, & de operib. creationis, gubernationis, & redemtionis: altera practica, quæ præcipit de officiis pietatis erga Deum, & charitatis erga proximum. Nam etsi in hac multâ opus est contẽplatione: tota tamẽ hæc contẽplatio ad praxin ordinatur. Teneantur hîc variæ partitiones theologiæ. *Dionysius Areopagita theologiam symbolicam* appellat doctrinam de sacramentis, sive signis sacramentalibus. Ea enim appellantur symbola. *Scholasticis* tritum est illud: *Theologia parabolica, seu allegorica, non est argumentativa.* Intelligunt hîc eam theologiæ partem, quæ occupatur circa parabolas sive allegorias: ex quibus firma argumẽta ad fidẽ & mores cõfirmandos peti non possunt, si allegoriarum & parabolarũ circumstãtias spectes. At verò si præcipuum ipsarum finem & scopum consideres, non minùs firma ex iis petuntur argumenta, quàm ex aliis locis. Proinde illud Scholasticorũ axioma, vel de circũstantiis tantùm allegoriarũ & parabolarũ, vel de allegoricis interpretationib. ex humano ingenio ꝓfectis, est intelligendum. *Iisdem Scholasticis* theologia dividit' in *excelsam* & *humilẽ*. Illa etiã dicitur *comprehensorum*, hæc *viatorum*. Porrò *Græci Patres* eam præcipuè nominarunt Theologiã, quæ ad doctrinam de Christi deitate ꝑtinebat. Gregorius Nazianz. etiam quibus orationibus de Patre, Filio, & Spir. S. egit, eas Theologię nomine inscripsit. At cũ de Christi humanitate atq; incarnatione agerent, versari dicebantur in œconomia. *Theologia Sholastica* dicit', quæ certiore methodo, & exquisitis rationibus persequitur res divinas. *Theologia infusa* est partim ordinaria, videl. supnaturalis illa & arcana, in verbo Dei tradita: partim extraordinaria, videl. habit⁹ propheticus. *Theologia cõtroversa*, seu *polemica*, est, quæ ꝑsequitur cõtroversias in negotio religionis. *Theologia practica* est de vitæ Christianæ officiis: ubi excellit *Theologia casuum cõscientiæ*. Denique *theologia positiva* est ipsissima

fimaScriptura sacra sic dicta, quòd tradat meras positiones, hoc est, principia firmiter posita. Nam quæ Græcis θέσις est, hęc Latinis positio dicitur; quæ cùm sententiam ratam, firmam, & stabilem designet, in Scriptura præcipuum locum habet: quæ est universæ theologiæ Scholasticæ basis & fundamentum. Hanc ob causam Bonaventura loquens de positiva theologia ait: *Cùm secundum lumen supernaturale procedat ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem, quatenus ei expedit ad salutem, partim per plana verba, partim per mystica, describit totius universi continentiam, quasi in quadam summa, in quo attēditur ejusdem Scripturæ latitudo: describit decursum in quo attenditur longitudo: describit excellentiam salvandorum, in quo attenditur sublimitas: describit & miseriam damnatorum, in quo profunditas consistit, non solùm ipsius universi, sed etiam divini judicii: & sic describit totum universum, quantum expedit de ipso habere notitiam ad salutem secundùm ipsius latitudinem, longitudinē, altitudinem & profunditatem.* Et paulò post subdit: *Sic enim exigebat conditio capacitatis humanæ, quæ nata est magna & multa magnificè & multipliciter capere tanquam speculū quoddam nobilissimum, in quo nata est describi non solùm naturaliter, verùm etiam supernaturaliter rerum universitas mundanarum.* Sic Bonaventura in prologo Breviloquii. Sed μεθοδικώτερον proponamus, quæ hactenus dicta sunt. Theologus, si pressiùs, atq; ex usu veterum Græcorum accipias, is est, in quo divinitatis est cognitio, quemadmodum docet Gregorius Nazianzenus. Fusiore significatu, qualem usurpant nostræ Scholæ, is est theologus, cui non solùm nota sit divinitas, verùm etiā qui ea cognoscit, quæ de divinitate sunt, vel ad divinitatem spectant: ut sunt verbū Dei, fides, ecclesia, sacramentum. Itaq; theologia strictè est doctrina de Deo: latè, de omnibus rebus divinis. Utraque est Dei, Christi, beatorum, nostra, vel malorum dæmonum & hominū. Διχοτόμως sic habe. Theologia est vera, vel falsa: quę sunt duæ species sub uno genere æquivoco. Itaque theologia vera differt speciè à falsa. Theologia vera est archetypa, vel ectypa. Quæ sunt duæ species sub genere analogico. Nam theologia archetypa est infinita: ectypa finita. Theologia ectypa est Christi θεανθρώπου, vel creaturarū. Et hæc est distributio generis in species. Theologia creaturarum est vel beatorum angelorum & hominum, vel nostra. Hæc est distributio ex adjuncto, seu gradu. Theologia nostra est naturalis, vel supernaturalis. Hæc est distributio generis in species. Theologia supernaturalis est una specie: sed ex modo tradendi est positiva, infusa, vel acquisita; & hæc scholastica, practica &c. item est totalis, vel partialis, ut theologia symbolica, allegorica &c.

Θεοτόκος. DEIPARA. Est nomen Mariæ virginis. Hæc enim genuit, sive peperit, Christū, qui est verus Deus. Hunc inquam, peperit κατὰ σάρκα. Ex hac Christus, cujus egressu κατὰ τὴν θεότητα, est à diebus æternitatis, *Mich.* 5.

——— *Non labe virili*
Sumit principium, sacer illum seminat ignis,
Id est, Spiritus sanctus.

Et, ut canit *Prudentius*,

——— *Virtus divina puellam*
Sincero afflatu per viscera casta maritat.

Nimirum tota sacrosancta Trinitas formavit carnem, quam solus Filius assumsit. Hinc incarnatio tribuitur toti Trinitati *inchoativè*, soli Filio *terminativè*. Itaque Filius duo egit in mysterio ἐν σάρκου οἰκονομίας:

μίας: primò ipse unà cũ Patre & Sp.S. fuit author cõcepti fœtus *ἐκ τῶν τῆς παρθένου αἱμάτων, ἄνευ ὁμιλίας ἀνδρὸς*, ut loquitur Ignatius; ipse incrementi, conformationisque *διαπλάσιος*, ut est apud Theophylactũ: deinde ipse solus, manens quod erat, factus est quod non erat, induendo nostram carnem. Quò pertinet illud Augustini de tribus sororibus texentibus unam togam, quam sola media induit. Cęterùm Maria, ut est in hymno Petri Abelardi

Audit, & suscipit
Puella nuntium:
Credit, & concipit,
Et parit filium,
Sed admirabilem:
Consiliarium
Humani generis,
Deum & hominem,
Et patrem posteris
In pace stabilem.

Et, ut canit Sedulius:

Est dictum comitata fides, uterumque puellæ
Sidereũ mox implet onus, rerumque creator
Nascendi sub lege fuit: stupet inscia tensos
Virgo sinus, gaudetque suũ paritura parentẽ.

Θεομήτωρ. Est epitheton Mariæ apud Patres: quod eodem modo est intelligendum, ut *θεοτόκος*.

Θηριομαχεῖν. Hoc fit duobus modis. Aut enim aliquis cum bestiis pugnat in theatro: aut cum hominibus in bestias conversis. Ita *Heraclitus Ephesius epistolâ 1. ad Hermodorum* scribit: Ephesiorum cives conversos esse in bestias, quippe qui se arment in mutuas cædes, quod ne leones quidem faciant. Hinc Ephesii dicti sunt bestiæ. Atque hoc est, quod Apostolus scribit 1. *Corinth.* 15. se pugnasse Ephesi cum bestiis. Quo eodem sensu Ignatius ad Tarsenses scripsit: *ἀπὸ Συρίας μέχρι Ῥώμης θηριομαχῶ, οὐχ ὑπὸ ἀλόγων θηρίων βεβρωσκόμενος, ἀλλ᾽ ὑπ᾽ ἀνθρωπομόρφων*, *A Syriâ Romam usque cum bestiis depugno non quòd à brutis feris devorer, sed à feris humanam gerentibus formam exagiter.*

THESAURUS. Est thesaurus Dei & hominum. Thesaurus Dei est providentiæ, seu potentiæ & naturæ *Psalm.* 33. 7 & 135. 7. vel gratiæ *Matth.* 12. 35. vel gloriæ *Coloss.* 2. 3. *Luc.* 18. 22. Thesaurus hominis est corruptibilis 1. *Reg.* 7. 51.

THORAX. Hâc voce *Apocal.* 11. significatur libertas illa ad tempus tuta & inviolabilis, quâ gaudent locustæ Abaddonis, hoc est, clerici Pontificis Romani.

THRONUS. Est 1. sedes, eaque Dei *Apoc.* 1. 4. vel hominis 2. *Sam.* 3. 10. 2. angelus ipse. *Coloss* 1. 16. Rursum thronus est materialis, vel spiritualis.

TOTUS CHRISTUS, & TOTUM CHRISTI. Hæc duo ita differunt, ut illud personam Christi, hoc naturam significet. Hâc de re *Damascenus libr.* 3. *orthodoxæ fidei c.* 7. sic disserit: Totus igitur (*Christus.*) est Deus perfectus, sed non totum Deus: nam non solùm Deus, sed & homo. Et totus homo perfectus, non totum autem homo: non solùm n. homo, sed & Deus. Nam *totum* est naturæ repræsentativum: *totus* autem hypostaseos. Quemadmodũ *aliud* naturæ est; *alius* verò hypostaseos. Eandem in sententiam *Petrus Lombardus lib.* 3. *sent. distinct.* 22. *q.* 3. ait: Christus eodem tempore totus erat in sepulchro, totus in inferno, totus ubiq;: sicut & modò totus est, ubicunq; est; sed non totũ. Nec in sepulchro, nec in inferno totum erat, & si totus. Sicut Christus totus est Deus, totus homo, sed non totum: quia non so-

lùm est Deus vel homo, sed & Deus & homo. *Totum* enim ad naturam refertur, *totus* autem ad hypostasin: sicut *aliud* & *aliquid* ad naturam, *alius* verò & *aliquis* ad personam referuntur.

TOTALITER TOTUM. Est epitheton Dei. Græcè ὅλως ὅλον. Scholastici appellant totum perfectionis. Nimirum Deus non est totum, quod partes habet; sed est totum, quod omnem sive totam perfectionem possidet totaliter, seu absq; partibus.

TOHU. Est solitudo, vastitas, inanitas: quæ sc. stuporem incutit. תְּהָא Chaldæis est stupere, admirari.

TRACTUS. In Breviario Christiano Siberi hoc nomine appellatur carmē lugubre, seu oratio pœnitentialis tempore jejunii, quæ sic incipit: *Domine non secundùm peccata nostra facias nobis &c.*

TRADERE CLAVES. Hæc metaphora sæpe ad potestatem aliquam designandā valet: at non semper ejusdem generis, neque parem. Sumitur n. ista trāslatio è more communi tradēdi claves. Porrò in cōmuni vita traduntur claves, modò ut hoc symbolo declaretur & dominatio illius, qui claves accipit, & illius subjectio, qui claves tradit. Sic Regi urbem subditā ingredienti, clavis traditur: sic urbs, quę deditionem facit, claves victori tradit. Hic traditio clavium, dominationis in accipiente, subjectionis in tradēte est symbolum. Aliquando acquisitio dominii, non autem dominatio intelligitur. Sic emtori domus venditor clavem tradit: atque hujusmodi clavibus traditis, possessio tradita videtur, ut ait *Iurisconsultus lege 74. dig. de contrahenda emtione.* Aliquando neque dominatio, neq; dominium traditione clavium denotatur, sed tantùm munus aliq; aut ministerium: ut cū in repub. quæstor instituitur, qui publicam pecuniam tractet, clavis illi traditur ærarii: & paterfamiliâs cū promumcondū instituit, cellæ penuariæ clavē ei tradit. In hoc exemplo clavis traditio, ministerii symbolum est in accipiente; in tradente, herilis imperii. In superiore exemplo, indicium est publici muneris, quod accipit quæstor, ut reip. ministret: confert autem respublica penes quam est imperium & dominatio. Sicut igitur, si quis traditione baculi vel annuli, primò aliquem presbyterum instituat, deinde alii episcopatum cōferat: aut si Imperator traditione gladii constituat aliū prætorii præfectum, alium tribunum militum; symbola quidem erunt eadem, at potestates non erunt eædē, neque pares: sic symbolo traditionis claviū, uno eodemq;, potestates diversæ possunt designari & solēt. Cū igitur metaphorica hæc locutio modò majorē, modò minorem potestatē denotet, q̄ritur, cujus sint potestatis symbola claves Petro datæ à Domino *Matth.* 16. Baronius ait supremi dominii in ecclesiā: Bellarminus summæ potestatis in ecclesiā. Uterq; errat. Hæc n. potestas soli Christo est propria, & est verè inexplicabilis quædam plenitudo potestatis. Itaq; Petri claves nihil aliud sunt, nisi potestas ligandi & solvendi vincula peccatorum in nomine Christi: neque ea Petro fuit propria, sed omnium Apostolorum communis: imò communis fuit semper, & hodieque est omnium legitimorum pastorum, ut ait *Theophylactus super Matth.* 16. Verba ipsius vide supra ad tit. CLAVES REGNI COELORUM.

TRADITIO. Patres nomine Traditionis aliquando significant doctrinam in ecclesia primitiva receptam, quam Apostoli

stoli tradiderunt, quæque in illorum scriptis exprimitur. *Cyprian. epist. 74. ad Pompejum:* Si aut in Evangelio præcipitur, aut in Apostolorum epistolis aut actibus cõtinetur, ut à quacunq; hæresi venientes non baptizentur, sed tantùm manus illis imponantur, in pœnitentiam; observetur divina hæc & sancta traditio. *Idem*, ut Hydroparastatarum sive Aquariorum errorem, quem in S. cœnæ administratione committebant, in melius reformaret; Pauli exemplo eos revocavit ad Evangelicæ veritatis ac Dominicæ traditionis rationem: *ne*, inquit, *ab eo quod Christus magister, & præcepit, & gessit, novella institutione decederent. Hæc radix atque origo est traditionis Dominicæ, ad quam est revertendum, ne aliud fiat à nobis, quàm quod pro nobis Dominus prior fecerit.* Deinde traditionem non-scriptam aliquando vocant, quæ non quidem verbis Scripturæ, sed tamen sensu continetur. Huc referuntur omnia, quæ ex Scripturis colliguntur per analogiam seu bonam consequentiam. Sic *Origenes in Rom. 6. & Augustinus lib. 4. contra Donatistas cap. 4. itẽ de Genesi ad literã li. 10. c. 23.* pædobaptismum appellant traditionem Apostolicam. Hoc itaque modo traditio est non scripta quidem verbis, scripta tamen sensu & fundamento. Proinde eadem traditio poterit esse scripta, & non scripta. Scripta sensu: non scripta verbis. Tertiò traditionis nomine consuetudines ecclesiasticæ de rebus liberis, seu ritibus ecclesiasticis, pertinentibus ad decorum & politiam ecclesiæ. Appellantur autem hæ traditiones *Apostolicæ κατ' ἔπαινον.* Sic *Hieronymus epist. ad Lucinium*: Unaquæque, *inquit*, provincia, præcepta majorum leges Apostolicas interpretetur. Quanquam hæc traditio non unius est generis. Alia enim est originalis & universalis, alia recentior & particularis. Traditio originalis & universalis est, quæ à principio nascentis ecclesiæ viguit: cujusmodi erat consuetudo illa, quam tuetur Augustinus libris de baptismo contra Donatistas; ac propterea consuetudinem originalem appellat initio libri 6. Atque hæc quidem est prima conditio, ob quam traditio ista appellatur originalis. Deinde requiritur, ut ubique in ecclesia catholica obtinuerit, idque semper, *non interrupta serie temporum, certa connexionis successione*, ut loquitur Augustinus contra Faustũ Manichæum lib. 28. Præclarè enim & verè Julius Rugerius, Papæ Protonotarius, in opusculo de libris canonicis, & apocryphis, pronuntiat, *Traditionem nullam ullius esse ponderis, nisi nullis temporum intercapedinibus interruptam ab Apostolorum usque temporibus. Inde enim necessum esse traditionem manare.* Et lippis atque tonsoribus notum est illud Augustini: *Quod universa tenet ecclesia, nec Conciliis institutum, sed semper retentum est, nonnisi apostolica authoritate traditum, rectissimè creditur.* Traditio recentior & particularis, si accommodata sit genio loci & temporis, suum habet pretium. Loquitur autem adhuc de traditionibus ritualibus. Ad extremum traditiones dogmaticæ, quæ sunt præter, extra vel contra Scripturam, nullius sunt mométi. Cũ enim Scriptura sit omnibus numeris perfecta, non indiget aliquo supplemento vel mantissa. Hujusmodi traditionibus quidam Patres indulserunt: ut *Iustinus*, qui in dialogo cum Tryphone errorem Chiliastarum defendit authoritate traditionis Apostolicæ. Sic *Irenæus* scribit, CHRISTUM vixisse annos 50, & ait se hoc traditione ab Apostolis accepisse.

Tertullianus quoque, Montanista factus, prophetiis & traditionibus addictus fuit. *Clemens Alexandrinus lib.1.Strom.* ait operarios Dei habere duplicem agriculturam, scriptam & non-scriptam. Sic *Eusebius de prepar.evang.l.1.c.8.* docet, Apostolos quędam scriptis, quædam sine literis observanda tradidisse, & excellētiora quædam perfectis reservasse. Sed hîc meritò usurpatur illud vetus: *οὐ μανθάνω.*

Traho. Trahit 1. homo, vel alia creatura 2.*Sam.*17.13. 2. Deus: & quidem Pater *Ioh. 6. 44.* & Filius, sponsus ecclesiæ *Cant.1.4. Ioh.12. 32.* Cæterùm Pater nos trahit ad Christum, quando ex nolentibus facit volentes. Quæ gratia est vis suavissima, eaque irresistibilis. Filius nos trahit, quando ex nolentibus volentes factos magis magisque ad se allicit. Ergo tractus Patris est primus & antecedens, Filii secundus & conseqeens: uterque amoris & suavitatis plenus.

Transubstantiatio. Hæc à sophistis in cœnam Domini est introducta, & solet appellari μετουσίωσις, μεταστοιχείωσις μεταποίησις, καὶ μεταμόρφωσις. Sanè est aliqua mutatio elementorum in sacra eucharistia, sed nō substantiæ, verùm officii, usus, & vocationis, ut loquitur Irenæus. Itaque panis eucharisticus est corpus Christi, non per transubstantiationē, sed per cœlestem vocationem, adeoque ἀτρεκῶς καὶ τῷ ὄντι. Nam

Intus Christus adest, & inobservabile Numē.

Quod attinet ad vocabulum Trāsubstātiationis, illud heri & nudiustertius natum, ecclesiæ funestum fuit.

Transfiguratio. Est 1. gloriosa Christi apparitio *Matth.* 17.2. *Marc.* 9.2. 2. dolosa Satanæ & malorum hominum deceptio. 2.*Cor.*11.*v.*13.14.15.

Τριάς. In doctrina de Deo hęc vox notat personarum Trinitatē. Quidam vertunt triplicitatem: non satis commodè. Etsi enim *Gregorius Nazianzenus* de sacrosancta Trinitate ait, διαιρεῖται ἀδιαιρέτως, καὶ συνάπτεται διῃρημένως, hoc est, Pater, Filius & Spiritus sanctus unus De⁹ est individuè partitus, & dividuè conjunctus: tamen illa διαίρεσις non est intelligenda nisi logicè. Nam μονὰς ἐν τριάδι, καὶ τριὰς ἐν μονάδι sic est veneranda, ut est in symbolo Athanasii, ut nulla ibi cogitetur separatio. Rectiùs itaque vertitur vox τριὰς, *trina unitas, trinitas, & unitas in tribus perfecta.* Nam, ut canit Julius Scaliger,

Est trinus, & unus Deus omnium creator:
Solus & author bonus omnium bonorum.

Et, ut Prudentius canit:

Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus.

In hymno Ambrosii hæc leguntur:

Summa Deus clementia,
Mundique factor machina,
Vnus potentialiter,
Trinusque personaliter. (*naturâ.*

Ubi τὸ *potentialiter* est idem, quod οὐσίᾳ,

In alio ejusdem hymno sic canitur:

O lux beata Trinitas,
Et principalis unitas.

Trias ista ὑπεράρρητος καὶ ὁμούσιος ita describitur à Patribus. *Pater* est infectus, innatus, ut loquitur Tertullianus: verbigena, & verbisator, ut Prudentius: ἀγέννητός τε καὶ γεννῶν: qui sicut nunquam non fuit Deus, ita nunquam non fuit Pater. *Filius*, λόγος, Patris primogenitus, ut ante omnia, & unigenitus, ut solus ex Deo, delapsus in virginem, natus est, homo Deo mistus, ut loquitur Tertullianus: ut, qui erat in divinitatę Dei Patris Filius,

Filius, ipse fieret in humanitate hominis filius. *Spiritus sanctus*, τὸ ἅγιον πνεῦμα, ex Patre & Filio ἐκπορευτὸν, καὶ ἐκπορευόμενον εἰς καρδίας ἡμῶν

Quo manat de fonte boni, & fluit omnis origo.

Addamus plura piæ antiquitatis hoc de mysterio testimonia, & veluti sententias vermiculatas. οὐκ ἦν, ὅτι ἦν ὁ Θεὸς ἄλογος, *Deus absque Verbo nunquam fuit*, Damasc.

——— *Personis stat tribus unus apex.* Fort.

Οὔτε ἐνέλειψε ποτὲ τῷ πατρὶ λόγος, οὔτε τῷ λόγῳ πνεῦμα, *Nunquam Patri Verbum, neque* Verbo *Spiritus deest*, Damasc. Πνεῦμα ἐκ τοῦ πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ ἐν τῷ υἱῷ ἀναπαυόμενον, *Spiritus ex Patre procedens, & requiescens in Filio*. Idem. Filius Paulino dicitur

——— *per omnia cum Patre concors.*

Sedulio ——— *in genitore manens.*

Scaliger de Spiritu sancto:

Deus unus, & unus Spiritus in nato natique parente

Qui semper eras, & semper eris.

In prosa, quæ canitur dominicâ Trinitatis; *Pater, Filius, sanctus Spiritus, tria sunt nomina, omnia eadem substantia.* Hic intelliguntur nomina ὑποστατικά. Ibidem: *Proprietas in personis, unitas in essentia.* Intelligitur τὸ ἰδιάζον ἀκοινώνητον. Capitius ita canit:

Ex Patre ipsa Dei Mens, sanctusque ex utroq;
Spiritus, est qui una Patris, Natique voluntas.

Arator:

Quòd Pater, & Natus, quòd sanctus Spiritus unus
Sint Deus & numerum triplicet substantia simplex.

Victorii prosa elegantissima:

Profitentes Unitatem
Veneremur Trinitatem
Pari reverentiâ.
Tres personas asserentes,
Personali differentes
A se differentiâ.
Hæc dicuntur relativè,
Cùm sint unum substantivè,
Non tria principia.
Sive dicas tres, seu tria,
Simplex tamen est usia:
Non triplex essentia.
Simplex esse, simplex posse,
Simplex velle, simplex nosse,
Cuncta sunt simplicia.
Non unius, quàm duarum,
Sive trium personarum
Minor efficacia.
Pater, proles, sacrum flamen
Deus unus, sed hi tamen
Habent quadam propria.
Vna virtus, unum numen,
Vnus splendor, unum lumen,
Hoc una, quod alia.
Patri proles est æqualis,
Nec hoc tollit personalis
Amborum distinctio:
Patri compar, Filioq;
Spiritalis ab utroque
Procedit connexio.
Non humana ratione
Capi possunt hæ personæ,
Nec harum discretio.
Non hîc ordo temporalis,
Non hîc situs, aut localis
Rerum circumscriptio.
Nil in Deo, præter Deum,
Nulla causa præter eum,
Qui causat causalia.
Effectiva, vel formalis,
Causa Deus, & finalis,
Sed nunquam materia.
Dignè loqui de personis

Vim transcendit rationis,
Excedit ingenia.
Quid sit gigni, quid processus,
Me nescire sum professus:
Sed fide non dubiâ.
Qui sic credit, ne festinet,
Et à viâ non declinet,
Insolenter regiâ:
Servet fidem, servet mores,
Nec declinet ad errores,
Quos damnat ecclesia.
Nos in fide gloriemur,
Nos in una modulemur
Fidei constantia.
Trina sit laus Unitati,
Sit & simpla Trinitati.
Coæterna gloria. Amen.

Nota. Quod hîc dicitur, Deū esse causam formalem, accipiendum est de causa exemplari. *Basilius* ita describit personas SS. Trinitatis: προκαταρκτικὴ αἰτία τῶν γινομένων, ὁ πατὴρ. δημιουργικὴ, ὁ υἱός. τελειωτικὴ, τὸ πνεῦμα ἅγιον. *Bernhardus* hanc doctrinam ita commendat: Inquirere de Trinitate perversa curiositas est: credere, & tenere sicut sancta ecclesia tenet, fides & securitas est: videre autem eam sicuti est, perfecta & summa felicitas est. *Ignatius epist.6. ad Philipp.* ait: εἷς ἀγέννητος ὁ θεὸς καὶ πατὴρ, καὶ εἷς μονογενὴς υἱὸς, θεὸς λόγος καὶ ἄνθρωπος, καὶ εἷς παράκλητος τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας.

TRIPLEX MUNDI MACHINA. Hæc verba leguntur in hymno *Adesto sancta Trinitas*: leguntur, inquam, hoc modo:

Te cœlorum militia
Laudat, adorat, prædicat,
Triplexq; mundi machina
Benedicit per secula.

Siberus interpretatur cœlum, terram, & inferos. Sed quomodo inferi laudāt Deū? Videtur intelligi Europa, Asia, & Africa quæ tres partes olim tantùm fuerunt cognitæ.

TRISTEGA. Est tertiana mansio apud vet. interpr. *Gen.6.16. Ezech.42.6.*

TRISTITIA. Est duplex 1. secundùm mundum, sive κατ' ἄνθρωπον; & hæc est noxia. 2. κατὰ θεὸν, *secundùm Deum*; & hæc est bona. 2. *Cor.7.10.*

Τρισάγιον. TRISANCTUM. In veteri ecclesia formula illa δοξολογίας, *collaudationis*, Sanctus, Sanctus, Sanctus, ex *Esa.6.v.3.* vel ter iterabatur, vel terter. De quo notatu digna sunt verba Damasceni lib. de Trisagio ἐπειδὴ τὸν Τρισάγιον ὕμνον ἐν ταῖς συνήθεσιν εὐχαῖς τρίτον φαμὲν, ἄξιον καὶ περὶ τούτου διαλαβεῖν ὅτι περ οὐχ ἅπαξ τῷ Πατρὶ, καὶ ἅπαξ τῷ Υἱῷ, καὶ ἅπαξ τῷ Ἁγίῳ Πνεύματι τὸν Τρισάγιον ὕμνον προσάγομεν. ἀλλὰ κοινῶς τῇ ἁγίᾳ Τριάδι τὸν Τρισάγιον ὕμνον προσφέρομεν, *Quia ter sanctum hymnum in consuetis precationibus tertiò dicimus, operæ pretium est & de hoc dispicere: quòd non semel Patri, & semel Filio, & semel Spiritui S. ter-sanctum hymnum adducimus, sed communiter S. Trinitati ter-sanctum hymnum offerimus.* Vide Germani Patriarchæ Constantinopolitani Theoriam mysticam. De additione illâ ad Trisagion, *sanctus Deus. sanctus fortis. sanctus immortalis, miserere nobis*, vide Damascenum 3. de orth fide c.10 Verba Græca ita sonant: Ἅγιος ὁ θεὸς, ἅγιος ἰσχυρὸς, ἅγιος ἀθάνατος, ἐλέησον ἡμᾶς. Primum ἅγιος ad Patrem, secundum ad Filium, tertium ad Spiritum s. referebatur.

TROPOLOGIA. Est 1. sermo de tropis. 2. sermo tropicus. 3. sermo de moribus, cùm aliquis Scripturæ locus ad mores conformandos traducitur. Vulgo dicitur tropologicus Scripturæ sensus.

TUBÆ. Tubarum duplex est usus inter homi-

homines. Sunt enim instrumenta furoris bellici, per quem nempe viri & equi ad pugnam incitantur & inflammantur. Deinde eædem ad profanum aularum fastũ adhibentur. Atque hæc causa est, quòd in Apocalypsi plagæ secundi ordinis per tubas significantur. Habent nempe tubæ istæ mysticæ indicium iræ Dei effervescẽtis, & permittentis, ut ecclesia ambitiosorum ingeniorum certaminibus cõtendendiq; libidine molestetur. Intelligendi itaque hîc sunt turbulenti illi motus & seditiosæ contentiones, quibus ecclesia, post erectum & confirmatum Papatum, per aliquot secula gravissimè perturbata est, ab anno Christi 606. usque ad 1517.

Τρόπος ὑπάρξεως. Est modus subsistẽdi. Sic ex Damasceno dicimus Patrem, Filium, & Spiritum S. differre τρόπῳ ὑπάρξεως.

Τροποφορεῖν. Et paterna lenitate & indulgentia aliquem ferre. *Act.* 13.18. Hesychius vertit τρέφειν, nutrire. Quæ quidem explicatio consentit cum versione LXX. *Deut.* 1.31. *Neh.* 9.21. Sed Budæus illud *Ciceronis ad Atticum ep.* 29. *l.* 13. τὸν τῦφον μου πρὸς θεῶν τροποφόρησον, sic exponit: Morem gere, indulge, accommoda patientiam: indulge ambitioni meæ insanæ & insolenti, vel elationi meæ.

Τράπεζα Κυρίου. Apostolus 1. *Cor.* 10.21. eucharistiam appellat mensam Domini. Et Patres crebrò sic appellant. Sunt & alia hujus mensæ epitheta apud ipsos: putà ἐπουράνιος τράπεζα *cœlestis mensa*, in Liturgia, quæ Jacobi nomen præfert: τράπεζα ἱερὰ, *mensa sacra*, apud Chrysostomum homil. separata in verba Pauli 1. *Cor.* 10.1. Apud eundem μυστικὴ τράπεζα, *mystica mensa*, tom. 5. Savil. pag. 367. & alibi sæpe: item τράπεζα ἡ φρικώδης, *mensa terribilis*, Chrysost. homil. in verba Pauli, Oportet hæreses esse: denique τράπεζα λογικὴ & πνευματικὴ, *mensa rationalis & spiritualis.* Quanquam mensa spiritualis etiam occurrit de prædicatione verbi.

Triteuchus. Est liber continens tria volumina, ut volumen Josuæ, Judicum & Ruthæ.

Typus. Apud theologos est figura rei futuræ, sacramentum seu similitudo divinitùs præmonstrata, quæ etiam aliquando antitypus, seu ἀντίτυπον, dicitur. Alioqui antitypus est figura figuræ respondẽs, ut baptismus circumcisioni, eucharistia agno paschali. Papias ait: *Typus est prophetia in rebus, secundùm quod res esse noscuntur.* Inter oẽs autem typos V. T. excellunt illi, qui Christũ præfigurarunt. De oraculis idem judicium. Hac de re teneatur iste typus.

Christus in V. T. fuit prænuntiatus

- Typis, seu figuris & umbris; sunt
  - Res ut
    - Arbor vitæ. *Gen.2. Apoc.2.v.7.*
    - Agnus paschalis, *Exod.12. 1.Cor.5.v.7.*
    - Serpens æneus, *Num.21. Ioh.3 v.14.*
    - Altare. *Exod.27.v.1. & c.3.v.1. Hebr.13.v.10.*
    - Victimæ. *Levit.1.v.3. Heb.9 v.8.*
    - Arca cum propitiatorio. *Exod.25. vers.20. Rom.3.v.25.*
    - Templum. *1.Reg.8. Iohan.2.v.21.*
  - Personæ:
    - Adam. *Rom.5.v.14.*
    - Sacerdotes: ut Melchisedec. *Hebr.* (5. & 7.
    - Duces: ut Moses & Josua.
    - Reges: ut David, Salomon.
    - Prophetæ: ut Jonas.
    - Nazitæi: ut Simson.
  - Rerũ & personarum.
    - Evẽta
      - Mactatio & esus agni paschalis.
      - Exaltatio serpentis in deserto.
      - Immolatio victimarum.
      - Davidis exilium & regnum.
      - Salomonis sapientia & majestas.
      - Jonæ ejectio in mare, conservatio, & liberatio.
      - Simsonis proditio & mors.
    - Facta
      - Ingressus Põtificis in sanctuarium cum sanguine.
      - Mosis intercessio.
      - Josuæ victoriæ.
      - Davidis fiducia, preces, victoriæ.
      - Ædificatio templi Salomonis.
- Oraculis, h.e. ꝓmissionib⁹ & prędictionib. de Messia: ubi occurrit oraculorum
  - Materia. Sunt enim ista oracula de Christi
    - Deitate. *Es.9. Ier.23.*
    - Humanitate. *Esa 7.*
    - Passione, morte, & resurrectione. *Genes.3. Psal.22. Esa.53.*
    - Officio & beneficiis. *Esa.11. & 53. Ezec.34.*
    - Regno æterno. *2.Sam.7. Psal.45.69. Esa.9.*
  - Species seu varietas. Sunt enim hæc oracula.
    - Simplicia & absoluta, h.e. nullis typis involuta: ut sunt omnes directæ, expressæ, & claræ promissiones & prędictiones de Christo. *Genes.49. Esa.7.9.53. Ier.23. Mich.5. Zach.9. Deut.18.*
    - Typica, quæ sunt edita
      - A typis. *Ps.2.16.22.40.45.*
      - De typis. *Exod.12. 2.Sam.7. Ps.72.*

Porrò

Portò oracula typica non sunt unius generis. Nam

- Alia sunt
  - Simplicia: quæ habent impletioné in solo Christo. Ea dijudicantur
    - Historiæ evidentiâ: quòd res ipsa in nullum alium competat. *Psal.* 16. *Act.* 2. *&* 13. Solus Christus corruptionem non vidit.
    - Attributorum excellentiâ & majestate: ut solus Christus habet regnum universale & æternum. *Psal.* 2. 8. 45. 72. 2. *Sam.* 7.
  - Composita; quæ Christo & typo convenientia, geminá habent impletionem, adeoque
    - Significatam, veram, & perfectam in CHRISTO:
      - eamque
        - literalem
        - figuratam
        - anagogicam.
    - Significantem, typicam, & imperfectam, in typis, eamque
      - literalem
      - figuralem.

- Oracula composita, impleta sunt vel
  - Literaliter in CHRISTO & typo
    - Os non fractum. *Exod.* 12. *Ioh.* 19.
    - Agnus immaculatus. *Exod.* 12. 1. *Pet.* 1.
    - Serpens exaltatus. *Num.* 21. *Ioh.* 3.
    - Deus mi cur dereliquisti me? *Psal.* 22. *Matth.* 27.
  - Literaliter in Christo, figuratè in typo.
    - Foderunt manus, diviserunt vestimenta. *Psal.* 22. *Matth.* 27.
    - Posuerunt acetum. *Psal.* 69. *Ioh.* 19.
    - Loquar in parabolis. *Psal.* 78. *Matth.* 13.
  - Anagogicè in Christo, literaliter in typo.
    - Ædificabit mihi domum. 2. *Sam.* 7.
    - Conteret eos virgâ ferreâ. *Psal.* 2. *Apoc.* 2.
  - Figuratè in Christo & in typo
    - Comedens panem meum. *Psal.* 10. *Ioh.* 13.
    - Lapis, quem reprobarunt. *Psal.* 118. *Matth.* 21.

Triclinium. Est 1. conclave habens tres *κλίνας*, tres lectos, scil. discubitorios. Erant enim multi *οἶκοι* triclini, ubi tres lecti; multi tetraclini, ubi quator lecti; item pentaclini, ubi quinque; hexaclini, ubi sex; & ita deinceps. Nam *δεκακλίνους οἴκους*, *ἑξηκοντακλίνους*, *ἑκατοντακλίνους*, ubi decem, sexaginta & centum lecti in historiis Græcorum occurrunt. 2. lecti terni contigui circum tres mensas appositi dicuntur triclinium. 3. ipsum etiam cœnaculum, seu palatium. Quo sensu R. Jacob in Pirke Abhoth eleganter ait: *Seculum hoc simile est vestibulo ante seculum venturum: para te in vestibulo, ut ingrediaris in* טרקלין *i.e. triclinium, seu palatium.*

Uchal. Hoc nomen occurrit *Proverb.* 30. *v.* 1. & est factum à verbo, quod significat *posse*, ita ut *Uchal* sit idem, quod *potero*. Hoc est nomen Christi, ut & *Ithiel*, eodem in loco: ita ut his duabus appellationibus moneamur de nostri sanctificatione per Dei præsentiã & potentiam infinitã in Christo: prout quinq; sequentibus versib. d. l. exponit. Vide tit. Ithiel.

Vade post me Satana. Ita Christus alloquitur Petrum *Matth.* 16. Hæc verba lucem accipiunt ex 2. *Sam.* 19. 22. ubi David repudians consilium de occidendo Semei, ut hîc Dominus consilium Petri de non subeunda morte, ait: *Quid mihi est vobiscum filii Sarviæ? Cur efficimini mihi hodiè* לשטן *in Satan?* Ex quo apparet instar proverbii esse, soliti de eo usurpari, qui malũ & perniciosum daret consilium, faciens in eo officium veri Satanæ, i.e. adversarii & inimici. Iccircò apud Chrysostomum Dominus ita Petrum alloquitur: *Ego tibi dico, ut ipse non patiar, consilium id esse Diaboli.* Et Ruffinus in benedictione Dan, ait Petrum cùm hæc dicebat, *non rectè equitasse in fide*, h. e. peccasse in fide. Et eleganter Jansenius ait, *Petrum revera egisse Satanam revocando à jussis Dei.* Errant itaque Petro Zelotæ, qui negant aliquid hîc à Petro esse peccatum.

Veniale. Vet. vocab. Cathol. *Veniale dicitur tripliciter: ex genere, ut verbum otiosum: ex causa, ut quod ex infirmitate vel ignorantia geritur: quod excusationem quandam habet: ex eventu, sic culpam præcedentem mortalem confessio sequens facit venialem.* Hæc valent in foro soli, non verò in foro poli. Hîc enim veniam meritus est Christus.

Venter. Est 1. hominis vel bestiæ. *Genes.* 25. 25 *Levit.* 3. 10. 2. voracitatis, ebrietatis, omnisque intemperantiæ & luxuriosæ vitæ studium. *Rom.* 16. 18. *Philip.* 3. 19. 3. homo intemperantiæ deditus. *Tit.* 1. 12. 4. mysticus venter. *Cant.* 5. *v.* 4. 14. *&* 7. 2. *Iohan.* 7. 38.

Ventilabrum. Propriè est instrumentum mechanicum. Impropriè significat 1. hostes ecclesiæ, quibus Deus utitur tanquam ventilabris. *Ier.* 15. 7. 2. doctrinam evangelii. *Matth.* 3. 12. *Luc.* 3. 17.

Verbum. Hoc nomen inter alia significat Christũ, qui dicitur *Verbum* κατ' ἐξοχὴν & *Verbum Patris*, nõ quòd sit διάθεσις, id est, propositũ; aut idea, & forma in divina mente: sed quia est λόγος ἐνυπόστατος, persona Trinæ unitatis secunda, & λόγος ὁ πατρὸς πρὸς ἡμᾶς, id est orator Patris ad nos. Vide suprà titul. Λόγος, & paulò post *Verbum scriptum*. Porrò Verbum Dei est internum & æternum, vel externum. Illud est vel essentiale, ut conceptus Dei: vel personale, ut Filius Dei: hoc est vel imperativum, ut in creatione

tione *Genes.* 1. vel enuntiativum sive systematicum, ut lex & evangelium.

VERBUM REI & RES VERBI. Tritum est in scholis theologicis: *Fides intuetur in verbum rei; spes in rem verbi.* Verbum rei nominant promissiones; Rem verbi res promissas, seu bona spiritualia & corporalia.

VERBUM SCRIPTUM ET NON-SCRIPTUM. Hæc duo Judæi & Papistæ opponunt, ea ratione ut hoc illi apponant, & huic contra illud directorium attribuant. Et hoc quidem Rabbini בעל-פה q.d. oralem traditionem vocant, in quo verum intellectum canonis scripti explicari contendunt, quod propterea nō minori pietatis affectu ab omnibus generosè Judaizantibus acceptari volunt, quàm canonem scriptum. Hoc etiam verbū non-scriptū סייג של תורה i.e. sepem legis divinæ vocant, dictitantes per eam verbum Dei scriptum ab extra ceu per aggestos aggeres muniri & dilatari: cujus summam tandem in Talmud scripto comprehensam esse dicunt, propter periculum, quod huic orali thesauro ex dissipatione hujus gentis metuendum erat. Pontificii verò hanc eandem legem non scriptam, tanquam hujus consobrinam, modò *sensum ecclesiæ*, modò *perpetuam consuetudinem & praxin ecclesiæ Catholicæ*, modò *traditiones Patrum*, modò *pectoris Pontificii motus proprios, quando nimirum is cum diligentia agit*, vocant. Et hoc verbum non-scriptum similiter eodem pietatis affectu recipiendum & prosequendum imperant, quo verbum Dei scriptum. Verùm enimverò hoc Judæorum & Pontificiorum verbum non-scriptum non est à Christo obsignatum, sed pertinet ad mandata hominum, contra quæ graviter detonat Esaias *cap.* 29. 13. 14. Porrò verbum Dei appellatur etiam verbum Christi, evangelii, fœderis, Mosis, prophetarum, apostolorum, nempe ex præscripto Dei loquentium. In Concordant. Lat. vulg. vers. sic inter alia adnotatur: *Verbum* λόγος, *Dei Filius*, *Sapientia Patris seu Patris interpres: ille item de quo locutus est Deus*, *& quem ecclesiæ suæ servatorem promisit atque exhibuit.*

VERBA DIERUM. Sunt añales, Chronica. 1. *Reg.* 14. 19. *&* 15. *v.* 7. 23. 31. *&* 16. *aliquoties.*

VELAMEN MOSIS. De hoc Sedulius ita canit:

——— lex velamine Mosis
Tecta diu; Christo nobis veniente patescit.

Nam Christus est πλήρωσις καὶ ἀναίρεσις τοῦ νόμου. De velamine Mosis vide 2. *Cor* 3. *v.* 15. 16. ubi apostolus exponit allegoriā velaminis Mosis, hoc est, quod Moses injiciebat super faciem suam. Velamen istud fuit symbolum obscuritatis & imbecillitatis hominum, qui legis fulgore hebetantur potiùs quàm illustrantur; quod velamē adventu Christi, corda illustrantis & ad Dominum convertentis, sublatum est, ut ab ista cæcitatis servitute in lucis libertatem per virtutē Spiritus Christi asseramur.

VESPERÆ DUÆ. Agnus paschalis inter duas vesperas erat immolandus. *Exod.* 12. 6. Id est intervallū inter oblationem vespertinam & solem occasum. Vespertinū autem sacrificium obiri solebat ab hora nona, id est, tertia exactâ post meridiem. Ergo duplex est vespera, seu ὀψίαι prior inclinantis solis, seu oblationis vespertinæ; altera occidentis solis & horizontem subeuntis. Illam Græci vocant δείλην πρωΐαν & ὀψίαν: hanc ὀψίαν δείλην.

VESPERÆ

VESPERE SABBATI QUÆ LUCESCIT IN PRIMAM SABBATI. Sensus est: In fine sabbati, sive transacto sabbato. Confer Matth. 28. & Marc. 16.

VESTIGIUM. Scholastici distinguunt inter vestigium & imaginem, tanquam interminus & majus. Nam omnibus creaturis DEUS impressit sui vestigium, at non imaginem: Quippe quæ in angelis & homine tantùm cernitur.

VESTES SCINDERE. Moris erat apud Judæos rumpere ad ostendendum ingentem animi dolorem & indignationem. 1. in funere & luctu. 2. in blasphemiis & conviciis in Deum. 2. *Reg.* 18. *Matt.* 26. *v.* 65. *Act.* 14. *v.* 14. 3. in clade & calamitate publica vel privata. *Exod.* 4. 1.

VESTES CHRISTI. Christus duas tantùm vestes & cùm ivit ad crucem, & cæterâ etiam vita gestavit: videl. pallium, & tunicam. Ex his pallium nunc ἱμάτιον, nunc plurali voce ἱμάτια appellatur.

VIGILIA. Et νυχθήμερον, & nox dividebantur ab Hebræis in vigilias. Νυχθήμερον quidem in quatuor. Prima vigilia erat à vespere, secunda à media nocte, tertia à manè, quarta à meridie. *Scalig. lib.* 1. *de emend. temp.* Nox autem in tres vigilias fuit divisa. *Schindlerus in lexic.*

VIATICUM. Patres baptismum & S. cœnam appellant ἐφόδια, *viatica*, q. d. viæ subsidia. Nam hæc vita stilo Scripturarum via quædam est.

VIA. Veteres constituunt triplicem viam perveniendi ad Deum: videl. purgativam, illuminativam, & unitivam. Quantum ad *viam purgativam* quinque sunt illius gradus, per quos ascendendum est, ut plenè anima purgetur. Primus gradus est concipere magnum peccatorum odium: secundus, viriliter certare contra omnes tentationes, ne in priora peccata recidamus: tertius, est quotidianus progressus in via spirituali, quo vim nobis faciendo expellimus tepiditatem: quartus, est extirpatio malorum habituum: quintus, mortificatio passionum per abnegationem sui ipsius. *Via illuminativa* consistit in virtutum exercitatione. *Via unitiva* est, qua homo cum Deo perfectæ charitatis vinculo conjungitur per conformationẽ cum voluntate Dei, per excessum & abstractionem mentis, per suspirium ad Deum, per passionem mysticam, qua Deum libenter patimur. Media ad hanc perfectionem necessaria sunt tum interna, ut gratia Dei, oratio, examen, discretio spirituum, & electio: tum externa, ut lectio sacra, recessus, solitudo, eucharistiæ frequens perceptio &c.

VIATORES. Sic appellantur filii Dei, quamdiu peregrinantur in hac miseriarum valle. Eleganter Siberus ad illud Thomæ Aquinatis

Ecce panis angelorum
Factus cibus viatorum:

Sic adnotat: Viatores sunt, qui ut Hebræi solitudines Arabiæ, deserta hujus mundi peragrant. *Bonaventura in prologo Breviloquii de theologia positiva* ait: Cùm secundùm lumen supernaturale procedat ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem, partim per plana verba, partim per mystica, describit totius universi continentiam, quasi in quadam summa. De his viatoribus pronuntiant Scholastici, illis notam esse divinitatem, quatenus in ænigmate cognosci potest. Quæ phrasis desumta est ex 1. *Cor.* 13. *v.* 12. *Cernimus enim nunc per speculum, & per ænigma.*

Unde

Unde hujusmodi cognitio à quibusdam appellatur *specularis & ænigmatica*. Porrò viatoribus opponuntur *cõprehensores*, i.e homines beati qui sunt in statu patriæ seu vitæ æternæ. Hæc vox itidem desumta est. ex 1. *Cor*. 9. Nã parte posteriore versus 12. dicit apostolus κατ' ἀντίθεσιν: *Nunc cognosco ex parte, tunc verò cognoscam prout cognitus fuero*. Non tamen est existimandum beatos dici comprehensores, quòd τὸ ἀκατάληπτον τοῦ θεοῦ comprehendant. Hoc enim à creatura non potest comprehendi. Unde in Scholis elegãter distinguunt cognitionem in comprehensivam, & apprehensivam. Illa Deus non potest cognosci ab ulla creatura: hac potest, sed ita ut sint quidam ipsius gradus, è quibus supremus respectu reliquorum dicitur cõprehensivus. Itaque comprehensores dicuntur in sensu comparato: vel certè, quòd jam comprehenderint τὸ βραβεῖον. ex 1. *Corinth*. 9. Sic currite, ut comprehendatis.

VIGINTI QUATUOR SENIORES. Per hos in Apocalypsi *cap*. 4. quidam intelligunt veteris illibati Canonis totidem libros, ut quidem illi vulgò ab Hebræis numerantur, qui propterea Canonem Biblicum veteris Testamenti usitatissimè etiamnum ex vetustissima majorum consuetudine non aliter quàm עשרים וארבעה i. e. *Viginti quatuor*, vocant. Ad quem vulgarem morem Johannes respexisse putatur. Per *quatuor animalia* iidem intelligunt quatuor evangelistas, & rursus per quatuor evangelistas synecdochicè totum novi fœderis canonem.

VINCO. Vincit 1. Deus *Psal*. 51. 6. *Rom*. 3. 4. 2. Christus. *Iohan*. 16. 33. *Apoc*. 3. 21. & 5. 5. & 6. 2. & 17. 14. 3. vincunt pii armis spiritualibus pugnantes *Rom*. 12. 21. 1. *Ioh*. 2. 13. *c*. 4. 4. *c*. 5. *v*. 4. 5. *Apoc*. 2. 7. 11. 17. 26. & 3. *v*. 5. 12. 21. 4. vincit bestia mystica *Apoc*. 11. 7. & 13. 7. 5. vincunt homines armis materialibus, divino favore fultis. 6. vincunt, i.e. superant, impii sceleribus, numero &c. *Ezech*. 16. *v*. 51. 52.

VINCULUM. Est 1. instrumentũ quodcunque, quo homo vel aliud quippiam detinetur & trahitur. 2. ipsa captivitas. 3. lex, jus, doctrina. *Ps*. 2. 3. *Ier*. 2. 20. & 5. 5. 4. obligatio conjugii *Ruth*. 1. 12. & fœderis *Ezech*. 28. 37.

VINDICTA. Est Dei, vel hominis: & hæc, publica vel privata; illa est legitima, vel secus; hæc semper illegitima.

VIR DESIDERABILIUM. Hoc elogio insignitur Daniel *cap*. 9. 23. Hebraicè איש חמודות. Quã appellatione ista tria significantur. 1. Vir desideratissimus. 2. Vir, cujus studia versantur circa res desiderabiles, cujusmodi sunt mysteria salutis de Christo, de ecclesia, de providẽtia Dei &c. 3. Vir, cui omnia desiderabilia & expetenda, revelata & communicata sunt. Quæ verò sunt ista *desiderabilia*? Resp. Illa, quæ parentes nostri in paradiso amiserunt, quæque nobis denuò cõmunicantur à Christo & in Christo. Desiderabilia ista doctrinæ evangelicæ sunt remedium contra desiderium mulieris, quo fructum arboris appetiit. Nimirum arbor scientiæ boni & mali videbatur mulieri esse *desiderabilis* נֶחְמָד. Contra hanc deceptæ fœminæ imaginationem angelus ostendit Danieli, quæ nam sint illa vera desiderabilia חֲמוּדוֹת, in quibus pernoscendis & perfruendis sit vera & salutaris scientia & felicitas: doctrina nimirum de Christo, ejusque salvifico officio. Et huc pertinet illud Christi *Matth*. 13. 16. & *Luc*. 10. 23.

Multi prophetæ & justi desiderarunt videre, quæ videtis. Insignis etiam est locus *Malach.* 3. 1. *Ecce ego mitto Angelum meum, qui parabit viam coram me, statimq; veniet ad templũ suum Dominus ille, quem vos quæritis, & Angelus fœderis, quem vos desideratis.*

VIR VERBORUM. Voci *vir* valdè crebro adjungitur nomen substantivum genitivi casus, juxta cõstructionem possessoris, qui tamen genitivus plerumque rem possessam significat: ut, *vir verborum*, facundus: *vir virtutis*, strenuus: *vir virium*, robustissimus: *vir pecoris*, possidens pecora: *vir terræ*, agricola: *vir pugnæ aut prælii*, bellator, miles: *vir irarum, rixæ*, iracundus, rixosus: *vir sangvinum*, homicida: *vir dolorum*, gravissimis doloribus affectus, quomodo cognominatur Messias *Esa.* 53. Aliquando contrà ille genitivus significat possessorem, ut *vir mortis, vir desideriorum, vir Belial, vir Israëlis.*

VIRGO. Hebræi virginem appellant עלמה & בתולה. Vox prima talem fœminam indicat, quæ domi sub patria potestate continetur & quasi occultatur, sicut id ex radice עלם apparet. Talis fuit Rebecca *Gen.* 24. 43. & Maria soror Mosis *Exod.* 2. 8. ubi R. Moses Ben Jischaschar Levita Pragensis utrobique vertit, die Jungfraw. Similiter *Esa.* 7. 14 mater Messiæ appellatur העלמה, & quidem præfixo *He Hajediah*, sive demonstrationis, *Virgo illa*, seu *Virgo quædam*, in virginitate scilicet sua. Vox altera בתולה semper significat virginem. Unde aliquis non immeritò quærat, Cur Spiritus sanctus non adhibuerit hanc potiùs quàm illam, quæ non semper significat virginem? Resp. Vox בתולה magis est forensis, quàm vulgaris usus: quæ nimirum in causis matrimonialibus usurpatur, ubi de ductæ uxoris virginali integritate disceptatur. Verùm ista te hîc nihil opus erat, cùm hæc virgo non ideò perhibeatur virgo à Spiritu sancto, quòd integram virginitatem ad sponsum attulerit, sed quòd citra congressum viri ex Spiritu sancto conceperit. Ubi contra Judæos illud non obiter est notandum, prodigii istius vim totam expirare, si locus Esaiæ de naturali conceptione fœminæ ex congressu viri intelligi debeat, cùm hac ratione hujusmodi signorum mundus plenus sit futurus. Quidam sic adnotant ad hunc titulum: Apud Hebræos sunt tres voces, quibus virgo significatur. 1. בתולה, virgo sine discrimine ætatis, sive juvencula, sive vetula. 2. נערה, puella ætate & ministerio. 3. עלמה adolescentula virgo, qualis erat Maria; quæ, ut vulgo putatur, 16 anno ætatis facta est *θεομήτωρ*. In protevangelio Jacobi *δεκατέσσαρα ἔτη* ei tribuuntur. Sed redeamus ad vocem Virgo. Hæc vox *Apoc.* 13. mysticè significat eos, qui fuco Antichristianorum prostibulorum non potuerunt corrumpi, ut ejusdem *βδελύγμασι* polluerentur, sed veram & incorruptam fidem præstiterunt Agno. Itaque hæ impollutæ virgines opponuntur iis, quos propheta Johannes *cap.* 21. 8. vocat *ἐβδελυγμένους*, hoc est, pollutos iis *βδελύγμασι*, quæ meretrix Babylonica *Apoc.* 17. 4. gentibus sibi devotis pleno poculo propinat. Et hæc quidem metaphora est specialis. Generatim verò virgines sunt, non tantùm qui notitiam sexus non habent: sed multò magis, quarum mentes à simplicitate, quæ esse debet in Christianis, corruptæ non deflectunt: de quibus apostolus 2. *Cor.* 11. Desponsavi vos uni viro virginem castam, jungendam Christo.

VIRGO RECLUSA. Vide supra κατάκλειστοι.

VIRGA. Est 1. propriè dicta 2. *Cor.* 11. 25. 2. disciplina moralis, civilis, ecclesiastica. *Prov.* 13. 24. 1. *Corinth.* 11. 25. 3. baculus *Exod.* 4. *v.* 2. 4. 17. 20. 4. Christus *Esa.* 11. 1. 5. benigna dominatio & protectio Dei. *Psal.* 23. 6. sceptrum Christi respectu piorum. *Psal.* 45. 7. & 110. 2. 7. sceptrum Christi respectu impiorum. *Psal.* 2. 9. *Apoc.* 2. 7. & 12. 5. & 19. 15. 8. verbum Christi *Esa.* 11. 4. 9. flagellum Dei. *Iob* 9. 14. *Psal.* 89. 33. 10. vis latens. *Ezec.* 14. 14. 11. potens dominatio. *Esa.* 14. 29. 12. tyrannis & violentia. *Esa.* 14. 5.

VIRGA VIGILANS. Est ramus amygdalinus. *Ierem.* 1. 11.

VIRTUTES THEOLOGICÆ. Tres sunt, videl. fides, spes, & charitas. 1. *Cor.* 13, *v.* 30. 1. *Thess.* 1. *v.* 3. & 5. *v.* 8. De his *Isidorus lib.* 8. *c.* 2. ait: Tria sunt, quæ in religionis cultu ad colendum Deū in hominib. perquiruntur, id est, fides, spes, charitas. In fide quid credendum, in spe quid sperandum, in charitate, quid sit amandum. Fides est, quia veraciter credimus id, quod nequaquam videre valeamus. Nam credere jam non possumus, quod videmus. Propriè autē nomen fidei inde dictū est, si omninò id fiat, quod dictum est, aut promissum. Et inde fides vocata, ab eo, quòd sit illud, quod inter utrosq; placitum est, quasi inter Deum & hominem: hinc & fœdus. Spes vocata, quòd sit pes progrediendi, quasi est pes. Unde cōtrarium desperatio. deest enim ibi pes, nullaque progrediēdi facultas est, quia, dum quisq; punctū amat, futuram gloriā non superat. Charitas Græcè, Latinè dilectio interpretatur, quòd in duo se ligant. Nam dilectio à duobus incipit: quod est amor Dei & proximi: de qua apostolus, Plenitudo, *inquit*, legis est dilectio. Major autem est his omnibus: quia qui diligit, & credit, & sperat. Qui autem non diligit, quamvis multa bona faciat, frustra laborat. Omnis autem dilectio carnalis, non dilectio, sed magis amor dici solet: dilectionis autem nomen tantùm in melioribus rebus accipi solet. *Lutherus* eleganter ait de his tribus virtutibus: Hominis Christiani est credere invisibilia, sperare dilata, & amare Deum contrarium se ostendentem.

VITA. Est 1. *naturalis*, ex consortio animæ & corporis. 2. *carnis*; cùm membra serviunt peccato. 3. *spiritus*; cùm spiritus dominatur carni. 4. æterna. Seu: Vita est naturæ, gratiæ, gloriæ. Sic est mors naturalis, carnis, spiritus, & æterna.

VITA ÆTERNA. Ea sic dicitur. 1. physicè: & sic manet etiam in damnatis. 2. moraliter: & ita competit Deo & electis.

VITIS AUREA. Duo diversa erant donaria tēpli Hierosolymitani, quorum utrumq; *vitis aurea* est appellatum. Prior vitis fuit κειμήλιον domus Hassamonæorum, quam Pompejo dedit Aristobulus Alexandri regis F., posterior dedicata fuit ab Herode in templo à se instaurato. Docent autem Rabbini, hominum trecentorum operâ solitum id donarium loco moveri. Unde intelligimus, cur Strabo non solùm vitem illud appellet, sed etiam hortum.

VITULUS. Est 1. animal quadrupes *Gen.* 18. 7. 2. nomen idolorum ab Israëlitis & Jeroboamo erectorum. 1. *Reg.* 12. 28. 3. notat hostes Christi & ecclesiæ. *Ps.* 22. 2. 4. notat sacrificia laudis. *Psal.* 51. 21.

VITA. Augustinus de peccatorum meritis & remissione contra Pelagianos lib.1.c.24. ait: *Optimè Punici Christiani, baptismum ipsum, nihil aliud quàm* Salutem, *&* *sacramentum corporis Christi, nihil aliud quàm* Vitam *vocant. Unde, nisi ex antiqua, ut existimo, & apostolica traditione?* Mox: *Quid aliud etiam, qui sacramētum mensæ Dominicæ vitam vocant, nisi quod dictum est. Ego sum panis vitæ?* Fuit ergo hæc nomenclatura topica, Punicis Christianis propria. Invenias & baptismum in scriptis antiquorum appellari *vitam*: ut apud Paschasium lib. de corp. & sangvine Christi.

VIVIFICO. Vivificat Deus, & quidem Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Deinde *vivificantur*. 1. homines è periculis & morte erepti. 2. electi, vitæ spiritualis & æternæ respectu.

VIVO. 1. Vivit Deus verè & propriissimè: unde jurat, *Vivo ego*; & per eum jurant homines, *Vivit* Jehova. 2. Vivit Filius DEI in electis. 3. Electi vivunt Christo & per Christum: seu vivunt Spiritu. 4. Vivere secundùm carnem est carnalia desideria amplecti, & opera mala perficere. 5. Vivere in carne, est in hoc corpore vitam agere. 6. Vivere dicitur de vita æterna, quæ hic inchoatur & in cœlis absolvitur. 7. Viventes, sunt homines in præsenti vita, quæ dicitur terra viventium. 8. Viventes aquæ, i. e. perennes.

ULCERA. Apocalypsis per *ulcera* primæ phialæ intelligit dissolutæ & depravatæ disciplinæ ecclesiasticæ effectus & fructus, ut ex *Esaia* 1. 6. intelligi potest. Fructus isti sunt cleri luxus profanus, & universi populi effusa peccandi licentia. Hic itaque locum habet illud Jeremiæ *cap.* 23. 15. *A prophetis Hierosolymitanis egressa est iniquitas super universam terram.* Cæterùm in vulg. vers. pro *Ulcus* scribitur *Hulcus*.

ULCISCOR. Dicitur de Deo & hominibus. Et Deus quidem semper est justus ultor, idque immediatè, vel mediatè. At hominis ultio interdum est justa, interdum injusta. Vulgo dicunt vindictam & ultionem publicam esse justam; privatam, injustam. Verùm sæpenumero vindicta publica etiam est injusta. Neque enim omnis pœna à magistratu illata, est justa.

UNCTIO. Est alia externa, alia interna. *Unctio externa* est materialis, eaque nuda vel ceremonialis. Illa fit sanitatis, decoris, vel alterius rei physicæ vel œconomicæ causâ: hæc est politica, vel ecclesiastica, ita nempe, ut ungere sit certo ritu confirmare in præclaro aliquo munere: ut in sacerdotio, regno, aut prophetia. *Unctio interna* est spiritualis. Et ita ungi est in sublimi officio constitui, & donis ad id obeundum instrui. Sic Christus est unctus oleo lætitiæ, hoc est, ad munus mediatorium instructus omnibus suaveolentibus & lætitiam ipsi atque ecclesiæ ejus afferentibus donis, quæ sunt prophetica sapientia, sacerdotalis sanctimonia, & regia potentia. Eodem modo & nos ungimur secundùm mensuram Christi. Hinc gratia Spiritus sancti appellatur unctio. 1. *Iohan.* 2. Qua de re *Cyprianus de unctione chrismatis* eleganter sic ait: Non solùm in regibus & sacerdotibus unctionis honor permansit, sed in omnem catholicum populum effusa est hujus gratiæ plenitudo: ut sicut Christus à chrismate dictus est, eò quòd singularis excellentiæ oleo unxerit eum

Deus:

Deus : ita & participes ejus quotquot sunt, consortes sint tam unctionis, quàm nominis, & dicantur à Christo Christiani. Hîc incidit quæstio, An in episcoporũ ecclesiæ N. T. ordinatione seu consecratione semper fuerit usus externæ unctionis? Resp. Non fuisse inde constat, quòd *Dionysius Areopagita in hierarchia ecclesiastica* nusquam facit mentionem unctionis in ordinãdis ecclesiæ pastoribus, cùm multas alioqui ceremonias describat. Similiter *Ambrosius tom.* 4. *lib. de dignitate sacerdotali cap.* 5. *sic describit ordinationem episcopi:* Quis dat, frater, episcopalem gratiam? Deus an homo? Respondes sine dubio: Deus. Sed tamen per hominem dat Deus. Homo imponit manus, Deus largitur gratiam. Sacerdos imponit supplicem dexteram, & Deus benedicit potenti dexterâ. Episcopus initiat ordinem, & Deus tribuit dignitatẽ. *Nulla hic fit mentio unctionis. Innocent. III. Papa libr.* 1. *constit.* 84. *fatetur in ecclesia Græca unctionis usum non fuisse:* Cùm, *inquit*, venisset ad Apostolicam sedem B acarensis episcopus, qui in consecratione sua sanctam nõ acceperat unctionem: quoniam apud vos (. *Græcos*) non consueverunt Pontifices, cùm consecrantur, inungi &c.

UNGO. Vim hujus vocis vide ad tit. SANCTUM SANCTORUM. Summa hæc est. Unctio est triplex. 1. medica; ut cùm inungitur vulnus. 2. ritualis; ut cùm aliquis certo ritu confirmatur in præclaro munere; putà in sacerdotio, regno, prophetiâ: 3. spiritualis. Et hoc modo ungi est in sublimi officio constitui, & donis ad id obeundum necessariis instrui. Sic Christus est unctus oleo lætitiæ ultra cõsortes, hoc est, ad munus mediatorium instructus est donis afferentibus lætitiam tum ipsi, tum ecclesiæ; cujusmodi sunt sapientia prophetica, sanctimonia sacerdotalis & sacrificalis, & potentia regia. Atq; hæc est unctio Christi capitis, à quâ dependet unctio spiritualis membrorum Christi.

UNITAS. Est 1. essentiæ, ut in tribus personis SS. Trinitatis. 2. personę, ut duarum naturarũ in Christo. 3. Spiritus, ut electorum. 4. rerum externarum. Porrò Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus sunt unum naturæ seu essentiæ ταυτότητι, & consensu in volendo & agendo. Electi sunt unum cum Deo Triuno & inter se, unitate Spiritus & fidei.

UNO ORE. Est uno sermone, uno consensu. Sic Beza vertit illud *Luc.* 14. 18. ἀπὸ μιᾶς, sc. γνώμης: & Theophyl. ἐξ ἑνὸς συνθήματος. Alii malunt subaudire ὥρας, hoc sensu: ἀπὸ μιᾶς ὥρας, ex una hora, id est, continuò, statim, ἐκ παραχρῆμα.

VOLUNTAS Dei. Una est Dei voluntas: sed varia sunt objecta, circa quæ est alius atque alius actus Dei volentis. Scholastici ita distinguunt. Voluntas Dei est 1. *beneplaciti*; eaque antecedens, seu universè invitans ad salutem sub conditione fidei & obedientiæ: vel consequens, quæ salutem credentibus assignat, & impios damnationi adjudicat. 2. *Signi*: ut est permissio, prohibitio, præceptio, consilium, & operatio. Et sic quidem Scholastici: ubi duo cavenda. 1. ne distinctionem voluntatis Dei in antecedentem & consequentem absque grano salis usurpemus. 2. ne consilia divina diluto sensu accipiamus, aut ex præceptis consilia faciamus.

VULNERA CHRISTI. De sanguine & aquâ, quæ manarunt è latere Christi vulnerato, *Amœnus* ita canit:

Trajectus per utrumque latus, laticem atque cruorem
Christus agit: sanguis victoria, lympha lavacrum est.

VULNUS. Est 1. corporis *Luc.* 10.34. 2. animæ. *Ier.* 30.17. *Apoc.* 16. v. 2.11.

VULPES. Est 1. animal quadrupes. 2. homo callidus & vafer. *Luc.* 13.32. 3. homo noxius in ecclesia. *Cant.* 2.15. ubi est sermo de vulpibus mysticis, i.e. de nocentissimis hostibus; & de vulpeculis, hoc est, de illis, qui non adeo nocent; adeoque ibi agitur de hostibus apertis & opertis, qui doctrina falsa vel impia vita nocent ecclesiæ.

URIM ET THUMMIM, vel sine aspiratione, TUMMIM. Quid in pectorali summi sacerdotis fuerit Urim & Tummim, non eadem est omnium opinio. Hieronymus ad Fabiolam ait: *Pulchrè hoc ipsum, quod in medio est, appellatur Rationale. Ratione enim cuncta sunt plena, & terrena hærent cœlestibus: imò ratio terrenorum & temporum, caloris & frigoris, & duplex inter utraque temperies, de cœli cursu & ratione descendit. Unde & rationale cum Ephod fortiùs stringitur. Porrò quod dicitur in ipso rationali* δήλωσις *esse &* ἀλήθεια, *id est, manifestatio atque doctrina vel veritas, hoc ipsum significat, quod nunquam in Dei ratione mendacium sit; sed & ipsa veritas multis signis & argumentis monstretur hominibus, & usque ad mortales veniat.* Sed hæc nimis sunt jejuna. Itaque nos paulò penitiùs inquiramus in hoc argumentum, plena instituta dissertatione.

DISSERTATIO DE URIM & *Tummim.*

Quoniam præclarum accepimus morem à majoribus, ut in hâc panegyri anniversaria sub incudem dissertationis vocetur aliquid hoc consessu dignum, quod & gravitate materiæ illiusque dignitate se ipsum commendet, ac utilitatis ubertate sit præstabile: ego non recedam à consuetudine ista, sed de quæstione à professione mea minimè aliena paucis differam, idque ad auditores, quod mihi firmiter persuadeo sacrarum literarum amantes, & ita amantes, ut cū Clemente Alexandrino asserere nihil dubitent, Scripturam sacram adeo esse perfectam, ut non solùm sit integra & firma veritatis regula, sed etiam complectatur multa, quę faciunt ad communem eruditionem & liberalia studia. Quod ipsum etiam Dionysius Areopagita docet, quando ait, divinas Scripturas interpretari omnia Dei verba & opera, omnes divinas orationes & actiones, quas hierarchia nostra habet Dei beneficii munere. Nimirum tanta est Scripturæ à Deo inspiratæ perfectio, ut illi meritò tribuatur elogium Pandectarum divinarum. Nam si Gellius quosdam Tullii Tironis libros ideo appellat Pandectas, quod omne rerum ac doctrinarum genus, quod aliquis desiderare possit, contineant: si Jurisconsulti 50. libros Digestorum hoc eodem nomine insigniunt: si denique theologi quidam silvas homiliarū suarum inscribunt hoc titulo: quis non videt, longè rectiùs aliquem facturū, si Biblia sacra nominet Pandectas à Deo profectas, catholicæque ecclesiæ, tanquam catholicum depositum, commendatas. Sunt enim velut mare inexhaustum, ex quo innumera scientiæ juxta & sanctimoniæ flumina in æstuantes animas derivari possunt. De scientia fidem facit Origenes, cujus incredibilis assiduitas & vigiliæ sex

millia librorum è S. literis eruerunt: unde meruit cognomen συντακτικοῦ. Sanctimoniam quod attinet, nemo nostrum nescit eloquia Dei à Psalte appellari consiliarios, quòd consulát in rem nostram, reddendo nos sapientes ad salutē, ut perfecti simus, ad omne bonum opus instructi. Hujus tantæ perfectionis, quâ prędite sunt S. literæ, varia in utroque canone occurrunt documenta: è quibus in præsentiarum ego unum persequar, illustre sanè illud, & nobis omnibus, nisi vehementer fallor, oppidò utile. Quæstio est vetus-nova. Quid fuerint Urim & Tummim, de quibus Exod. 28. Præscribit eo in loco Deus ornamenta sacerdotum, & adeò magnificè ornat Aharonem, Pontificem maximum, ut illius habitus longo intervallo superet togam Alexandri M. in qua firmamentum graphicè fuit depictū: item tunicam Lolliæ Paulinæ ex margaritis, & Tarquinii prisci ex puro puto auro contextam. Cęterùm in habitu isto Pontificali varia fuerunt ornamenta, quæ inter excellit pectorale, & in pectorali Urim & Tummim, non aliter atque Luna micat inter ignes minores. Quid fuerint Urim & Tummim quæritur inter viros longè doctissimos. Non una est omnium sententia hac de re. Ego itaq; tanquā Palæmon aliquis conabor aliquid certi in medium adferre, non q omnium optimè hoc possim, sed quia in hujusmodi res, q genuinam antiquitatē sapiunt, & simul ad interioris hominis excitationem atq; exercitationē apprimè faciunt, nup adeo cœpi inquirere. Agite itaq; auditores, ingrediamur historię veteris adyta, & de Urim & Tummim tria ista videamus: quid viri doctissimi de hoc divino opere conjectādo sint secuti; quid deinde nos eadē de re assecuti simus; deniq; quomodo Urim & Tummim sint regula cognitionis veri & actionis boni. Quæ tria ubi simplici orationis genere persecutus fuero, tacitus animorum vestrorum consensus orationi meæ finem imponet. Atq; ut ab eo ordiar, extra controversiam poni debet Urim & Tummim fuisse diversa toto artificio & genere ab ipso pectorali & reliquo habitu Pontificali. Nam ex *Lev. 8. v. 8.* constat, Deum Mosi dedisse hoc artificium manu sua paratū. Tum & illud pro certo haberi postulo, Urim & Tummim non fuisse aliquid, quod ex se & sua natura potuerit fundere oracula, sed fuisse typum & veluti sacramentum divinitùs sanctificatum. Quid verò fuerint ratione materiæ & formæ adeo difficile est dictu, ut hîc usurpari possit proverbium veterum Hebræorum, *Elias solvet.* Difficultatem istam auget varietas interpretum. Nam Hebræi & Christiani philosophi atque theologi dissonis hîc canunt tibiis. Principio magni nominis Rabbinus, quem Judæi appellant *Morenu*, h. e. magistrum nostrum, dicit fuisse scripturam nominis tetragrammati, repositam intra duplicitatē pectoralis: & addit, hanc scripturam nominis à Jehova fuisse dictā Urim & Tummim, q Dominus per eā clarè & perspicuè manifestaret volūtatem suā, ac q loquebatur, etiam perficeret. Urim enim significat luces seu ignes, Tummim perfectiones seu integritates. Deinde *R. David Kimchi* existimat, In pectorali fuisse inclusos 12. lapides pretiosos, in quibus non solùm nomina 12. tribuum, sed etiam Abrahami, Isaaci & Jacobi fuerint inscripta, ita ut in illis lapidibus insculpta fuerint omnia elemēta alphabeti. Interrogantē (. sunt verba Kimchi.) oportuit

tuit faciem obvertere ad ſacerdotem, & ſubmiſſe interrogare, quomodo Anna, mater Samuelis, precata eſſe legitur. Deinde ſacerdoti hoc pacto reddebatur oraculum. Spiritus S. vi literæ quædam in pectorali eminebant, idque loco, vel fulgore, in quibus ſacerdos oraculum & voluntatem Dei legebat. Hanc ſententiam tuetur R. Salomo, qui in totum canonem veterem edidit commentaria. Et ita quidem ſentiunt Judæi: apud quos hæ duæ opiniones ſunt magiſtrales. E Chriſtianis philoſophis primò ſe offerunt Chymici, qui ſuum decantatum AZOTH ajunt fuiſſe Urim & Tummim. Ajunt autem non ſine ratione. Nam & nomen Azoth, & res ipſa huic ſententiæ patrocinari videtur. Nomen certè AZOTH eſt mirabile: utpote quod in ſe continet א & ת, A & Ω, A & Z, id eſt, primam & ultimam literam Alphabeti Hebraici, Græci, & Latini. Nihil verò aliud fuit Urim & Tummim, quàm א & ת. Huc accedit, quòd Azoth eſt medicina catholica, cui merito tribuuntur duo iſta, quæ ſignificantur per Urim & Tũmim, i.e. illuminatio & pfectio. Utramq; enim quàm largiſſimè præſtet panacea Azothica. Inter philoſophos recentiores *Iacobus Schegkius & Petrus Ramus* Urim & Tummim ita explicant, ut dicant partes logicæ hoc modo nobis commendari. Sic enim Ramus libr. 5. ſchol. dial. Et ſanè, inquit, Exod. 28. capite, quid aliud profitetur illud pectorale in ſacerdotis pectore, non ſolùm auro & gemmis, ſed duabus notis illuſtribus, Urim & Tummim, diſtinctum & ornatum? Urim nempe ſignificat ſplendorem mentis, lucemque ad cogitandum & perſpiciendũ: Tummim ordinis accurationem & perfectionem, ad integrè incorrupteque judicandum: unde & pectorale ipſum à Moſe judicii λογεῖον appellatur, tanquam nullis hominum ſophiſmatis inquinata, ſed perfecta & omnibus numeris abſoluta conſiderandique logica λογεῖον illud eſſet. Itaque per Urim & Tummim, veluti perfectas abſolutæ ſapientiæ vias, petita oracula in ſacris commemorantur. Hanc Logicæ tam ſingularem laudem Jacobus Schegkius, Tubingenſis Academiæ Cl. philoſophus, in Moſe nobis indicavit. Et hæc quidem eſt ſententia Rami de noſtris Urim & Tummim. *Elias Hutterus* cubum ſuum hoc elogio ornat, quòd ille ſit ipſiſſimum Urim & Tummim. Cubus iſte nihil eſt aliud, quàm cõbinatio trium Alphabetorum Hebraicorum, hoc fine inſtituta, ut radices Hebraicæ eò faciliùs inveniantur, incipiendo ab א, ſive ab Urim, & deſinendo in ת, ſive in Tummim. Hoc ſuum artificium adeò extollit, ut confuſionem linguarum Babylonicam ſperet hâc ratione tolli poſſe. *E recentioribus* ſunt, qui conjunctionem theoriæ & praxis in omni vitæ genere hoc pacto ſignificatam, nobiſque commendatam eſſe ajunt: quòd lux mentis, id eſt, ſapientia & prudentia, & integritas voluntatis, id eſt, ſanctitas, ſint duo ſumma ſummarum perfectionum, adeoque Urim & Tummim in omni vitæ ſtatu. Ab hâc ſententia non diſcedunt, qui arbitrantur fuiſſe duos lapillos hoc nomine, & Deum per Urim reſpondiſſe de vero & falſo, per Tummim de bono & malo: ita ut ſi alter lapillorum fulgeret inuſitato modo, ſignificaretur affirmatio aut approbatio divina; ſin verò minùs, negatio & improbatio. Rurſus *inter recentiores* invenire eſt, qui exiſtimant Urim & Tummim idem fuiſſe in Vet. T. quod in

Apo-

Apocalypsi sunt A & Ω. Quâ quidem formula Christus Salvator æternitatem suam graphicè admodum describit, quasi dicat, Ego sum A, omnium rerum principio antiquior, & Ω, omnium rerum fine posterior. Itaque æternitatem suam Christus his verbis innuit: sed non tantùm. Hoc enim etiam vult dicere, ut extra ipsum nihil quærentes, in ipso tanquā cornu copiæ acquiescamus, ipsumque faciamus α καὶ ω cogitationum, dictorum, & factorum nostrorum, quod Gregorius Nazianzenus hoc senario eleganter expressit: Ἀρχὴν ἁπάντων καὶ τέλος ποιεῖ θεόν. Penultimo loco audiamus *magnum quendam theologum*, qui putat hæc ipsa verba Hebraica Urim Vetummim totidem literis intra duplicitatem pectoralis posita fuisse, sive in lamella aurea, sive in alio subjecto: ut indicaretur & lucem fidei, & vitæ integritatem à Christo, summo nostro sacerdote, cujus typus erat Aharon, petendam esse. Unde ille 1. Cor. 1. dicitur nobis factus à Deo Patre sapientia, justitia, sanctificatio, & redemtio. Ad extremum videnda est *docti cujusdam theologi* conjectura singularis. Putat ille Urim & Tummim non fuisse aliquid diversum à duodecim gemmis, seu aliquid iis superadditum, aut interpositum, sed fuisse illas ipsas gemmas. Hanc suam opinionem ita confirmat. Exod. 25. gemmæ istæ vocantur lapides plenitudinis, quòd ipsis implerentur palæ pectoralis. Appellantur autem Urim, quòd velut ignis in pectore summi sacerdotis (ut est natura tot simul conjunctarum gemmarum.) splenduerint, ac perspicuam de se lucem projecerint. Vocantur & Tummim, quòd essent perfectæ & integræ, nec ullo vitio notatæ. Huic sententiæ favet, quod Judæi quidam scribunt, si de una tribu sciscitabantur, rutilasse lapidē, qui eam tribum repræsentabat. Sed missis variis variorum sententiis breviter indicemus, quid sit omnium maximè probabile. Dona Dei alia sunt creata, alia donata, ut loquuntur theologi. Dona creata pertinent ad regnum naturæ, seu potentiæ: & quidem vel ante lapsum, ut erat justitia originalis; vel post lapsum, ut bonum ingenium, terra fertilis, & similia, quæ pertinent ad hanc vitam animalem. Dona donata pertinent ad regnum gratiæ & gloriæ. Quod attinet ad dona Dei in regno gratiæ, illa sunt catholica, vel particularia. Dona catholica sunt omnibus electis & dilectis Dei filiis necessaria & communia, ideoque dicūtur essentialia: cujusmodi sunt Christus Salvator, fides, spes, charitas. Fieri non potest, ut absque his donis fruamur communione Dei. Dona particularia certis hominibus, temporibus, & locis sunt propria, ideoq; dicuntur accidentalia: cujusmodi est lumen prophetiæ, donum linguarum, & similia. De Urim & Tummim quæritur, ut his donis debeant accenseri? Interest, profectò interest, ut huic dubio satisfiat. Nam non solùm Judæi sunt immoderati ceremoniarum & typorum V. T. admiratores: sed etiam quidam è Christianis χειμῆλια ecclesiæ Judaicæ nimis extollunt. Expediam autem hāc rem uno verbo: Ut tota pædagogia Levitica, sic quoque Urim & Tummim pertinent ad dona Dei particularia & accessoria. Quod vel inde patet. Cōstans est Rabbinorum traditio, rationale judicii, sive Urim & Tummim, fuisse amissum, neq; unquam visum esse totis templi secundi temporibus. Id enim unum erat ex illis quinque

rebus, quæ desideratæ sunt in domo secunda, cùm essent in templo Salomonis: nempe Arca, Propitiatorium, Cherubim, Ignis jugis sive sanctus, præsentia divinitatis, id est, Urim & Tummim, seu Spiritus sanctus. Quod si ergo Urim & Tummim defuerunt templo secundo, utique non fuerunt dona catholica. Neque verò huic sententiæ obstat, quod Josephus tradit Originum libr. 3. extitisse quidem tempore secundi templi & superhumerale, & rationale; sed utrumque desiisse fulgere annis ducentis, antequam scriberet suam historiam, hoc est, centum circiter annis, priusquam Dominus nasceretur. Etsi enim hæc sententia Josephi repugnat traditioni Rabbinorum, quam modò recitavimus: nobis tamen nihil incommodat, sed potiùs confirmat, quod diximus, Urim & Tummim nō fuisse donum ecclesiæ catholicę, sed peculium ecclesiæ Judaicæ: videl. opus exquisitissimum, à Deo factum ex duobus lapillis, quorum alter Urim, alter Tummim sit vocatus, insculptis nempe literis א & ת, ita ut lapilli, singuli singulis literis insigniti, fuerint repositi inter duplicitatem pectoralis. Huic sententiæ firmandæ sunt ista. Et primò quidem Urim & Tummim fuerunt aliquid diversum à duodecim gemmis. Nam Deus disertè ait: Deinde pones in sacro illo pectorali juris Urim & Tummim: quasi dicat, novam aliquam materiam addes pectorali. Ac propterea fortasse jussit Deus pectorale fieri duplicatum, *Exod. 28. v. 16.* ut Urim & Tummim intus reponerentur, & ab utraque parte laterent. Deinde hoc fuit opus exquisitissimum, utpote à Deo factum. Ex ejus enim manu Moses accepit, & pectorali sacro indidit. *Levit. 8. v. 8.* Atque hæc est communis interpretum sentētia. Præterea Urim & Tummim fuerunt duo lapilli. Hoc enim docet Josephus, quando ait, prophetiam tunc cessasse, quando lapilli pretiosi summi Pontificis solitum fulgorem, quo præsentiam Dei significabant, mittere desiverunt. Ad quæ verba Josephus Scaliger annotat hunc in modum: Notius autem est, quàm ut probari indigeat, illorum lapillorum alterum Urim, alterū Tummim, vocatos. Dicit vir magnus, hoc non indigere probatione. Interim tamē ego probare conabor. Scribit Ælianus in libris variæ historiæ, priscos Ægyptiorum reges, eosdem & sacerdotes fuisse, ex quorum collo suspensus fuerit eximius & ingens smaragdus, nomine ἀλήθεια. Hoc ꝓculdubio Ægyptii sumserunt à populo Dei. Constat enim LXX. Seniores, sive Interpretes, Urim & Tummim reddidisse δήλωσιν καὶ ἀλήθειαν. Et verò cùm Deus jusserit superhumerale, itemque pectorale ex gemmis meris conficere, admodum verisimile fit, rationale quoque ex gemmis confectum fuisse: præsertim cùm Josephus & Rabbini scribant, rationale, sive Urim & Tummim, fulgore suo præsentiam Dei significasse. Quam ad rem gemmæ sunt aptissimæ. Hæ porrò gemmæ videntur fuisse præstantiores 12. gemmis in pectorali, & duabus gemmis in superhumerali: quia gemmæ 12. in pectorali fuerunt typus ecclesiæ utriusque testamenti Apoc. 21. duę autem in superhumerali figurarunt duo testamenta: at duæ in Urim & Tummim fuerunt typus Christi, qui est caput ecclesiæ, & fundamentum utriusque testamenti. Denique א & ת fuisse insculpta duobus lapillis inde constat. Rationale judi-

judicii fuit typus Christi, sicut pectorale ecclesiæ. Quare ut pectorali insculpta fuerunt nomina XII. tribuum, quæ figurant ecclesiam: ita rationali inscriptum fuit nomen Christi, quod in Apocalypsi est A & Ω, quibus literis respondent א & ת, quæ sunt initiales in Urim & Tummim. Atque hæc est nostra sententia de materia & forma Urim & Tummim. Quam ut nemini obtrudo: sic non facilè dimitto, nisi vincar iis argumentis, quæ homini φιλαλήθει satisfacere possunt. Si quis malit in latitudine ambulare, dicat cum Calvino: Probabile est, fuisse duas insignes notas in pectorali, quæ nominibus istis convenirent. Qualis autem fuerit utriusque effigies, non potest certò à nobis definiri. Venio nunc ad ultimum, quod mihi proposui caput de Urim & Tummim. Video enim mihi paratam objectionem, frustra suscipi operosam inquisitionem & disquisitionem de re abstrusissima. Quam primò diluere potest modestia, quam hactenus adhibui: deinde illa, quæ superest, tractatio de usu Urim & Tummim. Usus ille est proprius ecclesiæ Nov. Testam. vel communis ecclesiæ catholicæ V. & N. Test. inde ab Aharone usque ad finem seculi. Usus concernens ecclesiam V. Test. rursus est geminus. Nam primò cõsulebant Deum per Urim & Tummim: & Deus respondebat rectè consulentibus, putà Josuæ Num. 27. & Davidi 1. Sam. 23. & 30. At Sauli, & aliis non rectè sciscitantibus, non respondebat 1. Sam. 28. Respondebat autem vel per fulgorem lapillorum extraordinarium, vel per angelum, vel per Spiritus S. revelationem, ita ut Sacerdos pectorali indutus, fuerit occupatus Spiritu sancto. Deinde Urim & Tummim erant typus Christi. Nam quia nondum apparuerat verus ille sacerdos, angelus magni consilii, & expressa imago Patris: oportuit umbratilem sacerdotem insignibus Christi vestiri, ut esset idoneus Dei apud homines, & vicissim hominum apud Deum internuntius. Usus communiter pertinens ad ecclesiam Vet. & Nov. Testam. continetur hoc axiomate: Urim & Tummim fuit exquisitissimum opus, in quo Deus voluit populo suo partim naturam suam, partim sua beneficia & judicia, partim personam & officium Messiæ, partim naturam veræ religionis, partim denique regulam vitæ, & examen omnium nostrarum actionum inprimis illarum, quæ faciunt ad salutem animæ, ab oculos ponere: Quæ omnia dum paucis attingo, benevolentiâ vestra me non abusurum confido. Urim significat luces, Tummim perfectiones, id est, omnimodam lucem & perfectionem. Atqui hæc duo in omnibus iis, quæ modò commemoravi, vel insunt naturâ sua, vel inesse possunt & debent gratia Dei & studio nostro. Atque ut hinc initium sumam, Deus est αὐτοφῶς, & omnis perfectionis cornucopiæ, ac proinde verè Urim & Tummim, subjectivè & effectivè, ut in scholis loquimur. Hinc Psaltes: In tuo lumine videbimus lumen. Pertinet huc, quod Rampelogus ait de triplici luce. Vide supra titul. *Lux.* Deinde omnia DEI opera sunt Urim & Tummim. Vultis incipiam à creatione? In sacrarum Originum libro legimus, Deum primo die creasse lucem, & perfectis cœlis ac terrâ, omnique exercitu eorum quie-

visse. En hic habes Urim & Tummim: Placet intueri gubernationem mundi? Speciosa sunt opera Dei omnibus, q delectantur iis; magnificum est nomen ejus in universa terra; justus est Dominus, & recta sunt ejus judicia. En iterum Urim & Tummim? Oculos convertimus ad regnum gratiæ? Doctrina Jehovæ integra est; testimonium Jehovæ sapientiam affert imperito; mandata Jehovæ sunt recta; judicia Jehovæ sunt veritas; Christus pulchrior effectus est filiis hominum; filia regis (.ecclesia.) tota est honorata. Quid, amabo, quid hîc occurrit præter Urim & Tummim? Sed pergamus ad regnum gloriæ. Ibi Deus habitat lucem inaccessam; ibi est lumen simile lapidi pretiosissimo, ibi gloria Dei illustrat omnia; ibi Agnus est lucerna. Si hoc non est esse Urim & Tummim, nescio profectò quid sit lux; quid perfectio. Naturas porrò Christi & officium cōtemplamur in hoc speculo. Christus est verus Deus, lumen de lumine, ἀπαύγασμα gloriæ Patris. Idem est homo sanctus, in cujus ore nullus est dolus. Est agnus incontaminatus. Ille est pulcherrimus inter filios hominum. Idem est unica lux mundi, extra quam omnia tenebris plus quàm Ægyptiacis plena sunt. In hoc reconditi sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ: ut meritò glorietur Paul⁹, se nihil scire præter Jesum Christum: quia nempe ille satis superque illuminat. Hinc Christus dicit: Qui sequitur me, non ambulat in tenebris. Ecce Christus est Urim & Tummim? In ipso splendores & perfectiones omnes invenire est, quibus nos miseri homunciones indigemus. Meritò itaque diximus, consilium Dei præcipuum fuisse, per Urim & Tummim ostendere, non alibi lumen & puritatem oportere nos quærere, quàm in Christo. Nam ille dignatur nos utriusque facere participes, pro mensura gratuitæ donationis. O itaque nos beatos, si hoc utrumque in Christo quærimus! Beatiores, si invenimus! Beatissimos, si retinemus! E contrario autem nos infelices, imò infelicissimos, si vel minimam lucis scintillam extra Christum appetimus, vel guttam puritatis extra illum nobis imaginamur! Hoc enim si facimus, demergimus nosmet ipsos in tenebras ineluctabiles, & pestiferos falsarum virtutum fumos sorbemus in nostrum interitum. Atque hoc est primarium Dei consilium, per Urim, quæ vox splendores significat, notare lucem illam, quâ Christus nos irradiat: per Tummim, quæ vox perfectiones significat, nos manu velut ducere ad integram solidamque puritatem, quæ nonnisi in Christo quæritur. Præter hoc Dei consilium fuit & aliud, quod primario non adversatur. Voluit nempe benignissimus Pater & optimus doctor per Urim & Tummim nos docere, quomodo vera religio debeat esse comparata, quoque modo vita nostra sit instituenda in omni statu. Et religio quidem vera debet esse perspicua & perfecta, simplex & integra, utpote canonica & catholica, i. e. conformis canoni Scripturarū, & perpetua nota ecclesiæ catholicę. Sicut itaq; totus canō secundū Urim & Tummim, id est, clarè perspicuè & perfectè est conscriptus: ita religio vera iisdem notis est conspicua. Rursus ut ecclesia catholica coruscat radiis sponsi sui Jesu Christi, & est in ipso sine ruga & macula: sic etiam religio vera est pura & incontaminata, ideoque plena est Urim & Tum-

Tummim. Veniant nunc Turcæ, veniant Pagani, veniant Pseudochristiani, & ostendant nobis Urim & Tummim in sua religione. Ad extremum universa nostra vita, contemplativa, activa, & factiva, id est, omnes nostræ actiones, fides, spes, charitas, precatio, disputatio, conversatio &c. debent ita esse comparatæ, ut sustineant examen Urim & Tummim, tanquam Lydii alicujus lapidis. Hinc Christus: Ita luceat lux vestra. Item: Estote perfecti &c. Oportet autē omnes Christianos in genere respicere Urim & Tummim, inprimis verò magistratus, doctores verbi &c. Et hæc quidem habui, quæ inpræsentia simplici orationis genere proponerem de Urim & Tummim: ubi breviter exposui aliorum sententias, meam adjeci, & usum hujus doctrinæ subjeci. Quod superest, det Deus, Pater ille luminis, sine cujus lumine & numine, nihil est in homine, ut in ipso solo per Jesum Christum adjuvāte gratiâ Spiritus sancti quæramus Urim & Tummim, & in regno potentiæ, gratiæ & gloriæ refocillemur lumine nunquam deficiente. Ipsi sit laus, honos, & decus in omne ævum, Amen.

DISSERTATIO DE URIM ET *Tummim μεθοδικώτερον proposita.*

Duo sunt tenenda. 1. quid fuerint. 2. quis sit usus. De I. Quatuor hîc perpendenda. 1. Ratio nomēclaturæ. 2. quale fuerit hoc donum. 3. qualis materia. 4. qualis forma.

1. Nomenclatura est petita ex intimo Hebraismo. Nam *Urim* significat luces, lumina, ignes, splendores: *Tummim*, perfectiones, integritates. Et cur aliter appellaretur opus exquisitissimum, à Deo profectum immediatè, qui est mera lux, & perfectio vera: quod que debuit significare meram lucem & integritatem? Appellatur autem lucis nomine hoc rationale: quia lux est origine cœlestis, affectu & effectu mirabilis. Origine est cœlestis: quia ex peculiari natura quintæ substantiæ oritur, remotissima à terrena fæce, quæ obscuritatis parens est. Affectu & effectu est mirabilis: quia inter omnes creaturas corporeas primatum tenet. Unde Dionysius supra triginta proprietates lucis recenset. Nos erimus contenti his octo. *Lux est*

1. *Excellentissima*: non solùm quia est aliena ab omni impuritate, sed etiam est vehiculum, quo cœlestis virtus in hæc inferiora defluit.

2. *Pulcherrima*: non solùm quia in seipsa est formosa, sed etiam est causa omnis pulchritudinis. Unde Ambrosio est prima mundi gratia, qua tanquam aurea veste circumfunditur.

3. *Lætissima, maximeq; delectabilis.* Nam quia pulchra ideo delectabilis. Unde videmus animalia lumine valde affici.

4. *Purissima*: tum quia substantiæ est simplicissimæ, quæ ab aliis corporibus non inficitur; tum quia purificat.

5. *Latissimè patens.* Diffunditur enim per immensa cœli aërisq; spatia.

6. *Primum visibile*: quia lucem sine luce, & alia quoque sine ipsa non videmus. Hinc Apostolus Eph. 5. ait, lucem omnia facere manifesta. Et Augustinus: lumen & alia demonstrat, & se ipsum. Unde ab eodem appellatur regina colorum.

7. *Variorum graduum capacissima*: ut in stellis, gemmis & metallis inprimis videre est.

8. *Accommodatissima ad res divinas declarandas.* Nam Deus dicitur lux vera, & pa-

terluminum, & habitare lucem inaccessam. Filius Dei se lucem mundi appellat. Idem in symbolo Niceno dicitur lumen de lumine. Et quis omnia commemoret, quæ in S. literis & apud Patres occurrunt hanc in sententiam? Causa, ob quam lux apprimè apta est illustrãdis divinis rebus, sita est in admirabili ejus natura, puritate, subtilitate, pulchritudine, origine ortuq; ac generatione, beneficentia, commoditate, & vi virtuteq;, qua pollet, illustrandi, fovendi, purificandi, calefaciendi, exhilarandi, aliisq; affectionibus, quæ Deo & divinis rebus valde sunt affines & congruentes.

Deinde hoc idem rationale insignitur nomine perfectionis: quia nihil potest placere Deo vel hominibus, quod nõ sit perfectum in suo genere. Hinc Deus est perfectissima, ut ita dicã, perfectio: ipsius dicta & facta sunt perfecta: viri sancti, ut Noë, David, & similes celebrantur perfecti: Christus Servator est perfectus tum in se, tum in actu mediationis: denique sancti in cœlis sunt perfecti.

Ex his patet, Urim & Tummim, sic fuisse appellata, quòd Deus voluerit significare, nihil esse probãdum, nisi quod luce & perfectione aliqua sit præditum.

2. Hoc donum quale fuerit, vide in superiori dissertatione.

3. De materia sic pronuntio. Urim & Tummim fuerunt duo lapilli, & ii quidem præstantiores 12. gemmis in pectorali, & duabus gemmis in superhumerali. Et primò quidẽ fuerunt duo lapilli: quia hoc docet Josephus. Vide paulò ante. Et verisimile est, ut pectorale & superhumerale, ita quoque rationale gemmis fuisse insigne: præsertim quia Deus præsentiam suam per Urim & Tummim manifestabat. Quam ad rem gemmæ sunt aptissimæ. Deinde fuerunt præstantiores reliquis gemmis: quia Christum figurarunt.

4. Forma videtur fuisse talis. Pectorale fuit typus ecclesiæ: Urim & Tummim fuerunt hieroglyphicum, ut ita dicam, Christi. Quare ut in pectorali insculpta fuerunt nomina 12. tribuum, quæ figurant ecclesiam: ita rationali inscriptũ fuit nomẽ Christi, quod in Apocalypsi est A & Ω; quibus literis respondent א & ת. Porrò Urim & Tumĩm in medio pectorali fuit repositũ ea prorsus ratione, qua Christus *Apoc.* 1. collocatur in medio cãdelabrorum aureorum, i.e. ecclesiarum; quãq; *Apoc.* 2. arbor vitæ dicitur esse in medio paradisi. Quo quidem situ hæc duo significantur. 1. Authoritas. Nam medium locum occupare, majoris est. Quocirca poëta *Æneid.* 7. ait, Latinũ solio medium consedisse. 2. Æqualis fidelium felicitas. Nã singulis præsto est Christus: quia etsi sunt infinitæ ipsorum myriades, tamen nemini illorum negabitur fruitio Servatoris, utpote qui est in medio ipsorum. His addi potest perfectio, quam significat cẽtrum.

De II. Usus est proprius V.T. vel communis catholicæ ecclesiæ. Proprius N.T. est partim in consulendo Deum, partim in figurando Christum. Communis est primarius, vel secundarius. Primarius est, ob oculos ponere personam & officium Messiæ: secundarius, naturam Dei, ejusque beneficia & judicia, item naturã veræ religionis depingere; necnon esse regulam & examen omnium nostrarum actionum. Insignis hanc in sententiam est locus 1. *Iohan.* 1. *v.* 5. 6. 7. Hoc est igitur nuntium, quod audivimus ex ipso, Deum lucem esse, nec tenebras in eo esse ullas. Si nos dixerimus societatem habere cum

eo, & in tenebris incedimus, mentimur, nec sincerè agimus. Quòd si in luce incedimus, sicut ipse est in luce, communionem habemus cum eo mutuam: & sanguis Jesu Christi, Filii ejus, purgat nos ab omni peccato. Paucis his verbis divinissimus apostolus mihi complexus videtur omnia ea, quæ nos hactenus disseruimus de Urim & Tummim. Dicit enim Deum esse lucem, & quidem perfectam, ita ut nullæ in eo sint tenebræ. Rursus dicit, nostrum esse in luce incedere, si velimus cum Deo communionem habere. Cùm enim Deus sit mera lux, nihil in eo est nisi liquidum, purum, & sincerum: & proinde fulgore suo illustrat omnia, ut nihil vitiosum, aut contortum, nullas maculas vel sordes, nullã hypocrisin vel fraudem latere patiatur. Itaque cùm nulla sit consensio inter lucem & tenebras, quamdiu in tenebris ambulamus, nobis cũ Deo est dissidium. Ergo societas illa, cujus meminit, aliter constare nõ potest, quàm si nos quoq; puri & lucidi simus. Maneat itaq; hoc, certum esse symbolum nostræ cum Deo conjunctionis, si illi simus conformes. Hanc verò conformitatem extra Christum obtinere non possumus. Ideo apostolus subnectit: Et sangvis Jesu Christi &c. q. d. nullam esse puritatẽ, quæ extra Christum quæritur. Atque hæc quoque causa est, quòd 12. pretiosi lapides, qui fuerunt symbola totidem tribuum, inserti fuerunt pectorali summi sacerdotis. Neque enim illis hac ratione data fuit materia superbiæ, ac si propria dignitate ac præstantia tanti æstimarentur: sed moniti fuerunt, totum pretium, quo fideles apud Deum cẽsentur, à sacerdotii sanctitate pendere. Itaque ex hac figura discamus, utcunq; in nobis viles simus & abjecti, adeoque prorsus nihili quisquiliæ, quatenus tamen in corpus suum nos inserere dignatus est Christus, in ipso esse lapides pretiosos. Huc accedit, quòd luce fidei & vitæ integritate debemus testatũ facere nos esse lapides pretiosos: videl. iaspides virẽtes cõfessione fidei, chalcedonios illustres splẽdore zeli, smaragdos castitate insignes, amethystos sobrietate fulgidos, sardios sangvine Christi respersos, Chrysolithos albedine sanctimoniæ cõmendabiles, topazios patientia invicta splẽdidos, Chrysoprasos sufficientia micantes, hyacinthos spe divites, denique sapphiros lætitia spirituali præditos. Sed, proh dolor, nos sumus duræ silices, lapides impoliti & intractabiles &c.

XANTHICUS. Est nomẽ mensis septimi post δύςρον, apud Macedonas 2. *Maccab.* 11. *v.* 30. 31. 38. Josephus eum sic vocat, qui Hebræis Nisan. Suidas: ξανθικὸς ὁ ἀπρίλλιος. Ergo sic dictus videtur, quòd in regionibus calidioribus jam tunc flavescit campus aristis. ξανθὸς est flavus.

Χάρις. *Gratia.* Græcis Patribus sæpe nomen χάρις & Latinis *Gratia*, ponitur pro baptismo aut eucharistia. Hinc istæ phrases: τῆς θείας χάριτος μεταλαμβάνειν, *divinam gratiam percipere*: προσιέναι πρὸς τὴν οὐράνιον χάριν, *accedere ad cœlestem gratiam*: *venire ad gratiam*: *gratia salutaris*: *gratia communionis & sancta communionis*: ἡ θεία καὶ θεοποιὸς χάρις, *divina, & Deum efficiens gratia*: *gratia sacramenti &c.*

ZABARIA, vel ZABARIUM. Ζαβαρεῖον est repositorium τῶν ζαβῶν, id est, armorum. In *histor. apost. lib.* 4. aliter accipitur hæc vox: *Collectis libris magicis, zabarias plenas ad apostolum attulit.* Item: *Appende zabariis lapides & plumbum, & mitte in mare.* Quidam legunt ibi *zabyras*: sed Meursius

Meursius corrigit, & legit *Zabaras*. Respicit autem historiæ istius author ad Ephesinas artes, de quibus *Act.* 17. Ratio etymi est: quia venefici & necromantici suas artes abscondunt velut ἐν ζαβαρείῳ. Nimirum hæ artes possunt etiam appellari μυστήριον ἀνομίας sive κακίας: item μυστήρια τῆς ἀγνοουμένης κακίας, *malitia quæ ignoratur:* qua phrasi utitur Dionysius Halicarnass. in epistola ad Pompejum.

Zabolus. Aeolicè ζάβολος dicitur pro διάβολος, sicut ζαβάλλειν pro διαβάλλειν, calumniari. Itaque διάβολος est calumniator. Hoc nomen principi malorum angelorum tribuitur κατ' ἐξοχήν: quia calumniatur Deum apud homines, & vicissim homines apud Deum. Apud Aristophanem est vocabulum ἀντιλογικός, de eo, qui semper aliquid profert, ut contradicat veritati. Quod ipsum etiam optimè competit in diabolum, sive Zabolum. Sunt qui Zabolum, sive Zabulum, putant ita vocari, quia ζαβὰ λαεῖ, *curva curat.* Sed prius etymon est verisimilius. Hinc Papias: *Zabulus est Satanas, quod Latinè sonat adversarius vel transgressor.* Hieronymus in 6. cap. epist. ad Ephes. ait, vocem hanc habere quandam similitudinem cum *Zabulon.* Sed hæc notatio est violenta. Quidam putant esse vitiũ vulgi dicentis ζάβολος, pro διάβολος. Hoc tamen ego non putarim: cùm nomen ζάβολος occurrat apud Cyprianum, Hilarium, & alios. Sic in hymno, qui canitur die Michaëlis, & ita incipit, *Tibi Christe splendor Patris*, legitur illa ipsa vox:

Collaudamus venerantes
Omnes cæli milites:
Sed præcipuè primatem
Cælestis exercitus
Michaëlem, in virtute
Conterentem Zabolum.

Ibi Siberus ita annotat: Zabolus dæmon, quòd sit deceptor, ἀπὸ τοῦ ζαβάλλειν, ἐξαπατᾶν. Posset etiam ζάβολος deduci à Chaldaico זבל, *stercus, fimus*, q. d. Spiritum impurum.

Zelus. In genere est ardentis animi commotio ad vehementiam actionum. Est, inquam, ardens affectus, velut ignis. In specie est impetus mentis erga gloriam Dei cultumq; divinum. Si malus sit iste impetus, appellatur, κακοζηλία, item ζῆλος οὐ κατ' ἐπίγνωσιν. *Zelotypus* est quasi ζήλῳ τυπεὶς, *zelo percussus*: ut qui præ fervore amoris socium in re aliqua ferre non potest; inprimis ubi non debet, ut in matrimonii fide. *Zelo, as*: & *Zelor, aris*, deponens, in Latinis Bibliis apud veterem interpretem sæpe occurrit: & dicitur de Deo *Ioel.* 2. *v.* 18. *Zach.* 1. *v.* 14. *c.* 8. *v.* 2. pro zelo amoris: & de hominibus, pro zelo pietatis, *Num.* 25. 1. *Reg.* 19. Zelare autem est ardenter affectum esse, & erga aliquid, & contra aliquid: & hinc sectari amore, aut insectari odio & invidia. Planè ergo ut Græcum ζηλόω usurpatur. *Zelotes*, Latinè Zelator, est qui fervidè aliquid amat, vel agit. Sic Deus est Zelotes, qui ardenter amat eos, qui spiritualis cum ipso initi matrimonii fidem servant, & ob ejus violationem graviter indignatur, neque inultam eam sinit: ut est *Exod.* 20. in secundo decalogi præcepto. Simon Cananites *Luc.* 6. *v.* 13. & *Act.* 1. *v.* 13. dicitur Zelotes ob insignem in doctrina Christi percipienda & propaganda zelum. Idem dicitur Cananites eandem ob causam, à קנא. Itaque Cananites Hebræum est, Græcum ζηλωτής. In Concordant. Lat. ita legere est: *Zelus Dei est affectus*

affectus ille summus, quo populum suum gratiosè complectitur, cum justa severitate adversus peccata suorum, & ira formidabili in ecclesiæ hostes conjunctus.

ZIZANIUM, & in fœminino ZIZANIA. In Scriptura significat vitia, quæ virtutum segetem suffocant. *Hieron. ad Eustach.* Nolo sinas cogitationem crescere. Nihil in te Babylonium, nihil confusionis adolescat. Dum parvus est hostis, interfice: nequitia, ne zizania crescat, elidatur in semine. *Ambros. lib. 7. in Luc.* Aliud est fermentum zizaniæ, aliud tritici.

ZYMA SCORIÆ. Sic appellatur peccatum originis: quem titulum vide.



INDEX PARATITLORUM THEOLOGICORUM.

A.

D.

Erudita

Inveco

Luci-

Mille

N.

Tristitia

Τῇ Μονάδι Παναγίᾳ καὶ ὑπεραρρήτῳ δόξα καὶ χάρις εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, Ἀμήν.

FINIS.